



HISTORIA CRITICA PRIMORVM HVNGARIAE DVCVM,

EX FIDE
DOMESTICORVM ET EXTERORVM
SCRIPTORVM

CONCINNATA,


A STEPHANO KATONA,

IN REGIA VNIVERSITATE BVDENSI
HISTORIARVM DOCTORE
ARCHIDIOECESIS STRIGONIENSIS PRESBYTERO.



PESTINI,
IMTIBVS IOANNIS MICHAELIS WEINGAND,
ET IOANNIS GEORGII KOEPF BIBLIOPOL.

MDCCLXXVIII.



Antiquitates alicuius regionis ſcribentibus non ſatis eſſe exiſtimo, ſi in eis percenſendis ſequuntur fidem indigenarum; ſed opus etiam eſſe puto, multis et irrefragabilibus teſtimoniis, ſi fidem mereri velint. *Dionys. Halicarn. Antiqu. Rom. L. VII. p.* 474. 18. *E. Lips.* 1691.

CELSISSIMO

S. R. IMPERII PRINCIPI

IOSEPHO

E COMITIBVS

DE

BATTHAÁN,

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI,

SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO,

PRIMATI HVNGARIAE.



Primas in historia patriae lucubrationes meas non vt gloriae TVAE quicquam adiicere, sed vt aliquos splendoris TVI radios mutuari possim, magno nomini TVO, CELSISSIME PRINCEPS, inscribo. Quicquid enim auspiciis TVIS subest; id non tantum a censoribus vel iniquis, vel parum aequis aucto-

 rita-

ritatis TVAE praesidio defenditur, sed etiam amplitudinis TVAE clarissima luce persunditur.

„Primas es Hungariae! Hoc vnum axioma quantum in se splendorem contineat, quantos honoris titulos et innectat, et antecellat, nullus adeo peregrinus et hospes in patriis rebus esse potest, qui non intelligat. Vt autem ad principem hanc ecclesiae Hungaricae sedem rectius administrandam non solum a doctrina, sed etiam ab experientia paratior accederes, non sine peculiari Numinis prouidentia, quae te regni nostri Hierarcham ab aeterno destinauit, factum est, vt in inferioribus ordinis ecclesiastici muniis TE prius exerceres, quam prima summaque capesseres.

Postquam enim eam totius antiquitatis et eruditionis ecclesiasticae scientiam indefesso stu-

ſtudio TIBI comparaſſes, quam latius ad communem vtilitatem diffundi iam et hilares intuemur, et felices experimur; primum quidem in ſacrum E. M. Strigonienſis collegium adlectus; mox ad Sabarienſem, tum ad Poſonienſem praepoſituram traductus; dein ad Dacicam inſulam, nec multo poſt ad Metropolitanam Colocenſem Eccleſiam euectus; ac ſimul in partem grauiorum regni negociorum, Cibinii, Peſztini, Poſonii, grandibus meritis exigentibus, adſcitus, grauiſſimis muneribus ſacris et profanis obeundis ad ſupremam eccleſiae Hungaricae dignitatem viam TIBI praemuniebas.

Hic porro quas pro religionis incremento regnique commodo res et plurimas, et maximas egeris, ordine percenſere horumque foliorum anguſtiis includere velle, plenum temeritatis conſilium eſſet. Loquentur eas olim

 hiſto-

historiae, quarum TV studio tanto teneris, vt nullis sumtibus parcendum ducas, quo bibliothecam TVAM, antiquis rerum Hungaricarum monumentis refertam et locupletissimam, in dies locupletiorem efficias. Loquentur eo liberius posteri, quo minus pertimescenda modestiae TVAE vulnera habebunt. Suspicient illi certe summisque laudibus efferent indefessas ecclesiasticae disciplinae vel restituendae, vel stabiliendae curas et industrias. Obstupescent propensam illam de minimis quibusque bene merendi voluntatem. Praedicabunt profusam in egenos ac miseros benignitatem. Admirabuntur compositam ac omnibus facilem in tantis honoribus indolem. Haec et alia plurima, quae sciens prudensque praetereo, ne vel rerum magnitudini succumbam, vel aures TVAS laudibus, quamquam verissimis et omnium ore celebratissimis, offen-

dam,

dam, ſcriptores hiſtoriarum monumentis ſuis aeternitati commendabunt.

Quum tamen hanc tantam laudum TVARVM iacturam hic fieri patior; facere non poſſum, quin meminerim ordinis S. Adalberti, cui Chriſtianam religionem in Hungaria firmatam in acceptis ferimus. Glorientur, per me licet, magni deceſſores TVI, quod diuorum patriae noſtrae praeſtitum venerationem omnibus ſtudiis et conatibus auxerint, prouexerint, ſtabiliuerint. Haec inter laudes TVAS erit prorſus ſingularis, omnium litteris et ſermonibus celebranda, quod illuſtris hic ordo, qui quantum S. Adalberto, Metropolitanae ſedis TVAE Patrono, honorem, tantum ſacratiori ſedis eiusdem collegio ſplendorem conciliat, induſtriae TVAE ſua debeat incrementa. Atque vel hoc titulo qualecumque hoc opus, meae tamen in TE profundiſſimae

 ve-

venerationis certum pignus, TIBI pergratum fore confido, quod in eo non tantum apoſtolicos S. Adalberti M. labores, pro conuerſione maiorum noſtrorum exhauſtos, perſtringam; ſed eam quoque ſententiam, quam inſigne ſacri huius ordinis exhibet, niſi mihi blandior, euinco, quum S. Stephanum a S. Adalberto non infantem, ſed iam adultiorem, ſacris Vndis ablutum eſſe, contendo.

Mitto iam dicere, quantis ortus ſis maioribus, toga ſagoque maximis, quorum eximiis operibus, bellicis facinoribus, indefeſſis laboribus quantum decus et praeſidium religioni regnoque partum ſit, faſti noſtri loquuntur, gratique poſteri nullo non tempore loquentur. Numquam hi Franciſcum, id nominis primum, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae banum; numquam Vrbanum, Georgium, Balthaſarem, Andream et iterum Franciſcum; numquam

Ioan-

Ioannem et Wolfgangum, barbarici furoris pro patria victimas; numquam Adamum et Carolum, Illyrici; Ludouicum Hungariae proreges; et primum quidem auum, alterum patruum, postremum vero patrem TVVM, emori patientur.

Sed enim quem a grandibus his maioribus TVIS splendorem accipis, eum magno cum fenore TV refundis; quum S. R. I. principis titulum, in illustrem familiam a magno patruo TVO, quem belli supremum imperatorem hostis extimuit, illatum ac germano TVO transscriptum, ipse quoque consequutus, eumdem propediem nouo S. R. E. principis axiomate cumulabis. Quod reliquum est, TE quidem, vt eadem benignitate, qua vilissimos quosque complecti soles, hoc quantulumcumque munus accipere digneris; DEVM autem O. M. vt TE sospitem et beatum, ad

ecclesiae Hungaricae decus ac incrementum, quam diutissime tueatur, infimis precibus oro.

CELSITVDINI TVAE

Deuotissimus seruus et capellanus
STEPHANVS KATONA
Presbyter Archidiocesis Strigoniensis.



PRAEFATIO.

AEQVO LECTORI SALVTEM!



Quamuis in historia Hungariae vel enarranda, vel illustranda plures magni nominis viri summa laude versati iam fuerint; nondum ii tamen ita rem omnem exhauserunt, nihil vt aliis, in quo vires ingenii periclitentur, reliquerint. Res potissimum vetustae, quo longius ab aetate nostra recedunt, eo spissioribus tenebris obductae, maioribusque difficultatibus circumseptae videntur. Mul- Operis suscepti caussa.

ta

ta quidem etiam ex iis, quae prius abdita latuerant, in lucem aliorum industria iam protraxit; multa tamen adhuc eorum aciem effugerunt. Habebit semper posterior aetas, quae rebus iam inuentis vel addat, vel demat; habebit, postquam plura, quae cum blattis tineisque certarunt, monumenta, ruptis quasi repagulis, vindicata fuerint, vnde rebus adhuc obscuris nouam lucem affundat. Optandum igitur est, vt, quod in rebus physicis, medicis, aliisque cum ingenti harum scientiarum incremento fieri videmus, in historicis itidem plures exsistant, qui partim obsepta tabularia studiosius rimentur; partim veterum testimonia diligentius scrutentur; partim, haec inter se contendendo, fabellis, anachronismis, annosis erroribus, qui per traditiones hominum lapsusque chronologorum inoleuerunt, et regnum paene constituerunt, occurrere mederique conentur. Ni hoc fiat, sperare numquam possumus, futurum, vt exactam rerum nostrarum, quas triste plerorumque monumentorum naufragium cognitioni nostrae subduxit, historiam

habe-

habeamus. Veritas enim in historia, cumprimis vetusta, tamdiu perspicacissimum quemque latet, quamdiu testes idonei non eruuntur, non contenduntur, ad sanam crisim non exiguntur. Id, quod eruditi scriptores, qui veritatem vnam, non suam gloriam, prae oculis habent, adeo numquam aegre ferunt, vt gaudeant potius, si quando vel nouum testem, vel abditam prius veritatem aliorum industria detegat. Hac mente Cl. annalium Hungaricorum conditor in haec verba candide scripsit: (*a*) Ego me ita comparatum esse affirmo, vt, quotquot deinceps aliquid accessionis ad patriam historiam facturi sint, pluribus enim plures itidem ad indagandam veritatem viae sunt, maiorem in modum gauisurus sim; idque vt faciant, vehementer adhortor.

Hac ego cohortatione prouocatus, vtprimum historiis in vniuersitate regia tradendis admotus sum, eo curarum partem porrexi, vt, si quid in

---

(*a*) *Prai Suppl. ad an. vet. p. 9.*

in euoluendis omnium imperiorum ac regnorum annalibus de Hungaris occurreret, quod a patriis historicis vel praetermissum, vel nondum satis ad criticen exactum videretur, diligentius adnotarem, ac subinde, pro supplendis annalium domesticorum hiatibus, typis euulgarem. Et reperi non pauca, quae lectorem experiundo cognoscere, quam prolixius ipse, non sine quorumdam inuidia, praedicare malim. Absit enim, vt aliorum luminibus obstruere, mihique lucem ex eorum vmbra fenerari velim! Noui, nec vnius esse hominis, nec aetatis, omnia nosse; noui, viam asperam ingredienti vix exspectandum esse, nusquam vt pes impingat; noui quid mihi quoque possit euenire. Hanc *igitur* veniam petimusque damusque vicissim. (*b*) *Odi satyras, a poesi perperam ad historiam traductas, quibus non tam veritati, quam sinistrae saepius affectioni litatur. Patent meliora dicentibus aures; fauent certiora scribentibus lecto-*

(*b*) *Horat. art. poet. V.* 11.

ctores, quin opus sit conuiciis, certissimis paupertatis indiciis, ad quae tum solum recurritur, quum mala caussa solidioribus fulcris destituitur. Cum alias praeustae sudes ab ingenua hominum societate, tum a republica litteraria, lege musarum, proscribi debent; vbi hastam clypeumque pugnantibus non odium, sed veritatis studium offerre; victoriae fastum comitas christiana coercere debet. Nam vt potestas, in publicum sua proferendi, spem facit, fore, vt pluribus in lucem productis, plenior tandem historia reddatur; ita conuiciandi licentia, ne, quae possent etiam, producantur, efficiet.

Hungariae porro historiam critice pertractaturus, non hic ad remotiora Hunnorum, quos eiusdem generis cum Hungaris fuisse, non diffiteor, tempora regrediar, ne tricis, quas apud me nondum ad viuum resecui, diutius immorari, resque cum gente nostra propius coniunctas, vltra, quam vellem, differre cogar; sed ab ipsis Hungaris narrationem omnem auspicabor; episodiis tamen ad res Materia.

Hun-

Hunnorum vltro factis, vbi historia Hungarorum ex illis lucem aliquam mutuari poterit, aut debebit. Ita principem Attilae regiam, postquam ad Ecilburgu *suum Anonymus Belae notarius nos deduxerit; reliquias item Attilanas, vbi mentio de Cumanis inciderit, et alia huius generis, quae nexum aliquem cum suscepta materia habuerint, suis locis in quaestionem vocabo; nec inutilem operam me nauaturum in rebus illis, aliorum industria iam explicatis ac vulgatis, quamquam minimum mihi tribuam, puto, si quaedam nouo modo discutere, nouis auctoritatibus adfirmare, nouis animaduersionibus illustrare, ad nouas rationes chronologicas reuocare studuero. Nihil autem, quod temporibus, et personis consentaneum ab aliis adfertur, in crisim reuocabo; sicubi vero, quod adoptandum minime duxerim, occurrerit, rationes meas iccirco depromam, vt lector, quam voluerit opinionem amplectatur. Nec enim semper indubitata certaque monumenta suppetent; nec semper veritas nobis, tam procul spectantibus, patere potest. Saepe tenebras*

re-

rerum veterum per fallacia dumtaxat vestigia sequemur; saepe coniecturis, saepe rationibus aliunde quaesitis inopiam testium, quos nobis vetustas inuidit, explebimus, ac ad scopum veritatis, quo licuerit modo, connitemur. Semper autem sapientes censuerunt, in eiusmodi coniecturis aberrationem indicandam, non exprobrandam esse.

Forma.

Stilum, quem in hoc opere sectatus sum, an excusare debeam, dubius haereo; contemtor enim adulti moris et arrogans, ni hoc faciam, quibusdam videbor; si faciam, vereor, ne, quod olim A. Albino, quum errorum in scribendo veniam postularet, M. Cato dixerat, in me recidat. (c) Nae tu, *inquit*, Aule, nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes errauimus, aut quum compulsi peccauimus. Tibi, *inquit*, oro te, quis per-

(c) *Fragm. Corn. Nepot. de vir. ill. ex Gell. l. 4. c. 8.*

pulit, vt id committeres, quod priusquam faceres, peteres, vt ignosceretur. *Ne hoc igitur mihi quoque possit oggeri, nihil excuso, satis esse ratus, si paucis innuam, alium esse stilum, rebus vna serie narrandis idoneum; alium disputatrici criticaeque historiae proprium, quae totam contentionem non tam in verbis, quam rebus, exposcit. Quare, ne quid ad fidem desideraretur, auctorum testimonia suo, quo scripta sunt stilo, reliqui, quos natiua sua veste contectos, quam personatos, intueri, magis iuuat. Scio quidem, tam variis testium sententiis narrationis et filum saepius intercipi, et stilum identidem intercidi, sed hoc aliter in historia critica, quam hic profiteor, fieri haud poterat. Sunt enim ea scriptorum testimonia, velut ossa quaedam, in historiae criticae corpore, quae vel ideo luxari minime debuerunt, vt quibus ad manus eiusmodi fontes, e quibus desumta sunt, non essent, ipsa scriptoram verba scrutari, faciliusque, num vel ego, vel alii, sensum eorum assequuti simus, arbitrari possint. Ab hac tamen,*

au-

auctores veteres ipsis eorum verbis exhibendi, regula discedendum in Anonymo Belae notario censui; ne, qui passim ad manus habetur, et cum eruditis adnotationibus Cl. Hellii breui totus excudetur, hic exscriptus libelli molem augeret. Tunc igitur solum, quum aliquid eius auctoritate stabiliendum videbitur, integras illius sententias recitabo; alias, contractis eiusdem capitibus, stiloque meo redditis, loca dumtaxat, e quibus narrationem meam depromsi, per litteras, vncis interceptas, indicabo. Rationes temporum in multis aliter, quam seu veteres, seu recentes quidam scriptores, subduxi, caussasque, cur ita facerem, suis locis insinuaui: ducum res gestas ad ordinem chronologicum, annalium in morem, reuocaui: cyclum indictionis anno Christi propterea subiungendum censui, vt, quia quidam auctores, quum res Hungarorum attingunt, hac nota temporis vtuntur, ad quem annum eae sint referendae, mox intelligi sine molesto calculi labore possit. Auctorum vero horum, quos testes laudabo, loca non in ipso contextu, sed in calce

cuius-

cuiusuis paginae designabo, vt, qui festinare volet, inoffenso pede nostra decurrat; qui contra cautius incedere, digitum in libros, qui manum dubitanti porrigant, intendere, hisque consultis, maiorem dictis fidem adhibere possit. Si hanc tibi, lector beneuole, methodum probari didicero, eadem in persequendis regum nostrorum gestis rebus vtar. Vale. Dabam Budae pridie calendas Ianuarias A. R. S. 1777.



PRO-



PROLEGOMENON
E X
HISTORIA LITTERARIA.

I.



Sapienter Regiae huius Vniuersitatis moderatores et praesides constituerunt, vt inter alias artes ac scientias etiam litteraria historia traderetur; quae, praeter cetera, scriptorum etiam aetatem ac opera cum crisi quadam exhibet. Certum enim est, numquam vniuersalem, immo ne specialem quidem alicuius regni historiam debita cum probabilitate pertractari posse, nisi scriptorum, e quibus narrationes petuntur, aliqua notitia habeatur. Vt primum auctoris alicu-

Prolegomeni huius caussa.

A ius

ius testimonium laudatur, mox plerique nosse cupiunt, cuius ille dignitatis, cuius aetatis, religionis, nationis, indolis fuerit; vtrum scriptoris, an solum descriptoris munus obierit; vt, quantam testis ille fidem mereatur, facilius tutiusque statuere possint. Veterrimum, qui primas Hungarorum res aliis vberius ad nos transmiserit, e scriptoribus Graecis Constantinum Porphyrogenitum, e domesticis Anonymum Belae notarium, post hunc Ioannem Turotzium, habemus. De his igitur, quorum auctoritate plurimum in hac opella nitemur, priusquam ipsas ducum nostrorum res aggrediamur, aliqua proloqui libet, vt, quantum vnicuique deferendum videatur, facilius lector beneuolus iam nunc existimet. Ceterorum autem Scriptorum, quorum vsus rarior erit, aetatem et auctoritatem, quantum necesse fuerit, in decursu historiae suis locis indicabimus.

§. I.

DE CONSTANTINO PORPHYROGENITO.

II.

Porphyrogeniti vita.

Constantinus, inter Imperatores orientis hoc nomine VII. quod in Porphyra, loco palatii, sit genitus, Porphyrogenitus appellatus, (a) patre Leone Sapiente ma-

(a) *Luitpr. L. I. C. II.*

matre Zoe natus eſt A. C. 905. Patre ſeptennis orbatus, ab Alexandro patruo, non multo poſt mortuo, tutores quoſdam, dum imperio matureſceret, accepit A. C. 912. Quamuis igitur diuturnum eius imperium fuerit; non tamen ultra 15. annos ſolus rerum potiebatur. Nam ſeptem annos ſub tutorum matrisque cura tranſegit; quinque ſupra vicenos cum ſocero, Romano Lacapeno, priuatus magis, quam Auguſtus, in aula duxit; ceteros demum quindenos ſolus imperium rexit. Omne vero tempus, quo Romanus ſocer non iam tutorio, ſed imperatorio nomine, rebus orientis praefuit, ipſe, muſis potius, quam rerum turbis oblectatus, ſeceſſui litterario dabat: lectioni ſcriptionique librorum impendebat: pluribus aliis, vt idem facerent, auctor erat; ne ſcientiae, quas Graeci iure veluti hereditario poſſidebant, inter tot reipublicae perturbationes, elingues ac emortuae iacerent. Vbi vero ſolus imperium adminiſtrare coepit A. C. 945. maiorem id exſequendi facultatem adeptus, *Scientias* vt Cedrenus ſcribit, (a) *arithmeticam, muſicam, aſtronomiam, geometriam, et omnium principem philoſophiam, quae iam longo tempore ob incuriam et inſcitiam imperatorum, perierant, ſua induſtria inſtaurauit, conquiſitis, qui in quouis genere excellerent, ac conſtitutis doctoribus, ſtudioſisque receptis*

(a) *Edit. Ven. p.* 498. *Paris.* 635.

tis et conductis. Quo factum est, vt, exigui temporis decursu, barbarie profligata, vrbs litteris floruerit.

Opera.

III. Talis quum esset Porphyrogenitus, ipse quoque manum augustam conscribendis libris admouit, rebusque humanis exemtus, 9. Nouembris, A. C. 959. reliquit *Pandectas historicas et politicas*, ex vniuerso historicorum corpore collectas ac digestas in titulos 53. sed eximii huius operis duo solum superant tituli 27. et 50. Praeterea scripsit *narrationem de imagine Christi Edessena; vitam Basilii Macedonis, aui sui; librum de administrando imperio; librum tacticorum; libros duos de thematibus imperii orientalis, et 17. nouellas constitutiones.* Haec opuscula politica Ioannes Meursius, suis aliorumque notis illustrata, Graeco-Latina vulgauit Lugduni Batauorum A. C. 1607. Praecipuus nobis vsus erit libri, quem de adminiftando imperio scripsit ad Romanum filium; isque tanto maiore fide de rebus Hungarorum, quos more ceterorum Graecorum Turcos vocat, dignus, quanto purpuratus auctor temporibus illis vicinior erat. Natus enim est paullo post primos Hungarorum motus; scripsit et vixit, quum iam Toxus, Arpadi nepos, rerum potiretur ac Thraciam quoque popularetur. Eorum igitur Porphyrogenitus maiorem aliis notitiam habere potuit.

IV.

Libri de administrando imperio chronologia.

IV. Est autem maximum operae pretium, nosse tempus, quo Constantinus opus hoc seu concinnauit, seu vulgauit. Hinc enim rerum Hungaricarum, quae hoc libro recensentur, certior adornari chronotaxis poterit. Qua de re iuuat audire Stiltingum, qui commentario praeuio de S. Stephano, primo Hungarorum rege, haec infert: (a) *Edidit illum librum Constantinus circa annum* 950. *vt facile ostendi potest. Nam scripsit ad Romanum filium, iam coronatum, vt eumdem ad imperium recte administrandum erudiret; et post mortem Romani Lacapeni, de quo, vt defuncto, loquitur Cap.* 14. *Obiit autem Romanus Lacapenus, olim imperator, indictionis sextae mense Iulio, id est, anno* 948. *quemadmodum ibidem habet Pagius, num.* 3. *Romanus vero iunior sequenti anno* 949. *ad imperii societatem assumtus est a Constantino patre. Audiamus de hisce Cedrenum tom.* 2. *p.* 635. (b) Mense Iulio sextae indictionis Romanus - - debitum naturae persoluit - - - Proinde Constantinus Porphyrogenitus, omnibus, quae suspecta erant, submotis, et solus iam imperans, festo paschatis die, Romano, filio suo, diadema imponit. *Coronatus ergo est Romanus anno* 949. *postquam Lacapenus obierat mense Iulio anni* 948. *Non igitur scripsit Constantinus id opus ante annum* 949. *sed vel eodem anno vel se-*

(a) *S. VI. N.* 70. *p. m.* 473.
(b) *Edit. Ven. p.* 497.

quente. *Nam Cap.* 26. *de Lotario, Italiae rege, qui obiit anno* 950. *mense Nouembri, vti recte probat Pagius ad dictum annum num.* 1. *ait:* Qui nunc Italiae rex est. *Rursum Cap.* 27. *dicit fuisse indictionem septimam, dum scribebat. Quum autem indictio septima fuerit anno* 949. *illo anno opus suum componere coeperat; eodemque vel sequenti* 950. *absoluit.* (a) Facile subscribo sententiae clarissimorum virorum, tam Pagii, quam Stiltingi quoad annum operis inchoati, non item absoluti. Nam quia Porphyrogenitus Cap. 45. scribit: *Hodie, quae est indictio decima, a condito vero mundo* 6460. patet, hoc caput non esse scriptum, adeoque nec totum opus absolutum A. C. 950. quum indictio decima coeperit calendis Septembris A. C. 951. et octo primos menses occupauerit A. C. 952. Praeterea Cl. Hellius, datis ad me humanissimis ac eruditissimis litteris, solide docet, eidem huic anno respondere Constantinianum annum mundi 6460. Quum enim Porphyrogenitus annos mundi Graecorum iuxta chronologiam Theophanis adhibeat; hic vero natalem Christi figat ad A. M. 5508 si hic annus subtrahatur ab anno mundi Constantiniano 6460. dabit eumdem, quem supra posuimus, A. C. 952. Quare tam indictio decima, quam annus mundi 6460. indicat, hoc totum opus non absoluisse Porphyrogenitum A. C. 950.

Num

(a) *Vide etiam Cl. Praii Ann. Vet. P. II. p.* 255.

Num vero ſuum is laborem continuauerit ad A. C. 952. an iam terminauerit A. C. 951. ex neutra temporis nota ſatis certo definiri poteſt, quum vtraque tam huic, quam illi reſpondeat. Obſeruat enim Cl. Stritterus, ſcriptorum Graecorum ſcrutator diligentiſſimus, in memoriis populorum, editis Petropoli A. C. 1771. (a) *Annos numerandi rationem Byzantinorum a vulgari diuerſam eſſe, quum annum O. C. quo natus eſt Chriſtus, alium ponant, quàm occidentales; et quem hi a menſe Ianuario, illi a Septembri inchoent annum.* Collatis igitur omnibus temporum notis, quarum Porphyrogenitus in opere ſuo meminit, certum eſt, illum in concinnando hoc libro deſudaſſe tribus annis 949. 950. 951. Nam, vt argumentatio Stiltingi, teſtimonio Cedreni nixa, conficit, inchoatum non fuiſſe librum hunc ante A. C. 949. ita nihil prorſus nos cogit ad reiiciendam operis abſolutionem vltra A. C. 951. aut, quod nulla neceſſitate damus, A. C. 952.

§. II.

DE ANONYMO
BELAE NOTARIO.

V.

Anonymus hic vulgo dictus, cuius Belae regis notarius fuerit, incertum eſt. Si primi; ſeculo diſtabat a Porphyrogenito,

Anonymus cuius Belae notarius fuerit?

(a) *Praef. p. XII.*

to, nascique debuit sub ipso S. Stephano, quum Belam I. ex Aloldo Lambertoque Schaffnaburgensi sacra corona redimitum esse constet A. C. 1061. Nec vllum, si hoc esset, vetustiorem domesticum scriptorem, et vel ideo fide digniorem haberemus. Sed enim reclamant plerique. Belius in praefatione, quam Schwandtnerianae scriptorum rerum Hungaricarum collectioni praemisit, (a) *qui hominem*, inquit, *in Belae I. tempora reponunt, faciunt illi quidem aliquid, quod vix cum ratione tueri poterunt. Si enim velint stilum scriptoris in eius opinionis praesidium aduocare; idem illud argumentum et pro reliquorum eius nominis regum aetate militabit. Enimuero idem fuit, quod est in auctore nostro, dictionis ingenium sub Bela secundo, tertio, et quarto; hoc est, aetati monasticae adhuc consentaneum.* Haec totidem verbis apud Horanyium (b) aliaque passim ex Belio legas. Non desunt tamen, etiamsi nullam stili rationem habeamus, aliae coniecturae, quae Belae I. notarium hunc asserere videantur.

An Belae I.

VI. Ac imprimis illud, quod nusquam regum, Bela I. posteriorum; anteriorum contra meminerit, vt S. Stephani C. XI. XXIV. XXVII. LVII. Petri C. XV. Abae C. XXXII. Andreae C. XV. Deinde, quod nec huic Andreae, nec illi Belae, cuius

(a) §. IX.
(b) *Mem. P. I. p.* 36. 37.

cuius se fuisse notarium in prologo scribit, ordinale nomen *Primi*, quo distingui possint ab aliis eiusdem nominis regibus, si qui iam tunc, quum scriberet, exstitissent, addat. Nondum igitur alii homonymi reges eo tempore, quo scripserat, regnasse videntur. Obstat quidem, quod Stephanum regem locis laudatis sanctum appellet, qui nondum in sanctorum numerum est relatus sub Bela I. sed sub S. Ladislao, A. C. 1083. Verum ex opinione communi, qua pro sancto Stephanus iam tunc habebatur, hanc eidem appellationem tribuisse videri potest; quemadmodum ab Aloldo de Peklarn factum legimus, qui scribere desiit emortuali Belae I. regis anno, scilicet A. C. 1063. Et tamen ad A. C. 1019. haec habet: (a) *Quamdiu rex Stephanus Vngariam, atque Hainricus secundus imperium gubernabat, vterque sanctus; pax aurea floruit.* Vtrumque vocat sanctum, licet vterque superstes adhuc esset A. C. 1019. ac neuter sollemni ritu sanctis adnumeratus A. C. 1063. Nempe nunc quoque, si quem virtuti pietatique magis deditum videamus, sanctum appellare solemus.

VII. Ceterum, si cui hae coniecturae minus placeant, pertinaciter ei non repugnabimus, Anonymumque nostrum a seculo XI. ad seculum XII. remoueri patiemur, modo — An Belae II. vel III.

(a) *Edit. Crembs.* 1742. *p.* 106.

modo non retrudatur ad feculum XIII. feu ad Belam IV. fub quo non iam *Notariorum*, fed *Cancellariorum*, vel *Vice-Cancellariorum* titulus regiis diplomatibus fubfcribebatur. Atque hunc ego morem iam cadente feculo XII. pofterioribus Belae III. temporibus inualuiffe; nec centenis et amplius noftrorum feculi XIII. regum diplomatibus, quorum claufulas prae manibus habeo, titulum *Notarii* fubfcriptum fuiffe, reperio. Quum igitur Anonymus nofter eo tempore fcripfiffe videatur, quo *Notarii* titulus adhuc in ufu communi fuerit; eius aetatem ante feculum XIII. ac ante Belam IV. collocandam effe, cenfeo. Certe feculo XIII. non iam *Sunad*, vt ab Anonymo fcribitur, (a) fed Cenad, Chenad, Canad in regum diplomatibus inuenitur.

An Belae IV.

VIII. Clariffimo tamen annalium Hungaricorum conditori fere certum videtur, Anonymum hunc Belae IV. notarium fuiffe. *Pro Bela IV. faciunt*, inquit, (b) *primum Daretis Phrygii memoria in prologuio Anonymi, cuius opus fuppofitum etfi vetuftius eft, quam hactenus exiftimatum fit; plerumque tamen eruditorum iudicio, non ante exitum feculi XII. in vulgus efferri coepit.* At enim, fi continetur, vt eruditiffimus auctor in adnotatione monet, in catalogo MS. codicum Bobienfis coenobii, fecu-

Quid de Daretis opere;

(a) *Cap.* XI.
(b) *Diff. IV. §. VI. p.* 71.

feculo X. exarato; nihil repugnat, quominus in manus Anonymi noſtri Daretis illius libri iam feculo XI. vel XII. venire potuerint. *Tum*, pergit laudatus ſcriptor, *regnorum quoque Halioiae ac Lodomeriae nomina, quorum illud poſt annum MCLVII. iſtud ſub exitum Belae III. inualuit.* Ego vero Halitziae, ſeu Galitziae mentionem iam ante Belam II. apud Sommersberg ex Boguphalo reperi. (a) Cinnami quoque ſynchroni haec verba: (b) *Bladimerum, id nomen erat Galitzae principi* cet. referenda videntur ad A. C. 1152. Haliciae, Lodomeriae,

IX. Sed haec ipſi Cl. viro non videntur efficere, vt Anonymus vltra Belae III. aetatem protrahi debeat. Nouum igitur profert momentum *ex ducatu Raſciae, cuius Anonymus meminit; quiue ſub Andrea II. primum ortus eſt.* Ex Lucio, cuius teſtimonio hanc in rem vtitur, ſolum conſtat, (c) *Raſciam in regnum eueЅtam fuiſſe* ſub Andrea II. nec Anonymus noſter eo tempore Raſciam fuiſſe regnum innuit. Sic enim ille ſcribit: (d) *Ex hinc egreſſi terram Rachy ſubiugauerunt, et ducem* (non regem) *eius captum diu ferro ligatum tenuerunt.* Rurſus alibi *terram Rachy*, non regnum, vocat. (e) Sicut igitur ex eo, Raſciae,

quod

(a) *Siles. Rer. Script. T. II. p.* 36.
(b) *Libr.* 3. *Cap.* 11.
(c) *L. V. C. III. p. m.* 413.
(d) *Cap. XLII.*
(e) *Cap. XLV.*

quod Hungariam in regnum euectam fuisse constet sub S. Stephano, non sequitur, Hungariam ante S. Stephanum non exstitisse; sic ex eo, quod Lucius tradat, Rasciam in regnum euectam fuisse sub Andrea II. non sequitur, Rasciam ante hunc Andream non exstitisse. Certe iam Presbyter Diocleates, cuius historia definit A. C. 1161. Seruiam in duas prouincias, Bosnam et *Rassam*, diuidit. (a) Nihil igitur Rasciae sub Andrea II. nisi regni titulus accessit.

Castri Zabrag appellatione;

X. Geminum huic argumentum Cl. auctor inde deducit, quod Anonymus *castri Zabrag*, seu Zagrabiae, *mentionem faciat. Id namque a Bela IV. primum fuisse exstructum, ipse rex in diplomate, ea de caussa edito, his verbis disserte affirmat:* - - - CASTRVM IN MONTE GRETZ IVXTA ZAGRABIAM - - DECREVIMVS CONSTRVENDVM. Sed enim ex ipsis Belae verbis colligitur, montem Gretzensem, in quo Bela castrum exstruxit, a Zagrabia, iuxta quam exstructum est, distingui; priusque hanc, quam illud, exstitisse. Zagrabiam non in monte Gretz, sed in vicino colle, Zagreb vocato, stetisse, tam Archidiaconus de Guerche, quam Levakovichius innuit apud Reuerendissimum ac Cl. Kercselichium. (b) Profecto, si noster

(a) *Cap. XII. Ed. Schwandt. p.* 483.
(b) *Hist. Zagra. Eccl. C. II. p.* 3. 4.

ter Anonymus Belae IV. Notarius, vt praetenditur, erat, ignorare non potuit, a Bela IV. castrum in monte Gretz exstructum fuisse; si proinde hoc idem cum castro Zabrag fuisset; impudentissime castrum Zabrag, quod tunc primo surrexerit, iam olim ab Hungaris captum esse, scripsisset.

XI. Cetera, quae Cl. auctor subiicit, vltra coniecturam vix assurgunt; vt 1. *magis exacta geographiae-cognitio, quam prisca illa ante Belam IV. aetas patiatur.* Haec mihi potius indicare videtur, Anonymum, vt in prologo suo loquituur, *secundum traditiones diuersorum historiographorum*, sua scripsisse; nec enim est verisimile, vel aetate Belae IV. geographiam tam exactam fuisse, vt tam connexe notarius hic scribere potuerit, nisi certa Historiographorum aliorum, quibus vsus est, vestigia sequutus fuisset. II. *Pleraque locorum nomina, quae Hungari sub primo in has terras ingressu occuparant, iam Hungaricae origi nis esse - durius est - - quam vt facile credi possit.* At nomina haec, Hungarica partim ab Hunnis et Auaribus, partim ab ipsis Hungaris superuenientibus indita his locis fuere. Quemadmodum enim Hungari nomina quorumdam locorum a Bulgaris aliisque Slauis imposita, non immutarunt, vt Nouigrad, Vissegrad, Tsernigrad (hodie Tsongrad) Beligrad etc. apparet; ita nomina quasdam Hunnorum et Auarum appel-

De Geographia,

Nominibus originis Hungaricae,

pellationes retinuisse, credi facile potest.
Certe *Hunyad-vár* a Iordanis *Hunni-var* ortum esse videtur. Quamquam Anonymus ad sua quoque tempora respicere potuerit, iisque nominibus, quibus iam tunc haec loca gaudebant, vti, prae veteribus, quae non tam facile potuissent ab iis, quibus scribebat, intelligi; quod etiam de Halicia Lodomeriaque dicendum videtur. Sicut enim silvam Vetrus, seu Vértes, etiam illo tempore, quo septem ducum aduentum describit, appellat, (a) licet serius sub Andrea I. hoc Nomen ei siluae sit impositum; ita Haliciam et Lodomeriam iis nominibus, quibus aetate sua gaudebant, vocat. III. *Codicis - - - character*, *et membrana*, num, vt eruditissimus scriptor vult, ad aeuum Belae IV. spectet, nihil, quod dicam, habeo, quum illum inspicere nondum mihi licuerit. Cete um non videtur inter seculum XII. et XIII. tanta mutatio facta characteris, vt certum inde iudicium constitui possit.

Codicis charactere;

De chronologia sentiendum?

XII. Postremum, quod obiicitur, *est luxata satis in aliquibus chronologia Anonymi*; sed an haec persuadere possit, *vt infra tres primos Belas illum collocemus*, alii viderint. Illud ipsum bellum, quod in exemplum adducitur, Hermannus contractus in A. C. 912. Hepidanus Monachus figit in A. C. 913. licet vterque seculo XI.

(a) *Cap. L.*

XI. vixerit et ſcripſerit. Si Chronologia, magis alias luxata, non eſt certum argumentum, hos aliosque ſcriptores iis annis, in quibus exerrant, vicinos non fuiſſe; non video, cur Anonymus noſter propter aliquas aberrationes, a quibus vix vllus ſcriptorum profanorum (nam de diuinis aliter ſentiendum fides docet) immunis eſt, ad poſteriora tempora retrudi debeat. Aberrationes porro ſcriptoris noſtri plures occurrunt in perſequendis Arpadi poſterorum rebus, quas ille propterea videtur et breuius, et negligentius attigiſſe, quod propoſitum habuerit, vt in prologo loquitur, *Exordium genealogiae regum et nobilium Hungariae*, ceteris leuiter inſinuatis, ad poſteros transmittere. Nec alia videtur cauſſa ſubeſſe, cur recenſendis Arpadi rebus 39. capita, ceteris eius ſucceſſoribus non niſi 5. deſtinauerit. In hac igitur breuitate narrationis, quam poſtremis 5. capitibus adhibet, non omnia ſuis temporibus fuiſſe reddita, mirum non eſt.

§ XIII. Quotquot autem manuſcriptum Belae notarii codicem oculis ſuis inſpexerunt; teſtantur, eius initium ſic habere: *Pdictus magiſter, ac quondam bonae memoriae glorioſiſſimi Belae, regis Hungariae, notarius, N. ſuo dilectiſſimo amico, viro venerabili et arte litteralis ſcientiae imbuto, ſalutem et ſacrae petitionis affectum.* Quum igitur initialis litterae P. reliquis ita cohaereat, vt nullam vel interpunctionis, vel ſyn-

An hic notarius recte dicitur Anonymus?

ſyncopationis notam habeat; editor, vt vocem illam ſignificantem redderet, ſyncopationis potius, quam interpunctionis notam omiſſam ratus, *Praedictus* effinxit. Quia tamen illis temporibus nomina, tantum initialibus litteris, ſaepius exprimebantur, vt in diplomate A. C. 1055. *nobiliſſimo duce B.* ſeu Bela; item A. C. 1169. *L.* ſeu Lucas, *Strigonienſis*, *C.* ſeu Coſmas, *Colocenſis;* inquirendum potius videtur in nomina, quae ſub P. et N. latent. Si cui coniecturae, quibus notarium hunc ad Belam I. referri poſſe docuimus, placeant; quia nullum eius regis diploma videre mihi licuit, quid iis litteris indicetur, hariolari minime poſſum. At, ſi Bela II. magis arrideat, ſuſpicari licet, *Petrum*, praepoſitum Budenſem, qui Stephani II. diploma, abbatiae de iuxta Gron datum, regio ſigillo communiuit A. C. 1124. (a) notarii munus etiam apud eius ſucceſſorem Belam II. ſuſtinuiſſe. Nec enim deſunt exempla, quibus doceri poſſit, reges multos confirmatis ſuorum deceſſorum magiſtratibus vſos fuiſſe. Quia vero hiſtoriam ſuam dedicat *Viro venerabili* N. ſub hac initiali littera latere poteſt *Nicolaus*, vel qui legitur fuiſſe Nitrienſis Epiſcopus in diplomate Belae II. eccleſiae Zagrabienſi dato A. C. 1133. (b) vel qui regiae capellae praeſidebat A. C. 1148.

(a) vel

(a) *Ap. Schmitb. Agr. Ep. P. I. p.* 60.
(b) *Ap. Kercbelich. H. E. Z. p.* 1.

(a) vel qui Varadienſem eccleſiam regebat A. C. 1165. (b) Nihil enim officit, poſtremos duos aetatem Belae II. ſupergreſſos eſſe, quum ſcriptor noſter illis vocibus: *quondam bonae memoriae*, ſatis innuat, poſt mortem eius Belae, cuius notarius erat, ſe ſcripſiſſe. Non igitur notarius hic inter Anonymos recte collocatur, vt iam antea Cl. Kollárius obſeruauit; (c) qui tamen littera P. Petrum Orodienſem; Cl. Praius contra, Paulum, Poſonienſem praepoſitum (d) deſignari cenſet. At enim hic Paulus vice-cancellarius, non notarius, in Belae IV. diplomatis appellatur; fuitque tam inuſitatus hoc tempore notarii, quam apocriſiarii titulus. Meminit quidem vtriusque tituli Bela IV. in litteris, ad Clementem IV. datis, A. C. 1265. (e) Sed nempe his, tamquam notioribus in curia Romana vocabulis, vti voluerit, vbi non tam facile cancellarius, aut vicecancellarius, quam notarius et apocriſiarius, intelligi potuiſſet. Sicut enim nullus apocriſiarius, ita nullus notarius; ſed vel cancellarius, vel vice-cancellarius, Belae IV. diplomatibus, quae quidem ego videre potuerim, ſubſcriptus inuenitur. Quum igitur noſter vſitato tunc in Hungaria ti-

 tulo

(a) *Ap. Péterffi. Conc. P. I. p.* 129.
(b) *Ap. Kercselich. H. E. Z. p.* 76.
(c) *Suppl. ad Lambec. p.* 687.
(d) *Diſſ. IV. p.* 73.
(e) *Apud Raynaldum et Praium ad h. an.*

tulo se notarium appellet ; ad ea tempora, quibus hic titulus in vsu communiore fuerit, retrahendus videtur. Ita fiet, vt, quo rebus gestis vicinior, eo fide dignior haberi possit. Documentis enim, quae rabies Tartarica sub Bela IV. dissipauit, vti sincerioribus, quam post funestam hanc incursionem, potuit.

An natione Hungarus?

XIV. Fontes, e quibus sua noster deriuauerit, etiam annales Russorum fuisse, Belius existimat. (a) Bene tamen dubitat Cl. Praius (b) *an eo tempore nostri quicquam de his compertum habuerint, aut, si habuere, num - - eorum linguae fuerint gnari. Certe Russicarum rerum scriptores patrio idiomate sua exarasse, constat.* Hanerus in scriptoribus rerum Hungaricarum Anonymum nostrum *incertae nationis* facit; (c) Hungarum certe fuisse negat. Quod si verum esset ; facilius illi notitia linguae peregrinae, qualis erat Russica, tribui posse videretur. At enim ratio, qua vir eruditissimus suam opinionem firmare nititur, id quidem non euincit. *Ignorantiam*, inquit, *linguae Hungaricae sapit, eamque indisputabilem, quod casibus datiuis, ex. gr. Edunec et Edumernec, C. XVII. Bungernec, C. XXI. pro nominatiuis vsus est.* Atqui noster hos casus non pro nominatiuis ve-

(a) *Praef. §. XIII.*
(b) *Diss. IV. §. VII. p. 74.*
(c) *p. 9.*

verum pro datiuis Hungaricis, adhibuit. Sic enim C. XVII. loquitur: *Dux Arpad dedit terras multas: Edunec et Edumernec;* C. XXXI. (non XXI.) *Dux dedit Bungernec, patri Borſu, terram magnam.* Noluit nempe haec barbara Cumanorum ducum nomina, Latinorum, ſed Hungarorum more, declinare; quorum lingua phraſim illam ſic exprimimus: *ſok földet adott Edunek és Edumernek: nagy földet adott Bungernek.* Certe datiuus Latinus *patri* ſatis indicat, etiam Bungernec eodem caſu noſtrum vſurpaſſe. Voces igitur laudatae potius illum fuiſſe Hungarum arguunt; quum in nulla, praeterquam Hungarica lingua, *Bunger* datiuum Bungernek efferat. Verum eſt, noſtrum Anonymum, vt iam eum cum vulgo dicimus, eo modo voces quasdam pingere, vt idiomatis Hungarici non fuiſſe gnarus videri poſſit. Vocat enim *Almu* quem nos *Álom* dicimus; *Hovos, Erdeuelu, Vrſcia, Sunad, Souion, Turzol, Tatur, Honrad, Emeud, Miſcoucy, Geuru, Egeur, Zenaholmu, Colgoucy, Truſun, Zoua, Droua, Zogea, Zatmar, Zobolſu, Zyloc;* pro quibus iam nos adhibemus *Havas, Erdély, Orſova, Tsanád, Sajó, Tartzal, Tátra, Hernád, Emöd, Miskoltz, Györ, Eger, Szénhalom,* vel *Szihalom; Galgotz, Trentsén, Száva, Dráva, Zagyva, Szatmár, Szabolts, Zilaj.* Verum aſperitas illa non in ignorantiam linguae Hungaricae, ſed in dialectum eius temporis, quo nondum idioma noſtrum,

vt nunc eſt, excultum erat, refundi debet. Referta ſunt eiusmodi vocibus aſperioris enunciationis vetera regum noſtrorum diplomata, in quibus paſſim occurrunt *Geuriensis* pro Győriensis, ſeu Iauriensis; *Sunadiensis* et *Cenadiensis* pro Tsánádiensis; *Zaunukiensis* et *Zounokiensis* pro Szolnokiensis cet. Inſeruit etiam Cl. Sajnovitſius eruditae demonſtrationi ſuae communicatum ſecum a Cl. Praio Hungarici ſermonis exemplum ſeculi XII. aut XIII. cuius initium ita habet: (a) *Latiatuc feleym Zumthuchel mic vogmuc* (forte vogiunc) quod nunc ita ſcriberemus: *Látjátok, feleim, ſzemetekkel, mik vagyúnk.* Scio quidem, non deeſſe, qui hoc exemplum in ſuſpicionem vocent ac eius auctorem Hungarici ſermonis imperitum fuiſſe pronuncient. Ipſe quosdam iurare paratos audiui, quo vetuſtum hoc ſcriptum Slaui partum eſſe perſuadeant, eo potiſſimum vſos argumento, quod in eo pro gratia Slauicum *miloſt* vſurpetur. At hos ego rogaui, vt iusiurandum tamdiu ſuſpendant, donec euincere poſſint, Hungaricum *malaſzt* nec *miloſzt* olim dictum, nec ortum ab eadem voce Slauica fuiſſe; quod in multis aliis rebus, quarum vſum antea Hungari non habuerunt, vſu venit. Diplomata certe veteriora paſſim eiusmodi voces et dialectos exhibent, quae iam noſtras aures offenderent. Cl. Praius etiam producit documentum

tum

(a) p. 4.

tum ſeculi XV. hoc initio: (a) *Een Sipos Petor Dubo uram o naſaga jobagia adom tuttara az kiknok illik:* quod ita nunc efferremus: *En Sipos Péter, Dobo uram, ó nagysága, jobbágya, adom tudtára* (tudtokra) *a' kiknek illik.* Heltaius, cadente ſeculo XVI. his verbis natiuitatem Mathiae Coruini deſcribit: (b) *ſzüle kedig* (nobis pedig) *eſzt a' Máttyáſt Colosvárot Erdélben, mikoron irnánac Chriſtus Wrunknac ſzületéſſe után* 1443. Sicut igitur horum ſcriptores dialectus ita variata non arguit exteros fuiſſe, ſic Anonymus noſter, propter eiusmodi voces durioris enunciationis, eo minus pro peregrino haberi debet, quo remotior a noſtris temporibus erat. Sed e diuerticulo, quod Cl. Haneri cauſſa fecimus, in viam reuertamus.

XV. Vnde priſcorum ducum res geſtas Anonymus hauſerit, etſi compertum cum Cl. Praio non habeamus; eas tamen ſingillatim, vt ille refert, in annalibus, quos id temporis noſtri habere poterant, expreſſas fuiſſe, facilius, quam hic, nobis perſuademus. Fatetur is ipſe, (c) a Geiſa religionis cauſſa viros litteratos in Hungariam pellectos eſſe. Geiſa rerum apud Hungaros potitus eſt A. C. 972. Recens igitur memoria rerum ab Hungaris primis,

Quibus fontibus vſus?

(a) *Diſſ. V. p.* 92.
(b) *p.* 83.
(c) *Diſſ. IV. p.* 74.

qui has terras octoginta circiter annis prius occupauerant, gestarum haberi litterisque consignari per viros illos litteratos poterat. His monumentis vsus fuerit Anonymus integrioribus, quam seu auctor chronici MS. sub Carolo Roberto, seu Archidiaconus de Guercse, quorum vterque quaepiam eorum, quae noster vberius narrat, breuiter attingit; quia scilicet hi post Tartarorum irruptionem, ille prius scripserat; adeoqne plura posterioribus istis monumenta, nondum a Tartaris violata, reperire poterat. Ex eiusmodi chronicis Anonymus se sua promsisse testatur in prologo: *secundum diuersorum historiographorum traditiones.* Constat ex aliarum regionum historiis, monachos res sui temporis diligenter connotasse; res etiam anterioris aetatis indagasse litterisque mandasse; num id solos Hungariae coenobitas neglexisse putabimus? Erant iam a Geisa quidam euocati; erant iam tempore S. Stephani plures in monte Pannoniae, in monte Zobor, ad radicem montis Ferrei, in insula Szala, in Bakon-Beel monachi. *Ad ipsum regis imperium,* inquit biographus S. Gerardi. (a) *congregati sunt monachi de diuersis regni monasteriis: de Varadino* (seu Pets-Varadino, ad radicem montis Ferrei) *duo - - de Zaladino duo - - de Beel duo - de Zobor duo - - de monte Pannonio quatuor.* Vix est credibile, tot coe-

(a) *Cap. XII.*

coenobiorum incolas posteritatis adeo parum curiosos fuisse, vt ad exemplum eorum monasteriorum, e quibus hae coloniae ductae sunt, chronica non tantum ordinis, sed etiam neophytae gentis, cuius beneficio viuebant, non consignauerint. Et vero huiusmodi chronica Hungaros etiam ante Turotzium habuisse, colligitur ex decreto Sigismundi, quod in corpore iuris Hungarici continetur in haec verba: (a) *Retroactis temporibus, prout in chronicis legitur Vngarorum, hoc regnum nostrum variis saepe afflictionibus, interdum per Bissenos, aliquando per Tartaros.* Cetera. Ex his Anonymus noster proficere potuit, reiectis, vt in prologo fatetur, *falsis fabulis rusticorum* et *garrulo cantu ioculatorum*, quibus vtrisque tunc apud promiscuum vulgus annales Hungarici constabant. Si his fontibus, seu fabulosis vulgi cantionibus, vsus fuisset; numquam profecto tanta confidentia historiam suam commendasset: (b) *Ergo potius a me de certa scripturarum explanatione, et aperta historiarum interpretatione rerum veritatem nobiliter percipiat.* Oggerendum enim sibi praeuidere facile poterat, nihil diuersum *a falsis fabulis rusticorum* et *garrulo cantu ioculatorum* in hac historia tradi.

XVI.

(a) *Ad A. C.* 1405.
(b) *In prologo.*

Qua fide dignus?

XVI. In sua tamen sententia Cl. auctor persistit, dum Anonymi fidem ita perstringit: (a) *Reor, nostrum ex vulgi cantilenis sua magnam partem sumsisse; id quod ei, ne cogitanti quidem, exciderat, dum ait:* (b) *Vt dicunt nostri ioculatores; omnes loca sibi aquirebant et nomen bonum sibi accipiebant.* At non omnes ioculatorum cantilenae falsae fabulosaeque penitus erant. Quas cum veritate consentire, noster animaduertit et ex aliis monumentis didicit, reiiciendas non esse, prudenter existimauit. Quis enim neget, id verum esse, quod hic ex ioculatorum cantilenis Anonymus insinuat? Numquam profecto nostri maiores has terras occupassent tantamque nominis existimationem sibi peperissent, nisi his artibus, quas Anonymus loco laudato commemorat, vsi fuissent. *Id vero maximam eius historiae partem,* pergit Cl. scriptor *conficit, vt doceat, quas quiuis ducum ditiones acceperit. Hoc, opinor, est, ex ioculatorum cantibus primas Hungarorum res litteris comprehendisse; etsi in praefatione polliceatur, se a falsis fabulis rusticorum, vel a garrulo cantu ioculatorum velle omnino abstinere: Sed sui oblitus, mox ad fidem ioculatorum prouocat his verbis:* (c) *Quorum etiam bella et fortia quaeque facta sua, si scriptis praesentis paginae non vultis, credite*

(a) *Diss. IV. p.* 75.
(b) *Cap. XXV.*
(c) *Cap. XLII.*

lite garrulis cantibus ioculatorum et falsis fabulis rusticorum, qui fortia facta et bella Hungarorum vsque in hodiernum diem obliuioni non tradunt. Non ideo noster ad cantilenas hic prouocat, quod iis, tamquam fontibus, vsus fuerit; sed quod eas Hungarorum procursiones illae quoque commemorent, quamuis in adiunctis recensendis quaepiam nimium exaggerent. Hinc ea, quae cum aliis, quibus vsus est, historiographis non consentiunt, diligenter secernit, ac in medio relinquit. *Quidam,* inquit, (a) *dicunt, eos iuisse vsque ad Constantinopolim, et portam auream Constantinopolis Botondium cum dolabro suo incidisse; sed ego, quia in nullo codice historiographorum inueni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audiui; ideo ad praesens opus scribere non proposui.* Quantum hoc in Anonymo veritatis studium, qui rem adeo gloriosam ideo tantum in medio relinquendam censuerit, quod ea narratio cum aliis historiographis non consentiret! Apparet igitur, illum cantilenis popularium ad scribendam historiam vsum non fuisse, nisi forte cum aliorum historicorum narratione conspirarent.

XVII. Quare *non videtur alienum,* vtor Belii verbis, (b) *fidem huic nostro etiam eatenus adhibere, qua a vulgo Hungaricorum* *scrip-* An etiam vnus audiendus?

(a) *Ibid.*
(b) *Praef. §. XIII.*

ſcriptorum disceſſionem facit: quae et non pauca ſunt et praecipui momenti. Nusquam, vt vnum e pluribus exemplum producam, in aliis hiſtoricis, praeterquam in Anonymo, Salani, Bulgarorum intra Danubium et Tibiſcum ducis, nomen occurrit; num ideo commentitium putabimus? Certe Salankemenium hodiernum, non procul Titulio, Salani regia, ſitum, eius nomen conſeruare videtur, teſtarique Belae notarium Salani nomen non confinxiſſe. Nam Bulgaros quidem hoc loco coluiſſe, Francici, Graecique ſcriptores ſatis innuunt. Aimonius, (a) Fredegarius, (b) Geſta Dagoberti (c) narrant, Bulgaros, Auaribus permiſtos, litem circa duces obortam, armis diremiſſe, ſub A. C. 640. Nicephorus, (d) Theophanes (e) referunt, cum quarto Cubrati, ſeu Chrouati filio nouam Bulgarorum coloniam inter Auares conſediſſe, ſub A. C. 666. Hi ſubinde cum Auaribus a Carolo M. victi verſus Tibiſcum propulſi ſunt A. C. 796. Eosdem, ſeculo nondum circumacto, quum Hungari has in oras penetraſſent, easdem inter Tibiſcum et Danubium plagas, quas Anonymus illis tribuit, (f) retinuiſſe, ſuadent attritae vires Auarum,

(a) *L.* 4 *C.* 24.
(b) *Cap.* 72.
(c) *Cap.* 28.
(d) *Edit. R. p.* 100.
(e) *p.* 297.
(f) *Cap. XI.*

rum, quibus, a consanguineis Moesiae Bulgaris adiuti, potentia praeualere facile poterant. Ita verosimilia satis euadunt, quae de sedibus illorum ex Anonymo habemus. In multis quidem aliis vnicus hic testis est; id tamen assensum nostrum morari minime debet. Quod enim vnicus sit, imputandum est paupertati nostrae iacturaeque multorum codicum, quos Tartarica rabies hausit. His ille vetustissimae memoriae fontibus ac domesticis testibus, quos nemo nostrum, nemo veteriorum, qui post Belae IV. tempora scripserunt, inspexit, et vti potuit, et vsum se fuisse iam in prologo docuit.

XVIII. Quas porro res, ab aliis fere praeteritas, Anonymus opere suo complexus fuerit; laudatus Belius his verbis exsequitur: (a) *Quantus quantus est scriptor, incognitus hucusque, vtilitatis certe in cognoscendis priscis illis rebus Hungaricis est prorsus incomparabilis. Praeterquam enim, quod ieiunam apud Turotzium Hungariae ducum historiam, rerum, quas gesserunt, vberiore apparatu descriptam, ab eo accipis, lector; mancas certe Hunniacae non minus, quam Slauicae gentis ducum res gestas; et quas tenuerunt sedes; regionum porro, quae fuit medio aeuo istis locis, geographiam; totius Hungarici principatus inde a primis ducibus hereditariam quidem, sed suis circumscriptam legi-*

Quas res opere suo complexus?

(a) *Praef.* §. XIII.

legibus, formulam; comitatuum primaeuam eamque genuinam originem; appellationem situum natiuam atque vrbium nonnullarum exordia, sic satis luculenter expromit, vt sit, cur operam illam (Cl. Schwandtneri, qui primus ex membranis augustae bibliothecae hanc historiam vulgauit A. C. 1745.) *aequi rerum Hungaricarum existimatores gratiis cumulatissimis prosequantur.* Huic optime de patria historia meriti viri sententiae pollicem premo; nec aliud superesse video, quam vt eius fide primorum Hungariae ducum historiam aggrediar, ac vtrum cum Porphyrogenito conciliari possit, experiar; si pauca prius de Turotzio praefatus fuero.

§. III.

DE IOANNE

TVROTZIO.

XIX.

Cuius aetatis et auctoritatis Turotzius ?

Illud Hungaricorum scriptorum vulgus, a quo Belius Anonymum in multis dissessionem facere, supra scripserat, hi fere triumuiri constituunt: Ioannes Turotzius, Petrus Ranzanus, Antonius Bonfinius. Omnes isti sub eodem Mathia Coruino, litterarum litteratorumque fautore munificentissimo, desinente fere seculo XV. floruerunt. Ceteris tamen vt antiquior, ita fide dignior videtur M. Ioannes Turotzius, vel,

vel, vt ipse veterem ortographiam sequutus, se scribit, de Thwrocz. Nam si verum est, quod Belius obseruat, (a) chronicon, Budae per Andream Hess impressum, non aliud esse, quam Turotzii chronicon in compendium missum; quum illud vulgatum sit A. C. 1473. iam ante hunc annum, adeoque iam ante Ranzani Bonfiniique in Hungariam aduentum, Turotzii chronicon, ex quo compendium illud factum est, exsistere debuit. Dubitari tamen merito potest, an chronicon illud Budense contractum non sit ex alio vetustiore, quod hunc titulum praefert: (b) *Anno Domini MCCCLVIII. feria tertia infra octauas Ascensionis eiusdem Domini incepta est ista chronica, de gestis Hungarorum antiquis et nouissimis.* Ex hoc enim Turotzius operis sui partem primam et alteram adeo fideliter exscripsit, vt non modo contextus integros, sed ipsos etiam eius errores suos fecerit. Libet ea de re Petri Lambecii iudicium promere: (c) *Falso hactenus*, inquit, *a quibusdam creditum est, Ioannem Turotzium, siue Turotzensem, qui sub rege Mathia Coruino potissimum floruit, operis istius, quod sub titulo chronicae Hungarorum edidit, partem primam et secundam suo marte et suopte ingenio conscripsisse. Contrarium enim demonstrat* au-

(a) *Praef. ad* 1. T. *scrip.* §. XXI.
(b) *Praef. eiusd.* §. XV.
(c) *Itin. Cell. p.* 61. 62. 267.

augustissima bibliotheca caesarea Vindobonensis, vtpote in qua etiam nunc asseruatur antiquus Anonymi cuiusdam auctoris codex membranaceus manuscriptus in folio, inter historicos Latinos manuscriptos quadringentesimus quinquagesimus sextus, scriptus anno millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo, et spectatu dignissimis inauratis picturis exornatus, ex quo Ioannes Turotziensis omnia, quae duabus illis partibus continentur, mutuatus est. Ita se rem habere, testis ipse sum, qui membranaceum illum codicem oculis meis inspexi; nec ipse Turotzensis diffitetur, quum *ad egregium dominum Thomam de Drag, personalis praesentiae serenissimi principis domini Mathiae, Hungariae, Bohemiae, etc. regis, Austriaeque ducis, cancellarium*, ita praefatur: (a) *Quum tamen rebus in his ex me fecerim nihil; veteres in omnibus secutus sum historias, et sententias auctorum transgressus sum in nullo.* Et vero non tantum primam et secundam partem ex laudato codice anni 1358. sed etiam in tertia, quidquid de Ludouico rege 55. capitibus complectitur, ex Ioanne de Kiküllő descripsit. Vnde vero cetera huius partis capita de Carolo Paruo desumserit, ipse rursum in praefatione, quam *ad egregium dominum M. Stephanum de Háserhag, iudicis curiae regiae protonotarium*, direxit, his verbis aperuit: (b) *Huius regis Caroli lu-*

(a) *Edit. Tirn. p.* 64.
(b) *Edit. eiusd. p.* 322.

lugubre exitium quidam Laurentius de Monach Venetus, homo haud indoctus, ipsa gestarum rerum aetate, compendioso pariter et metrico carmine perstrinxit. Quem in magna sui parte sequutus, maxime, ne ex me aliquid facere videar, ea, quae ipse contexuit; tum vero illa, meis iuuenilibus, quae in annis, a viris aetate pariter et fide plenis, qui se illius periculi procellis agitatos aiebant, rege de praeattacto audiui amplius, conscribere curaui. Sic ipse Turotzius ingenue fatetur, se maximam chronicorum suorum partem aliunde sumsisse. Nos tamen, et eius nomen, veluti si scriptoris vbique, non descriptoris partes obiuisset, in vsu horum chronicorum, more iam recepto, citabimus; et eius auctoritatem libentius, quam seu Ranzani, seu Bonfinii, vetustioribus in rebus vsurpabimus. Quamuis enim omnes isti fontibus iisdem, librariorum incuria iam antea vitiatis, vsi fuisse videantur, eos tamen Turotzius intactos reliquit, nec erroribus veteribus, quos subinde pro viribus exterere conabimur, nouos assuit. Alii contra, quaedam e suo cerebro commenti, simplicem nudamque veritatem iis rerum adiunctis vestiuerunt, vt in veris quoque narrationibus, omnem paene fidem amiserint. Satius igitur esse duxi, Turotzium prae duobus illis testem, vbi necesse fuerit, laudare, neque tam eius vel aetatem, vel auctoritatem, quam vetustiorum chronicorum, quae sua describendo fecit, fidem spectare.

XX.

Cuius item Ranzanus et Bonfinius?

XX. Ne tamen nesciamus cuius et nationis et dignitatis ceteri fuerint, iuuat eorum etiam obiter meminisse. Ranzanus, Siculus Panormitanus, ex ordine Praedicatorum episcopus ecclesiae Lucerinae creatus A. C. 1478. Legatus ad Mathiam Coruinum a Ferdinando, rege Neapolitano, missus, acceptis a Beatrice regina quibusdam documentis, epitomen rerum Hungaricarum in indices 36. distinxit, ac postea Luceriae decessit A. C. 1492. Bongarsius eum scriptorem *sane negligentem* non immerito vocat. (a) Nam vt vnum alterumue negligentiae huius exemplum adducam, ait, S. Stephanum fuisse natum A. C. 969. mortuum A. C. 1038. vixisse tamen annos 63. (b) Colomanum, qui S. Ladislao successit A. C. 1095. rebus humanis exemtum A. C. 1113. regnasse tamen annos 25. (c) Huius igitur, adeo negligentis auctoris, rationem non magnam habebimus. Bonfinius autem, Asculi natus in Italia, multis regionibus perlustratis, ad Mathiam Coruinum venit A. C. 1485. Iussus ab eodem rege Hungarorum historiam scribere, post eius obitum eamdem continuauit ad A. C. 1495. Tres eius decades primum opera Martini Brenneri vulgatae sunt Basileae typis Winterianis A. C. 1543. Caspar Heltius decadis quartae libros sex edidit

Clau-

(a) *Praef. ad Ranz.*
(b) *Indic. VIII.*
(c) *Indic. XII.*

Claudiopoli A. C. 1565. Denique Sambucus totam decadem quartam cum dimidia quinta, seu libros 15. adiecit, ac excudit Basileae typis Oporinianis A. C. 1568. Decius iure queritur (a) *Bonfinium anilibus fabulis ac rebus exoticis obscurasse historiae Hung. veritatem.* Suum huic calculum et Belius adiicit, quum ad scriptores rerum Hungaricarum praefatus in haec verba loquitur: (b) *Eo* Bonfinius *Hungaricam historiam adduxit, vt quum nuda esset antea ac simplex, sibi tamen sic satis constans, phaleratam redderet et multis cum fabellis contaminatam, tum peregrinarum rerum narrationibus offertam exaggeratamque.* His ego iudiciis adductus harumque censurarum veritatem ipse non semel expertus, duum virorum istorum testimonio parcius et cautius vtendum censui Turotziumque potius vel mihi sequendum, vel, quum vsus postulauerit, refellendum, aut, vbi licuerit, illustrandum proposui; quem sua haec chronica compilasse post medium seculi XV. inde colligitur, quod testimonio Pii pontificis vtatur (c) qui prius Aeneas Siluius appellatus, ecclesiae praefuit ab A. C. 1458. ad A. C. 1464.



C HISTO-

(a) *Praef. in synt. suum.*
(b) *S. IV. p. m. VIII.*
(c) *Chr. T. I. c. 8. et 9.*

HISTORIA PRAGMATICA
PRIMORVM
HVNGARIAE DVCUM.

XXI.

Historiae huius epocha sex et decem supra seculum annis comprehenditur; et ab A. C. 884, quo dux Almus Hungaros ex auitis in Asia sedibus in Europam eduxit, ad A. C. 1000. quo S. Stephanus, misso Roma sacro diademate redimitus, ducis titulum in regium commutauit, porrigitur. Hoc temporis interuallo praefuerunt Hungaris sex duces; I. Almus, annos circiter 6. II. Arpadus, annos 18. III. Zoltanus, annos 40. IV. Toxus, annos 25. V. Geisa, annos 25. VI. S. Stephanus, titulo ducis annos 3.

§. I.

ALMVS, DVX I.

Coepit A. C. 884. desiit A. C. 889.
A. C. 884. Almi I. Indict. 2.

I. An Almus primus Hungarorum dux fuit?

Primum ducem, sub quo Hungarorum in Europam migratio contigit, Almum fuisse, Belae notarius his verbis innuit: (a) *VII. principales personae communi et vero*

(a) *Cap. V.*

vero consilio intellexerunt, quod inceptum iter perficere non possent, nisi ducem ac praeceptorem super se habeant. Ergo libera voluntate et communi consensu VII. virorum elegerunt sibi ducem ac praeceptorem in filios filiorum suorum vsque ad vltimam generationem Almum, filium Vgek, et qui de eius generatione descenderunt; quia Almus dux, filius Vgek, et qui de generatione eius descenderant, clariores erant genere et potentiores in bello. Isti enim VII. principales personae erant viri nobiles genere et potentes in bello, fide stabiles. Tunc pari voluntate Almo duci sic dixerunt: ex hodierna die te nobis ducem ac praeceptorem eligimus; et quo fortuna tua te duxerit, illuc te sequimur. Hoc Anonymi testimonium tamdiu reiiciendum non est, quamdiu vetustior aliquis scriptor eius auctoritatem non eliserit. Aequissimam enim eam legem semper existimaui, quam Cl. Praius vniuerse sic proponit: (a) *Vt patriis annalibus, dum contraria veteribus, et aetati Hungarorum aut coeuis, aut supparibus scriptoribus narrant, non facile desero; ita, dum isti silentio praetereunt ea, quae domestici narratione complectuntur, si ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possint, non video, cur horum auctoritas in aliorum silentio non valeat.* Atque hinc idem scriptor eruditissimus speciatim etiam Anonymo nostro fidem adhibendam esse, censet,

A. C. 884.

C 2 quo-

(a) *Ann. vet. P. III. p. 342.*

A. C. 884.

quoties aliis contraria non narrat: (a) *Anonymo*, inquit, *si non aliena ab vicinorum chronographis narret; nihil est, cur fidem eatenus non tribuamus*.

II. An Porphyrogenitus in ea re cum Anonymo consentit?

XXII. Hoc igitur praecipue nostram operam exercere debet, vt ostendamus, Anonymum aliena hic ab vicinorum chronographis non narare; nam si ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possit, eius auctoritas in aliorum silentio valere debet. iam vero quis seu Graecorum seu Russicorum aliorumue scriptorum primam Hungarorum ex Asia migrationem ita describit, vt inficiari videatur, eam Almi ducis auspiciis susceptam fuisse? Praecipuus et vnicus fere nobis aduersarius opponitur Constantinus Prophyrogenitus, qui nec inter boebodos primum Almum, sed Lebediam, collocat; et vllum Hungaris principem ante Arpadum praefuisse, differte negat: (b) *Erant*, inquit, *gentes eorum septem; et principem vel indigenam, vel alienigenam habuerunt numquam, sed erant inter ipsos boebodi quidam, quorum primus is, cuius supra mentionem fecimus, Lebedias - - - Ante hunc Arpadum Turcae principem alium nullum vmquam habuerunt.* Hic Porphyrogeniti locus partim Anonymi historiam confirmat, partim aduersariorum sententiam impugnat, partim nostram euertere videtur. Confirmat Anonymi dicta de *septem principalibus personis*, quae

(a) *Diss. V. p.* 100.
(b) *De adm. imp. C. XXXVIII.*

quae septem gentibus, seu tribubus, quarum Constantinus meminit, praefuerint. A. C. 884. Hos tribuum praefectos, Turotzius *capitaneos*, (a) Porphyrogenitus *boebodos* appellat; eodem omnino significatu. Nam vt Hungari tribunos militum voce patria, *fő-hadnagy*, vel ex Latino *caput* detorta, *kapitány* vocamus; ita per Constantini *boedobum* bellidux significatur. Nec est dubium, quod ex Bandurio Cl. Praius innuit (b) hoc *nomine vaiuodam significari, sed a Graecis corruptum esse*. Constat enim, a Graecis nostram liquescentem V. qua destituuntur, in vocibus peregrinis saepe per b. litteram exprimi; quam subinde, qui Graecum opus idiomate Latino reddunt, retinent, quum in V. mutare deberent. Quum igitur, teste Sigefrido Bayero (c) Polonis ac etiam Russis, *voiuoda palatinum* et proprie ducem exercitus significet; Porphyrogenitus autem, vt iterum Cl. Praius obseruat (d) *a Russis multa eorum, quae de Turcis scipserat, didicerit:* hanc eamdem vocem, seu Russicam, seu Polonicam eodem sensu, quo Turotzius suos *capitaneos*, vsurpasse censendus est. Quia vero septem fuisse Turcorum gentes ait; totidem iis *boebodos*, seu *voiuodas*, vel, vt Hungari Slauicam hanc vocem iam

(a) *Chron. P. II. C. II.*
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 306.
(c) *Com. Ac. Petr. T. VIII. p.* 426.
(d) *Diss.* 10. *p.* 233.

A. C. 884. iam adhibemus, *vaiuodas*, quibus Turotzii septem *capitanei*, Anonymi septem *principales personae* respondent, praefuisse dubitari vix potest. Quamuis autem hac parte Porphyrogenitus Anonymi historiam confirmet; quum tamen subiicit: *et principem vel indigenam, vel alienigenam habuerunt numquam*, eorum sententiae crucem figit, qui censent, Turcos, dictos postea Hungaros, ab illis Turcis, quos Hoeikei, seu Kaotchei versus occidentem protruserunt, ortos esse. His enim ex Deguinio sui principes erant; illis ex Porphyrogenito numquam vllus vel indigena, vel alienigena.

III. Quae potissima difficultas in iis conciliandis occurrit? XXIII. Verum idem nobis nodus videtur soluendus, qui ducem Hungaris Almum cum Anonymo damus, antequam Arpadus a Chazaris fuisset inauguratus; quum aeque Constantinus post eius institutionem subiiciat: *Et ante hunc Arpadum Turcae principem alium nullum vmquam habuerunt*. Est quidem hic nodus non nihil intricatus, non tamen Gordius, Almi potestatem adeo mancam nobis Anonymus depingit, vt par fere ceteris ducibus esse videretur. Id ex tertio statu iuramenti colligitur, quem Anonymus his verbis exprimit: (a) *Vt isti, principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi dominum elegerant, quod ipsi, et filii eorum numquam a con-*

(a) *Cap. VI.*

a consilio ducis, et honore regni omnino priuarentur. Atque hinc ceteris ducibus, pari fere potestate praeditis, nihil ab Almo mandatum in Anonymo legimus; at, postquam Arpadus sollemni ritu Chazarorum inauguratus est; is statim pro principe supremo se gerere coepit; quum ipsos duces praecipuos ad varias expeditiones ire iussit, iisque terras arbitratu suo distribuit. Talem profecto principem, tam ampla potestate praeditum, ante hunc Arpadum, vt Constantinus ait, Turcae non habuerunt. Hic enim primus sollemni ritu Chazarorum est inauguratus; hic primus opera ducum aliorum ad arbitrium suum usus; hic primus Hungariam bene meritis ad nutum suum partitus, primus subinde leges Hungaris dedit. (a) Sed obmotam ex hoc Porphyrogeniti loco difficultatem pluribus enodare conabimur, vbi res Lebediae, cum quibus arctissime coniungitur, attigerimus. Nec enim res, posterius actas, nisi quum cogimur, occupamus; nec a Porphyrogenito quicquam de prima Hungarorum ex Asia migratione litteris consignatum existimamus. Lebediam sane non Asiaticae, sed Europaeae migrationis ducem fuisse, postea videbimus. Quare, quae Porphyrogenitus de primo Hungarorum exitu praetermisit, ea prius ex Anonymo, cuius auctoritas in aliorum silentio valere debet, supplebimus,

A. C. 884.

(a) *Anon. Cap. XL.*

A. C. 884.

quam ad Lebediam; aliorum in Europa motuum ac mutationum ducem delabamur.

IV. Vtrum Almus ex Attilae genere descendit?

XXIV. Vt Almum, cuius auspiciis Anonymus ex Asia Hungaros educit, penitius noscamus; iuuat in eius originem, quantum per tenebras illorum temporum licet, inquirere. Multi, qui primas ducum, aut populorum origines ambitiose quaerunt, se minus sollertes arbitrantur, nisi genealogiam eorum ad ipsum Adamum aut Noemum obtorto collo reflectant, indeque serie non interrupta deducant. Intempestiuus Anonymi Turotziani conatus hac in re non immerito notatur, qui progeniem Almi ducis ab ipsis Noemi nepotibus orditur, et per quadraginta fere generationes ad Almum vsque prosequitur. (a) Quanto modestius et cautius Anonymus noster, omissa hac genealogia, quae nullis certis auctoribus texitur, breuiter tantum insinuat, Almum ex Attilae regis progenie descendisse? (b) Sicut enim Liuius ab aequis rerum aestimatoribus magis propterea laudatur, quod, vt ipse loquitur (c) *quae ante conditam condendamue vrbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur*, omittat; ita noster, quod, relictis incertis ducum nostrorum incunabulis obscuraque serie genealogica, vero-

(a) *Chron. P. II. C. I.*
(b) *Cap. V. VIII.*
(c) *In prooem. L. I.*

verosimiliora solum innuat, commendari magis meretur. Et, si Romani, litterarum ac scientiarum gloria florentissimi, primordia suae gentis ignorarunt; quis Hungaris, ad quos litterarum notitia serius peruenit, id vitio vertat, quod remotissimos maiores suos ignorent? Commune hoc est omnibus gentibus fatum, vt primas earum origines alta nox vrgeat. Vtrum autem Almus ex Attilae genere descenderit, non ille quidem probat, sed solum insinuat; posse tamen hanc opinionem sustineri, Cl. Praius agnoscit, (a) si genealogiae nexus ab Irnacho, natu minimo Attilae filio, cui Priscus Rhetor vaticinio promissum scribit (b) Attilae sanguinem ab eo propagandum esse, repetatur. Docet autem Cl. auctor alibi (c) reliquias Attilanas sub Irnacho rege ditiones a Borysthene ad Tanaim protulisse; hic in varias subinde tribus diuisas, vt aliis quidem Cuturgurorum, aliis Vturgurorum nomen adhaereret; docet item, (d) Vturgurum et Cuturgurum, quorum Procopius meminit (e) Irnachi filios, aut nepotes fuisse; sedes vltra citraque Maeotidem ac Tanaim habuisse; nec dubitat, *quin Graecorum Cuturguri et Vturguri ex Hunnico Cuturg-üré et Vturg-üré,* A. C. 884.

 nati

(a) *Ann. Vet. P. III. p.* 311.
(b) *Edit. Ven. p.* 46. *Paris. p.* 68.
(c) *Ann. Vet. P. II. p.* 195.
(d) *Diss. X. p.* 226.
(e) *Goth. L. IV. C. V.*

A. C. 884. *nati ſint, quaſi dicas domini Vturg, aut Cuturg populus: nam è cum accentu proxime enunciatu, ad i accedit.* Addo fortaſſis ab his Vturguri, et Cuturguris, Attilanorum Hunnorum reliquiis, Turcorum nomen Graecos detorſiſſe, quod deinde Hungaris adhaeſerit; fortaſſis etiam ab iisdem Cuturguris vnam Cabarorum tribum *Cuturgemati* dictam fuiſſe, quae deinde, Porphyrogenito teſte (a) Hungaris ſe iunxerit. Sed haec omnia per modum coniecturae dicta ſunto.

V. Quos parentes habuit? XXV. Almi patrem Anonymus Turotzianus *Eleüd*, auum *Vgek* appellat; (b) noſter contra patrem eiusdem *Vgekum* facit; *Eleudium* autem inter ſeptem principales perſonas Almo ſtatim adiungit. Matrem Almi Turotzius filiam *Enodbilii*. MS. *Eunodbiliam*; Anonymus noſter *Emeſam*, *Eunedubeliani* ducis filiam fuiſſe, ceteris diſtinctius memorat, ac etiam initi coniugii tempus ita determinat: (c) *Anno dominicae incarnationis DCCCXVIIII. Vgek erat quidam nobiliſſimus dux Scythiae, qui duxit ſibi vxorem in Dentumoger filiam Eunedubeliani ducis, nomine Emesu, de qua genuit filium, qui agnominatus eſt Almus;* vix eſt credibile, noſtrum ex ſe commentum fuiſſe, tam Emeſae nomen, quam nuptiarum tempus, quod ceteri monumentis, quibus Ano-

(a) *De adm. Imp. C.* 39.
(b) *Chron. P. II. C. I.*
(c) *Cap. III.*

Anonymus vſus fuerit, deſtituti, ſilentio praeteriuerunt. Si proinde fidem Anonymo habemus; et, quo minus habeamus, nihil prohibet, quum hic aliena ab vicinorum chronographis non narret, ſi fidem, inquam, Anonymo habemus, erat Almus, annos circiter 60. natus, quum a ſuis collegis cum certis ſollemnitatibus ac ſub certis conditionibus, adeoque reſtricta poteſtate, dux electus eſt. A. C. 884.

XXVI. Has Anonymus ita deſcribit (a) *Tunc ſupradicti viri pro Almo duce, more paganiſmo, fuſis propriis ſanguinibus in vnum vas, ratum fecerunt iuramentum; et licet pagani fuiſſent, fidem tamen iuramenti, quam tunc fecerant inter ſe, vſque ad obitum ipſorum ſeruarunt, tali modo:* (b) *Primus ſtatus iuramenti ſic fuit: vt, quamdiu vita duraret, tam ipſis, quam etiam poſteris ſuis ſemper ducem haberent de progenie Almi ducis.* Iuramenti huius effectus erat, quod Hungari duces annis 116. reges annis 300. ad obitum ſcilicet Andreae III. qui contigit A. C. 1300. ex Almi ſtirpe virili habuerint, ac hodieque per ſexum femineum deriuato ſanguine prognatam auguſtam et apoſtolicam reginam MARIAM THERESIAM venerentur. *Secundus ſtatus iuramenti ſic fuit: vt, quidquid boni per labores eorum aquirere poſſent, nemo eorum expers ſie-*

VI. Quomodo Hungari fidem Almo iurarunt?

(a) *Cap. V.*
(b) *Cap. VI.*

A. C. 884. *fieret.* Ita quidem, Almo duce, praedae communes erant; sed, Arpado more Chazarorum inaugurato, ducis huius arbitrio regiones occupatae praedaeque distribuebantur. *Tertius status iuramenti sic fuit: vt isti, principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi dominum elegerant, quod ipsi, et filii eorum numquam a consilio ducis et honore regni omnino priuarentur.* Priuati sunt, Arpadoque magis obnoxii tum euaserunt, quum hic ampliorem supremamque potestatem e consilio Chazarorum consensuque suorum obtinuit. *Quartus status iuramenti sic fuit: vt si quis de posteris eorum infidelis fieret contra personam ducalem; et discordiam faceret inter ducem et cognatos suos; sanguis nocentis funderetur; sicut sanguis eorum fuit fusus in iuramento, quod fecerunt Almo duci.* Intemeratam hanc Hungarorum in suos principes fidem et obseruantiam omni tempore viguisse, multis exemplis doceri potest. Vnum e pluribus Ottonis Frisingensis, seculi XII. scriptoris, testimonium adducere iuuerit, qui de sui temporis Hungaris ita loquitur: (a) *Omnes sic principi suo obsequuntur, vt vnusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed et occultis susurris lacerare, nefas arbitretur. - - - Quod si aliquis ex comitum ordine regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non iuste infamatus fuerit; quilibet infimae conditionis lixa,*

(a) *Libr. I. Cap.* 31.

lixa, a curia missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diuersa tormentorum genera trahit. Nec enim verus Hungarus, sed tamquam abortiuus et a reliquorum corpore segregatus habebatur, quisquis in principem legitimum insurgere non verebatur; secundum quintam iurisiurandi formulam, quam Anonymus his verbis exprimit: *Quintus status iuramenti sic fuit: vt si quis de posteris ducis Almi et aliarum personarum principalium iuramentum statuta ipsorum infringere voluerit, anathemati subiaceat in perpetuum.* Ita natus, ita factus, electus, munitus Almus restrictam quidem in suos potestatem; amplam tamen illam, si horum parendi studium spectetur, accepit. Eius nomen patrii scriptores a somno, quo mater eius futuram nasciturí filii gloriosam progeniem repraesentari vidit, vnanimi consensu repetunt. *Et innotuit ei*, scilicet Emesae matri, scribit Anonymus (a) *quod de vtero eius egrederetur torrens, et de lumbis eius reges gloriosi propagarentur, sed non in sua multiplicarentur terra. Quia ergo somnium in lingua Hungarica dicitur Almú* (nunc *álom*) *et illius ortus per somnium fuit prognosticatus; ideo ipse vocatus est Almus.* Consimilia Turotzius habet: (b) *Quia autem somnium Hungarico idiomate Álom dicitur;*

A. C. 884.

(a) *Cap. III.*
(b) *Chr. P. II. C. I.*

A. C. 884. *tur; et illius natiuitas per somnium fuit praenosticata, ideo ipse vocatus fuit Almus.*

VII. Quam in Asia regionem incoluerunt? XXVII. Antequam Almum iter in Europam ingressum exhibeamus; quam in Asia regionem Hungari prius incoluerint, quam inde migrauissent, excutiamus. Anonymus noster eam regionem semel ac iterum *Dentumoger* appellat ac in Scythia trans Tanain ac vltra Pontum Euxinum collocat. (a) Hanc vero Scythiam Anonymus alter, quem Turotzius suum describendo fecit, trifariam partitur, quum ait: (b) *Scythicam regionem vna cingi comprehensione, sed in tria regna, Bostardiam scilicet et Dentiam et Magariam diuidi.* MS. codex pro *Bostardia Bascardiam;* Simon de Keza *Bachardiam* habet; quibus nominibus *Baschiriam* intelligendam esse Cl. Praius extra dubium ponit, (c) *Hungariam autem magnam*, scribit hic alio loco, (d) *Rubruquisius cum Aenea Siluio ad Iaicum fluuium locat, quam regionem ab incolis Batschariam, ex qua male Pascatir ortum est, passim dici, Plancarpinus perhibet* (e) *voce omnino per scriptorum oscitantiam corrupta, quum sine dubio Madscharia rescribendum sit;* quod exemplo vocis *Bisirmen* pro *Musulmen* ab eodem

(a) *Cap. I.*
(b) *Chron. P. I. C. V.*
(c) *Diss. IV. p. 76.*
(d) *Diss. II. p. 32.*
(e) *Art. 5. p. 48.*

dem Plancarpino positae, probat. Quum igitur per *Bostardiam*, *Bascardiam*, *Bachardiam*, *Baschiriam*, *Batschariam*, *Madschariam* ipsa *Magyaria*, seu Turotzii *Magaria* possit intelligi, Turotzianam hanc Scythiae diuisionem superuacaneam esse putat; (a) Anonymique nostri *Dentumoger* ex *Dentia* et *Mogoria* coaluisse suspicatur. Quia tamen Abulgazi testimonium alibi laudat, (b) qui Magyarorum seu Hungarorum sedem ita describit ac designat: (c) *Huic postquam adoleuit, Ogus copias tradidit, vt et Rusch et Olack, et Magyar, et Baschir, qui iuxta Tin et Atil et Iaic colebant, debellaret;* Magyariam et Baschiriam non esse confundendam censeo. Sed quidquid de hoc aliis videatur; ex omnibus, quos adhuc laudauimus, scriptoribus apparet, Magyariam, etiamsi non eamdem, proximam tamen fuisse Baschiriae, quam infra Siberiam et supra regnum Astracanum omnes geographi collocant. Licet igitur neque Dentiam, neque Mogoriam, ex quibus Anonymi Dentumoger coaluit, in antiquis auctoribus inueniamus; vtraque tamen circa Baschiriam esse quaerenda videtur. Neque mihi dubium est, per Constantini *Mazaros* intelligendos esse *Magyaros*, quum ita loquitur: (c) *sciendum est, Pa-*

A. C. 884.

(a) *Dis. IV. p.* 76.
(b) *Diss. IV. p.* 61.
(c) *Bay. Georg. Russ. p.* 385.
(d) *De adm. Imp. Cap.* 37.

A. C. 884. *Patzinacitas a principio ad Atel et Geich flumina habitasse, iisque conterminos fuisse populos illos, qui Mazari atque Vzi cognominantur.* Mazaris Chazaros non esse sufficiendos, vt quidam volunt, ipse loci positus suadet. Quum enim Patzinacitae regionem inter Atel et Geich, seu Volgam et Iaichum fluuios, adeoque hodiernum regnum Astracanum, incoluerint; vt Vzi versus occidentem, ita versus septemtrionem non Chazari, sed Mazari, seu Magyari, qui circa Baschiriam, supra regnum Astracanum sitam, habitarunt, contermini Patzinacitis esse poterant. Nisi hunc Constantini locum de Hungarorum auitis in Asia sedibus accipiamus; nusquam vllum earum vestigium in hoc auctore deprehendemus. Quicquid enim ille de Lebedia, quicquid de locis Atel cusu nuncupatis adfert, id totum Europaeam Hungarorum commorationem, postquam ex Asia demigrassent, spectat. Supplendus igitur hic est Porphyrogenitus, obscure de Mazaris loquutus, ex Anonymo, qui *Dentumogeriam* veterem Hungarorum patriam, vltra Volgam collocat, quum ab Hungaris, ex Dentumoger iter in occidentales plagas ingressis, transmissum esse, scribat (a).

VIII. An aliqua monumenta veterum eam ostendunt?

XXVIII. Et vero reliquiae Hungarorum, quas illic reperiri, plura monumenta docent, eam Anonymi sententiam extra dubium omne ponunt. Luculentissimum est illud,

(a) *Cap. VII.*

illud, quod diligentissimus Desericius ex MS. codice bibliothecae Vaticanae primus eruit ac in lucem emisit. (a) Antiquum hoc esse documentum, ipse titulus loquitur, his verbis expressus: *De facto Vngariae magnae, a fratre Riccardo, ordinis FF. Praedicatorum, inuento, tempore domini Gregorii IX.* Hic enim Gregorius ecclesiae Romanae praefuit ab A. C. 1227. ad A. C. 1241. Et quia Fr. Iulianus cum sociis, *expensis domini Belae, nunc regis Vngariae*, vt ibi scribitur, *vsque Constantinopolim peruenit;* Bela vero IV. Hungaris praeesse coepit A. C. 1235. intra hunc et 1241. annum sacra haec expeditio suscipi debuit. Immo Cl. Praius eam profectionem includit intra annos 1238 et 1240. (b) his laudati monumenti verbis persuasus: *In hac Hungarorum terra dictus frater inuenit Tartaros et nuncium ducis Tartarorum, qui sciebat Vngaricum, Ruthenicum, Cumanicum, Teutonicum, Saracenicum, et Tartaricum idioma; qui dixit, quod exercitus Tartarorum, qui tunc ibidem ad quinque dietas vicinus erat, contra Alemanniam vellet ire, sed alium, quem ad destructionem Persarum miserat, expectabant.* Censet enim, aperte hic indicari Tartarorum irruptionem, quae sub Bela IV. contigit A. C. 1240. et sequentibus. Hic ergo tam antiquus testis, postquam caussam profectionis Asiaticae, semel ac A. C. 884.

D iterum

(a) *De init. Hung. T. I. p.* 170.
(b) *Diss. II. p.* 38.

A. C. 884. iterum tentatae, his verbis aperuisset: *Compassi Vngaris, a quibus se descendisse nouerunt, quod adhuc in errore infidelitatis manerent;* postquam iter posteriorum quatuor fratrum per Constantinopolim, Sichiam, seu Zichiam, et Alaniam, regiones, vltra Pontum Euxinum et montem Caucasum sitas, vnde duo reuerterint, descripsisset; et superatis 37. dierum spatio desertis, vnius apud Saracenos mortem, alterius in Bulgariam profectionem retulisset; ita veterem Hungarorum sedem describit: *In vna magna eiusdem prouinciae* (Bulgariae) *ciuitate, de qua dicuntur egredi quinquaginta millia pugnatorum, frater vnam mulierem Vngaricam inuenit, quae de terra, quam haberet, ad partes illas tradita fuit viro. Illa docuit fratrem vias, per quas esset iturus, asserens, quod ad duas dietas ipsos posset Vngaros, quos quaerebat, procul dubio inuenire. Quod et factum est. Inuenit enim eos iuxta fluuium magnum Etil. Qui eo viso, et, quod esset Vngarus, intellecto, in aduentu ipsius non modicum sunt gauisi, circumducentes eum per domos et villas, et de rege et regno Christianorum fratrum ipsorum fideliter perquirentes. Et quidcunque volebat tam de fide, quam de aliis, eis proponere, diligentissime audiebant; quia omnino habebant Hungaricum idioma: et intelligebant eum, et ipse eos.* Videmus igitur ex insigni hoc monumento, veterem Hungarorum sedem ad Bulgariam magnam, a Volga fluuio Volgariam ac Vulgariam olim dictam, quaerendam

rendam

rendam esse. Videntur illi plagas illas, quas hodie Casanense regnum et Permiae magnae ducatus occupant, circa Camam fluuium insedisse, ac ad orientem partim Baschiriam, partim Siberiam habuisse. Huc enim frater ille Iulianus ex magna Bulgariae ciuitate, quae Bulgar ipsa, prouinciae metropolis, fuerit, bidui spatio peruenire facile potuit. Ipse reditus eiusdem per Morduinos, Casanensibus et Bulgaris cis-Volgam praetensos, suadet, illic Hungaros coluisse. Sic autem reditus illius sub finem exhibetur: *Quum igitur vellet reuerti, docuerunt eum iidem Vngari viam aliam, per quam posset tutius peruenire. Incepit autem frater redire tribus diebus ante festum natiuitatis B. Ioannis Baptistae, et paucis diebus in via quiescens, tam per aquas, quam per terras, secundo die post natiuitatem domini Vngariae portas intrauit. In redeundo de praedicta Vngaria transiuit in fluuio regnum Morduanorum quindecim diebus, qui sunt pagani et adeo homines crudeles, quod pro nihilo reputatur homo ille, qui multos homines non occidit. Et quum aliquis in via procedit, omnium hominum capita, quos occidit, coram ipso portantur. Et quanto plura coram vnoquoque portantur capita, tanto melior reputatur. De capitibus vero hominum scyphos faciunt, et libentius inde bibunt. Vxorem ducere non permittitur, qui hominem non occidit.* Vix crudeles adeo barbarorum Morduinorum manus Fr. Iulianus euasisset, nisi vel commeatum ab Hungaris ac-

A. C. 884.

A. C. 884. accepiſſet, vel hos ipſos, quos Finnici Hunnicique corporis ac propterea Hungarorum cognatos fuiſſe, Cl. Praius ſuſpicatur, (a) aliqua linguae communis notitia ſibi deuinxiſſet. Ceterum vtcumque hoc fuerit, ex ratione huius itineris apparet, Hungariam magnam, ſeu Belae notarii Dentumogeriam, vltra Volgam in Aſia ſitam fuiſſe. Plura hanc in rem teſtimonia laudat Cl. Praius, (b) vt Ioannis de Plano Carpini, ſeu Plancarpini, ex familia S. Franciſci Seraphici, quem Innocentius IV. ad Keyuk Chanum ire iuſſerat A. C. 1246. Vilhelmi Rubruquiſii, ex ordine Capucinorum, quem Ludouicus IX. Galliarum rex ad Mangu Chamum miſerat A. C. 1253. His tribus ſeculi XIII. teſtibus adiungit ſeculi XIV. litteras, a Clemente VI. ad Ianibegum, Tartarorum imperatorem, datas A. C. 1343. ex quibus conſtat, *Eliam de Hungaria, ordinis minorum, non modicas in hac gente ad fidem acceſſiones feciſſe.* (c) Addit etiam ſeculi XV. ſcriptorem Bonfinium, qui Mathiae Coruini conatum traducendorum inde popularium in Pannoniam attingit. (d) Recentiſſimum denique producit exemplum ex vita P. Adami Schall in haec verba: (e) *Memoriae proditum eſt, patrem de*

(a) *Diſſ. II. p.* 39.
(b) *Diſſ. II. p.* 38.
(c) *Ex Raynald. ad A. C.* 1343.
(d) *Dec. I. lib.* 3.
(e) *Diſſ. II. p.* 36.

de societate, natione Hungarum, à Turcis captum, per eos ad Tartaros hosce, qui Volgam accolebant, *venumdatum peruenisse. Retulit ille postea per litteras, Romam perscriptas, hoc exsilio se in patriam eiectum esse: reperisse se ibidem homines eodem, quo Hungari, vtentes idiomate; planeque eos, a quibus Hungari quondam processisse videntur. Proinde pro pretio redemtionis non litrum, sed socios postulare, qui auitam gentem patria religione vna secum imbuant.* Haec aliaque quorum Cl. Kaprinaius meminit, (a) dubitare nos non sinunt, auitam maiorum nostrorum patriam Anonymique nostri Dentumogeriam vltra Volgam fluuium quaerendam esse. Nec obest Turkolyii, Szikszouiensis Hungari, testimonium, qui Petropoli non semel ad mare Caspium profectus, ad Cumam fluuium exstare quidem rudera palatii, quod incolae Hungarum, seu *Magyar*, vocent; idiomatis tamen Hungarici nullum in iis locis vestigium superesse, scripsit ad suos A. C. 1720. Nam nec in iis Hungariae hodiernae partibus, in quibus olim Hungaros coluisse constat, vbique Hungaricum idioma viget. Facile nempe dialectum Hungari per octingentos et amplius ad Turkolyium annos ita commutauerint, vt ab eo non potuerint intelligi; cuius rei plura nobis exempla Cl. Sainovitsius in erudita demonstratione sua suppeditat. A. C. 884.

(a) *Dipl. suppl. p. 556.*

A. C. 884.

IX. Cur auitam illam sedem Hungari deseruerunt?

XXIX. Cur autem Hungari Dentumogeriam, auitam in Asia sedem suam, deseruerint; Anonymus semel ac iterum non aliam fuisse caussam asserit, quam quod ita fuerit auctus eorum numerus, vt angustiis regionis illius capi porro non potuerint: *Scythica*, inquit, (a) *terra quanto a torrida zona remotior est, tanto propagandis generibus salubrior. Et quamuis admodum sit spatiosa, tamen multitudinem populorum inibi generatorum non alere sufficiebat, nec capere. Quapropter septem principales personae, qui Hetumoger* (hét Magyar) *dicti sunt, angusta locorum non sufferentes, ea maxime deuitare cogitabant. Tunc hae septem principales personae, habito inter se consilio, constituerunt, vt ad occupandas sibi terras, quas incolere possent, a natali discederent solo.* Postquam in eamdem sententiam infra loquutus fuisset, regionem, quam petere constituerunt, ita designat; (b) *Tum elegerunt sibi quaerere terram Pannoniae, quam audiuerant, fama volante, terram Attilae regis esse, de cuius progenie dux Almus, pater Arpád, descenderat.* Aliam quidem migrationis Hungarorum caussam, cladem scilicet a Patzinacitis acceptam, Porphyrogenitus assignare videtur, quum ita loquitur: (c) *Bello autem inter Turcas et Patzinacitas, tunc temporis Cancar cognominatos*

(a) *Cap. I.*
(b) *Cap. V.*
(c) *De adm. imp. C. 38.*

tas, exerto, Turcarum exercitus deuictus fuit atque in partes duas diuisus. Et earum vna quidem orientem versus, partem Persidis incoluit - - - Altera autem pars occidentem versus sedes posuit. At hanc de Turcis seu Hungaris, victoriam non in Asia, sed in Europa Patzinacitas retulisse, postea videbimus; non igitur primae Hungarorum ex Asia migrationis, sed alterius in Europa profectionis nouaeque sedis in locis Atelcusu nuncupatis, postquam in regione Lebedia Hungaros Patzinacitae vicissent, caussam hoc loco Porphyrogenitus assignat. Quare, quum iste silentio praeterit primae Hungarorum migrationis caussam, quam domesticus Anonymus narratione complectitur, secundum regulam, a Cl. Praio depromtam, (a) *non video, cur huius auctoritas in illius silentio non valeat.* A. C. 884.

XXX. Eadem de caussa Porphyrogenitus Anonymo nostro non aduersatur, quum Hungarorum migrationem defigere videtur ad A. C. 894. aut 895. (b) quam Anonymus decennio prius collocat. Aliam enim Hungarorum profectionem Anonymus, aliam Porphyrogenitus describit; Europaeam iste, quum Asiaticam ille sic ad certum annum reuocat. (c) *Anno dominicae incarnationis DCCCLXXXIIII. sicut in* X. Quo tempore hanc profectionem susceperunt

 an-

(a) *Annal. vet. P. III. p.* 342.
(b) *De adm. imp. C.* 37.
(c) *Cap. VII.*

A. C. 884. *annalibus continetur chronicis, septem principales personae, qui Hetumoger vocantur, egressi sunt de terra Scythica versus occidentem.* Annales illi, quibus haec epocha migrationis continetur, forte Tartarica clade hausti perierunt, quibus Anonymus Turotzii destitutus aliam manifestis erroribus refertam, eiusdem migrationis epocham ita constituit: (a) *Anno igitur ab incarnatione domini IESV Christi septingentesimo quadragesimo quarto; a morte vero Attilae regis anno trecentesimo primo, vulgariter Magyari, siue Hunni, Latine vero Hungari, tempore Constantini V. imperatoris et Zachariae papae, denuo ingressi sunt Pannoniam.* Verum quidem est, et Constantinum V. seu Copronymum, et Zachariam papam vixisse A. C. 744. sed falsum, hoc anno Hungaros denuo Pannoniam ingressos esse, quum omnium tam Graecorum, quam Latinorum scriptorum testimonio constet, hac aetate rerum in Pannonia potitos Auares fuisse. Falsum etiam, laudatum annum 744. ab Attilae morte fuisse 301. Nam si hunc cum verisimiliore sententia statuamus mortuum A. C. 454. annus, quo Hungarorum ingressum in Pannoniam ille constituit, fuit ab Attilae morte 290. si vero rationem ducamus ab A. C. 445. quo Turotzianus Anonymus Attilae mortem consignat (b) ab Attilae Regis obitu fluxerunt anni 299.

In

(a) *Chron. P. II. C. I.*
(b) *Chron. P. I. C. XXII.*

In Anonymi vero noſtri ſententia, inter Attilae mortem, qui veroſimilius contigit A. C. 454. et Hungarorum ex Aſia migrationem, quam ille figit ad A. C. 884. interceſſerunt anni 430. Atque hac in re noſtrum potius, quam Turotzianum Anonymum audiendum eſſe, dubitare nos non ſinunt orientales et occidentales hiſtorici, quorum nullus Hungarornm exitum ad ſeculum VIII. cum Turotzio, ſed ad ſeculum IX. omnes cum Belae notario collocant; etſi certum exitus annum, vt Anonymus noſter, non conſignent, eumque plerique cum ingreſſus in Pannoniam anno confundant, vt deinde videbimus. Dandulus tamen, ſcriptor Venetus, vtcumque cum Anonymo conſentit, quum circiter A. C. 885. in haec verba ſcribit: (a) *Eodem tempore gens Vngarorum e Scythia egreſſa in Pannoniam primitus venit.* Sed, vt videmus, nec annum determinat, nec egreſſum e Scythia diſtinguit ab ingreſſu in Pannoniam, quum tamen certum ſit, plures inter hunc et illum annos defluxiſſe.

A. C. 884.

XXXI. Magnum fuiſſe numerum Hungarorum, ex Aſia migrantium, Anonymus noſter his verbis indicat: (b) *Almus dux, filius Vgek, de genere Magog regis, vir bonae memoriae, dominus et conſiliarius eorum, vna cum vxore ſua et filio ſuo Árpád*

XI. Quanto numero Hungari hoc iter ingreſſi?

(a) *Ap. Pr. An. vet. P. III. p.* 321.
(b) *Cap. VII.*

A. C. 884. *pád, et duobus filiis Hulec, auunculi sui, scilicet Zuard et Cadusa, nec non cum multitudine magna populorum non numerata foederatorum de eadem regione egressus est.* Turotzius autem etiam numerum egressorum ita determinat: (a) *Vniuersum coetum armorum, quem ducebant, in septem exercitus diuiserunt, et vnicuique exercitui capitaneum specialem praeficientes, centurionesque et decanos, more solito, constituerunt; et vnusquisque exercitus triginta millia virorum armatorum, nec non octingentos quinquaginta septem continebat. Nam in secundo eorumdem de Scythia egressu de centum et octo tribubus ducenta et sedecim millia, de vnaquaque tribu scilicet duo millia armatorum, excepto familiae numero, eduxisse perhibentur.* Quoniam hoc loco Turotzianus Anonymus contraria veteribus et aetati Hungarorum aut coaeuis aut supparibus scriptoribus non narrat, nihil obstare videtur, quo minus ei deferamus. De septem exercitibus totidemque *capitaneis*, quos Anonymus noster *septem principales personas*, vulgo *Hetumoger*, seu *Hét Magyar* antonomastice vocat, indicium aliquod etiam apud Porphyrogenitum exstat, quum ita de Turcis scribit: (b) *Erantque gentes eorum septem; et principem vel alienigenam, vel indigenam habuerunt numquam, sed erant inter ipsos boebodi quidam.* Per hos Constantini boebodos

(a) *Chr. P. II. C. II.*
(b) *De adm. imp. C.* 38.

dos, tam Turotzii capitaneos, quam Anonymi septem principales personas accipi posse, iam alias innuimus. Secundum esse hunc Hunnorum seu Hungarorum de Scythia egressum, Turotzius non male scribit; nam licet etiam illos Auares, qui Hunnos inter ac Hungaros Pannoniam obtinuerunt, Hunnici generis fuisse, non inficiemur; illi tamen non ex iisdem centum et octo tribubus, ex quibus tam Hunnos, quam Hungaros, in Pannoniam egressos, annales patrii deducunt, descendisse videntur. Vix enim est credibile, domestica chronica tam pertinaci silentio pressura fuisse omnem Auarum, tam potentium, tam late diuque dominantium, memoriam, si hos indidem ortos nostri maiores agnouissent. A. C. 884.

XXXII. Rebus omnibus ad iter tam longinquum rite comparatis, septem Hungarorum duces, quorum praecipuum Almum fuisse vidimus, popularibus suis in septem exercitus, vt Turotzius innuit, distributis, Europam versus ex Asia mouerunt, superatisque quibusdam desertis, quae Volgam inter ac veterem Magyariam interiacebant, multitudinem omnem per fluuium Etil, seu Volgam, traduxerunt. *Venientes autem*, inquit Anonymus, (a) *dies plurimos per deserta loca et fluuium Etyl super Tulbou sedentes ritu paganismo transnatauerunt.* Non igitur vetus Magyaria Vol-

XII. Per quas plagas versus occidentem profecti?

(a) *Cap. VII.*

A. C. 884. Volgae fluuio ſtatim adiacebat, licet Fr. Iulianus, de quo ſupra, Hungaros inuenerit *iuxta fluuium magnum Ethil.* Hi nempe ſerius ea deſerta, quae prius vltra Volgam erant, vel a Tartaris a tergo preſſi, vel numero rurſum aucti, ſenſim excoluerint, et ad Volgam vſque ſuas ſedes promouerint. Nouimus enim et in Hungaria quoque videmus, plagas multas, antea ſiluis et ſentibus horridas, multiplicato populo, neceſſaria ſedulaque cultura florentiſſimas euaſiſſe. Non igitur vetuſtum illud teſtimonium Anonymo noſtro hic aduerſatur; immo potius id, quod iam alias innuimus, ex vtroque confirmatur, vltra Volgam auitas Hungarorum ſedes fuiſſe; licet, quanto ſpatio hinc diremtae fuerint, ignoremus. Niſi vero per Anonymi *tulbou* noſtrum *talp-hajó*, ſeu rates intelligantur, quid ea vox ſibi velit, mihi prorſus incertum eſt. In Anonymo ſane multae huiusmodi voces occurrunt, vel errore librariorum corruptae, vel aliter olim, quam nunc, vſurpatae; ſic *Soviou* pro *Sajó*; *Geuru* pro *Győr*, *Zogea* pro *Zagyva* ceteraque his ſimilia legimus ac ex adiunctis dumtaxat has voces ita reſcribendas eſſe colligimus. Nec eam vel ortographiae vel linguae Hungaricae varietatem mirari poterit, qui meminerit, apud Romanos quoque, lingua Latina nondum ſatis exculta, has voces: *poſtidea ſuom mareitom porporea poplice mereto ornauet*, pro his: *poſtea ſuum maritum purpura publi-*

ce

ce merito ornauit, vſurpatas fuiſſe, ſicut igitur hos non vere Latinos, ſic illos non vere Hungaros ex hac ſcribendi loquendique ratione male quis argueret. Sed in viam cum Hungaris redeamus. A. C. 884.

XIII. Quibus alimentis per tantum iter vſi?

XXXIII. Magnus ille Hungarorum, ex Aſia migrantium, numerus magno habuiſſet opus commeatu, niſi victu facile parabili vitam ſuſtentaſſet. Hunc Anonymus ita nobis exhibet: (a) *Numquam viam ciuitatis vel habitaculi inuenerunt, nec labores hominum comederunt, vt mos erat eorum, ſed carnibus et piſcibus veſcebantur, donec in Ruſciam, quae Suſudal vocatur, venerunt. Et iuuenes eorum fere quotidie erant in venatione; vnde a die illo vſque ad praeſens Hungarii ſunt prae ceteris gentibus meliores in venatu.* Prorſus eamdem viuendi rationem Regino, qui ſub eadem haec tempora vixit, ac ſcripſit ad A. C. 908. Hungaris tribuit, quum eorum indolem et conſuetudinem ita pingit: (b) *Natura taciti; ad faciendum, quam ad dicendum proniores - - - Lanae his vſus, ac veſtium ignotus; et quamquam continuis frigoribus afficiantur, pellibus tantum ferinis ac murinis induuntur - - - Venatu, ac piſcatione quotidianum victum quaeritant - - - Multa millia ſagittis interimunt, quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, vt earum ictus vix praecaueri*

(a) *Cap. VII.*
(b) *Ad A. C.* 889.

A. C. 884.

ueri poſſit - - - Pugnant autem, procurrentibus equis, aut terga dantibus; ſaepe etiam fugam ſimulant - - ac paullo poſt, pugnam ex fuga repetunt, vt, quum maxime viciſſe te putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit. Haec ipſis ſynchroni verbis referre placuit, vt, quales ſub primum in Europam aduentum Hungari fuerint, ex fide teſtis adeo vetuſti diſcamus. His illi moribus, his artibus inſtructi tam longinquum iter ſuſceperunt; obuia quaeuis obſtacula feliciter perruperunt; in terra, multis votis exoptata, tandem conſederunt. Si cupediis, ſi deliciis aſſueti fuiſſent, ſi victu tam facili paratu vitam non toleraſſent; numquam regionem iſtam ſibi poſterisque vindicaſſent.

A. C. 885.

A. C. 885. Almi 2. Indict. 3.

XIV. Quando Suſdaliam attigerunt?

XXXIV. Quanto tempore Hungari plagas illas, quae Susdaliam vſque porriguntur, emenſi fuerint, nec Anonymus, nec alius vllus ſcriptorum veterum litteris conſignauit. Si rationem inermis impeditaeque turbae habeamus, quam ſecum trahebant, annus abire facile potuit, dum Ruſſiam attingerent. Hanc Ruſſiam a fluuio Volga, quem Ptolemaeus, et hodieque Morduini Rha, Slauicae gentes etiam Ros et Rus appellant, dictam fuiſſe cenſet Bayerus: (a) *Vt*, inquit, *nunc Bulgari, a Volga*

(a) *Pet. Coll. T. I. p.* 398.

ga profecti, nomen a fluuio tractum conseruant; ita Russos, opinor, ab eodem dictos, et Roxolanos, quasi Alanos ad Rossum fluuium. Ab hoc fluuio Ros dictos Rossos, seu Ruthenos, Hungari hodie quoque vocant *Orosz.* In hac igitur opinione, Volgae fluuio Russia vetus adiacebat, cuius Metropolis vel Susdalia, vel Nouogradum tunc fuerit, postea vero Volodimeria regni sedes euasit, a Volodimere duce condita A. C. 1015. (a) Mirum igitur non est, Anonymum neutrius meminisse, quod vtraque post transitum Hungarorum surrexerit. At Susdalia, quae regioni cognomini appellationem dedit; iam tunc exstabat; eamque primum Hungaros attigisse, Belae notarius ita commemorat: (b) *Et sic Almus dux cum omnibus suis venientes, terram intrauerunt Rusciae, quae vocatur Susdal.* Gentis *Rhos* annalista Metensis meminit iam ad A. C. 839. Rossorum autem Porphyrogenitus n. 33. Per eamdem Susdaliam, Russiae prouinciam, non tantum Hungaros, sed etiam veteres Hunnos, Anonymus Turotzianus traducit, quum de his ita scribit: (c) *Bessos ac Cumanos albos, tandem Susdalos, dehinc Ruthenos crudeli sub dominatione pertranseuntes*; de Hungaris vero hunc in modum: (d) *Transeuntes igitur*

A. C. 885.

(a) *Bayer. Petr. Coll. T. VIII. p.* 400.
(b) *Cap. VII.*
(c) *Chr.* P. I. C. X.
(d) *Chr.* P. *II.* C. *I.*

A. C. 885. *igitur per regnum Bessorum, alborum Cumanorum, Susdaliam, et ciuitatem, Rio* (Kio) *nominatam.* Quidquid sit de Hunnorum; de Hungarorum certe transitu per Susdaliam, cuius vterque meminit, ex traditione maiorum, ambigere vix possumus.

A. C. 886. *Almi* 3. *Indict.* 4.

A. C. 886.

XV. Quomodo Kiouiam peruenerunt?

XXXV. Quia Susdalia centum et amplius passuum millibus Kiouia dirimitur, facile rursus in emetiendo hoc spatio Hungari, cum tot impedimentis annum istum et superiorem consumserint. Anonymus quidem nullius pugnae, quam in transitu cum populis interiectis habuissent, meminit; si tamen Ossostouitius aliquam fidem meretur, huc referendum videtur, quod ex eo Coialouitius in haec verba refert: (a) *Poloucios Hungari, ab Hugro fluuio Pannoniam versus tendentes, ad Tanaim fuderunt.* Nec enim alias Hungari tam prope Tanaim fluuium, quam, quum, Susdalia relicta, versus Kiouiam tendebant, accesserunt. Nisi forte hoc praelium eo tempore Hungari commiserint, quum, victis Kiouiensibus, in omnem late viciniam procurrerunt, armaque victricia versus Tanaim quoque protulerunt. Anonymus certe, sicut relata hac de Kiouiensibus *victoria, terras Ruthenorum sibi subiugasse* Hungaros asserit;

(a)

(a) *Ap. Bayer. Petr. Coll. T. X. p.* 413.

(a) ita Kiouiam vſque pacatum illos iter habuiſſe, nec vllum cum Polouciis, vel cum aliis populis certamen iniuiſſe, teſtari videtur, quum ita ſcribit: (b) *Poſtquam autem ad partes Ruthenorum peruenerunt, ſine aliqua contradictione vſque ad ciuitatem Kyeu tranſierunt; et dum per ciuitatem Kyeu tranſiſſent, fluuium Denep transnauigando voluerunt regnum Ruthenorum ſibi ſubiugare.* Ruthenorum nomen hoc ſeculo iam exſtitiſſe, patet ex illo Photii: (c) *Gens illa, quae crudelitate ac caedibus omnes ſuperat, qui Rutheni dicuntur.* Hos autem Ruthenos a Roxolanis ortos eſſe, quidam exiſtimant, eosque Ruſſiam rubram incoluiſſe, cuius metropolis ad Boryſthenem, ſeu Dniepper, Anonymo Denep, erat Kiouia, prius quidem Polonici, iam vero Ruſſici iuris ab A. C. 1682. Hanc Rutheniam, ſeu Ruſſiam rubram, quae hodie Volhyniam, Podoliam et Vcrainam complectitur ac in palatinatus Kiouienſem, Braclauienſem, Camenecenſem, Luſucenſem, Chelmenſem, Belzenſem, Lembergenſem, qui Halitiam continet, diuiditur, ad ictum Hungari deſtinarunt, ac inprimis Kiouiam in maximum timorem ac ſolicitudinem coniecerunt.

A. C. 886.

E A. C.

(a) *Cap. IX.*
(b) *Cap. VIII.*
(c) *Ap. Pag. T. II. p. 651.*

A. C. 887.

XVI. Cur Kiouienses Hungaros reformidarunt?

A. C. 887. Almi 4. Indict. 5.

XXXVI. Caussam soliciti huius timoris eam Anonymus reddit, quod nondum Kiouienses eius iugi memoriam deposuerint, quod olim eorum maiores sub Attila ferre debuerunt. *Tunc*, inquit, (a) *duces Ruthenorum, hoc intelligentes, timuerunt valde, eo quod audiuerunt Almum ducem, filium Vgek, de genere Attilae regis esse, cui proaui eorum annuatim tributa persoluebant.* Quod hic de tributis, olim Attilae dependis, dicitur, verum esse, Priscus Rhetor docet, quum Attilanam potentiam ita describit: (b) *Nemo vmquam eorum, qui in Scythia, vel alibi regnarunt, tantas res tam breui tempore gessit. Totius Scythiae dominatum sibi comparauit, et ad oceani insulas vsque imperium suum extendit, vt etiam Romanos tributorum praestationi obnoxios habeat.* Immo Hunnos ipsos hic olim coluisse, chronica Slauorum auctoris incerti, quae Lindebrogius edidit, in haec verba testantur: (c) *Rutia* (Russia) *a Danis Ostragard, id est, in oriente posita, affluens omnibus bonis, vocatur. Dicitur etiam Chunigard, eo quod sedes Hunnorum primo ibi fuerit. Huius metropolis Chue.* Totidem fere verbis eadem Adamus Bremensis (d) et

(a) *Cap. VIII.*
(b) *Edit. Ven. p. 43. Paris. p. 64.*
(c) P. 189. *coll. Petr. T. X. p.* 395.
(d) *Pag.* 58.

et Helmoldus (a) referunt; vnde sicut Chunigard, ita Chue, seu Kiouiam, ab Hunnis fuisse dictam, aliqui putant. Cl. Praius per Hunnos, qui primas Kiouiae sedes habuerint, antea censuit, (b) accipiendos esse Cabaros, qui subinde Hungaris se iunxerint; postea vero Finnos, quos Hunnis adnumerat, Chunigardiae nomen indidisse statuit. (c) Sed quia nondum ex vllo veterum testimonio mihi liquet, Finnos vsque Kiouiam dominationem suam porrexisse, vel in Chunigardia sub nomine Hunnorum, a quibus eam denominationem profectam, laudati scriptores affirmant, aliquando consedisse; dubitari potest; an non verosimilius illi Hunni regionem istam incoluerint, quos cl. auctor, *Irnacho rege ditiones a Borysthene ad Tanaim protulisse docet.* (d) Nempe facilius et illi Hunni, sedibus occidentalibus emoti, huc ad gentes tributarias se recipere poterant, dum conualescerent; et hi populi longius Hunnorum iugum experti, viuacius eiusdem seruitutis meminerant, dum Hungari, Hunnorum illorum posteri, rursus his regionibus imminerent. A. C. 887.

XXXVII. Kiouiensibus igitur aduentantium Hungarorum metu perculsis, quia dux XVII. Quos in auxilium aduersus illos euocarunt?

E a eo-

(a) *Lib. I. C. I.*
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 331.
(c) *Diss. I. p.* 12.
(d) *Ann. vet. P. II. p.* 195.

A. C. 887. eorum vitam, quam regnum, amittere maluit, habito cum ſuis conſilio, ſeptem Cumanorum duces per celeres nuncios in auxilium euocauit. *Tunc hi VII. duces*, inquit Anonymus, (a) *quorum nomina haec fuerunt: Ed, Edum, Etu, Bunger, Ouſad, pater Vrſuur, Boyta, Retel, pater Oluptulma, non modica multitudine equitum inſimul coadunata, cauſſa amicitiae ducis de Kyeu, celerrimo curſu contra Almum ducem venerunt.* Vnde hi Cumani venerint, non videtur anxie quaerendum, ſi vera ſcribit auctor Stepennaiae Knigae ad A. C. 866. Poſtquam enim hic enarraſſet, Oſcoldum et Dirum, Ruſſorum Kiouienſium duces, Conſtantinopolitanam expeditionem ſuſcepiſſe, de patria Cumanorum haec ſubiicit: (b) *Erant in eorum exercitu Cumani, qui ad Pontum Euxinum habitabant.* Hoc primum apud ſcriptores indicium de Cumanis eſt proditum, vt Cl. Praius obſeruat, (c) *quos Graeci paſſim Tauroſcythas compellant, argumento ſatis veriſimili, Cumanos eo tempore in Taurica, et finitimis ditionibus coluiſſe.* Certe Koeleriana Danubii mappa Kumam infra Braclauiam collocat; quod indicare videtur, Cumanos ab Euxino Ponto Tauricaque ditionem ſuam eouſque porrexiſſe. Quare quum iam ante vicenos annos hi Cumani ſocietatem armorum adver-

(a) *Cap. VIII.*
(b) *Petr. Coll. T. VI. p.* 366.
(c) *Diſſ. IV. p.* 79.

versum Graecos cum Kiouiensium ducibus, iniuerint; nunc etiam aduersus Hungaros eo facilius iisdem subsidio venire poterant, quo propiores periclitantibus erant. Nec enim discrimen adeo vicinum, quod a multitudine Hungarorum impendebat, moram tantam patiebatur, vt auxilia remotioribus e regionibus arcesserentur. Postquam Cl. Praius hanc sententiam promsisset, hosque Cumanos non alios ab Chazaris fuisse docuisset; nouam e Porphyrogenito difficultatem in haec verba mouet: (a) *Turci - supra Doneczi fontes vltra Bugum, ac sensim vsque ad Istrum pertinebant, ita vt inter Russos et Chazaros medii prius essent, quam a Patzinacitis illinc proturbarentur. Si quid igitur hostile Turci in Kiouiam tentassent, et Cumanos Olego suppetias, vt vult Belae notarius, venire oportuit; necesse erat, illos per medium Turcarum, seu Hungarorum, Kiouiam penetrasse.* Sed enim, quum Belae notarius, Cumanos Kiouiensibus suppetias venisse vult, nondum, vt ex eius narratione patet (b) vltra Bogum Hungari consederunt; nec igitur auxiliares Cumani per eorum medium Kiouiam penetrare debuerunt. Licet autem hac primum aetate proprium Cumanorum nomen euulgatum sit; non ideo recte colligitur, tunc demum eos in his plagis sedem nactos fuisse. Videntur enim prius communibus vel

A. C. 887.

E 3 Vtur-

(a) *Diss. IV. p. 80.*
(b) *Cap. VIII. IX.*

A. C. 887.

Vturgurorum, vel Chazarorum nominibus appellati fuisse.

XVIII. Qua fortuna praelium cum iis commiserunt?

XXXVIII. Antequam auxilia Cumanorum Kiouiam aduenissent; Rutheni, moenibus suis inclusi, nihil aduersus Hungaros, licet itinere longo fessos, audebant. At, acceptis amicorum suppetiis, *dux de Kyeu*, vt Anonymus scribit (a) *cum exercitu suo obuiam processit eis et adiutorio Cumanorum.* Nec Almus quicquam cunctatus, postquam necessaria quiete suos refecisset, arma mox induit, aciem celeriter instruxit, huc illuc equo pernici vectus acrioresque suis ad pugnandum stimulos additurus, in memoriam iis reuocauit promissa, quibus initio huius expeditionis se nouas terras ferro quaesituros spoponderant: non esse metuendam Ruthenorum et Cumanorum multitudinem, quod virtus non in numero, sed animo consistat: vnum saepe leonem multos ceruos in fugam egisse: paucos olim Scythas grandium Darii copiarum vires elisisse: non minus proinde timendam esse hostium, quam muscarum multitudinem, quae lenibus flabellis abigantur. Non erat multis opus ad excitandos Hungarorum animos, qui vix tubas bellicas exaudiuerunt tanto mox impetu hostium aciem inuaserunt, vt ipsi duces Ruthenorum et Cumanorum celeri fuga Kiouiam se receperint. *Tunc Almus dux*, pergit [illegible]onymus, *e[illegible] sui*

(a) Cap. [illegible]

sui milites, persequentes Ruthenos et Cumanos vsque ad ciuitatem Kyeu et tonsa capita Cumanorum Almi ducis milites mactabant, tamquam crudas cucurbitas. Duces vero Ruthenorum et Cumanorum, in ciuitatem ingressi, videntes audaciam Scythicorum, quasi muti remanserunt. Indulgendum est Anonymi candori stiloque minus culto, quod, seculo nondum satis expolito, scripserit; et, si nonnumquam *ornari res ipsa vetat, contenta doceri;* veritatem potius, quam stili venustatem in eo spectemus. A. C. 887.

XXXIX. Edito hoc virtutis et bellicae fortitudinis exemplo, prona dehinc omnia Hungaris erant ad Rutheniam subiugandam, qua spoliis exhausta, Kiouiam ipsam obsidione cinxerunt. Iam scalas moenibus admouebant, quum duces inclusi, desperata salute, pacem Almo per legatos obtulerunt. (a) Almus, eius conditionis, qua dux a collegis electus erat, memor, ne scilicet iidem *a consilio ducis et honore regni omnino priuarentur;* (b) priusquam legatis responsum redderet, suos in consilium adhibuit ac ex eorum sententia Ruthenis ita respondit: (c) *Vt duces et primates sui filios suos in obsides darent; tributumque annuatim persoluerent decem millia marcarum; et insuper victum, vestitum et alia necessaria.*

XIX. Quid Hungari, victis Ruthenis et Cumanis, egerunt?

 Opus

(a) *Cap. IX.*
(b) *Anon. Cap. VI.*
(c) *Cap. IX.*

A. C. 887.

Opus nimirum erat obſidibus optimatum filiis, vt ſubacta gens in officio contineretur; opus pecuniis, quibus in Europa iam vterentur; opus victu veſtituque, quod in locis cultioribus iſta difficilius, quam antea, venatu compararentur. Obſidem Kiouienſium ducis filium Hungaris datum Cl. Praius in dubium propterea vocat, quod Olego, quem Kiouienſibus Igoris vice praefuiſſe cenſet, nullum fuiſſe filium, ex ſilentio ſcriptorum coniiciat. (a) At num hic Olegus, cuius tutelae Ruricus Igorem, filium impuberem, reliquit A. C. 877. Kiouiam poſt quinquennium occupauerit, eoque ſedem Nouogrodio tranſtulerit, vt Cl. auctor vult (b) adeoque Kiouienſibus eo tempore, quo Hungari hoc iter habebant, et obſidem ducis filium depoſcebant, praefuerit; nondum ita certum eſt, vt ex hoc capite fidem Anonymi, hoc aſſerentis, in dubium vocare poſſimus. Iſta quidem Cl. Praius auctoritate Neſtoris affirmat; (c) ſed eius Chronologiae tuto fidem adhiberi non poſſe, paullo poſt e Graecis ſcriptoribus, oſtendemus.

A. C. 888.

A. C. 888. *Almi* 5. *Indict.* 6.

XX. An ad Kiouiam aliquamdiu conſederunt?

LX. Hic Neſtor, ſeculi XI. ſcriptor, *Vgros*, *anno Chriſti* 898. *per Kiouienſem pro-*

(a) *Diſſ. IV. p.* 77.
(b) *Diſſ. III. p.* 58.
(c) *Ex coll. Ruſſ. T. I. p.* 12.

prouinciam profectos, aliquamdiu non longe ab vrbe Kiouia ad Borysthenem consedisse scribit, (a) vt Cl. Praius refert; in anno tamen mendum cubare, sapienter ipse quoque censet. (b) Si, quod hoc loco Nestor tradit, decennio prius accidisse statuamus, seu A. C. 888. omnia mire congruent cum Anonymo, qui Hungaros egressos ex Asia perhibet A. C. 884. Quadriennium enim elabi facile poterat, dum et tantum terrarum spatium cum tot impedimentis peragrarent, et Ruthenos, Cumanis iunctos, praelio superarent, et, *terris Ruthenorum sibi subiugatis* (c) Kiouiam obsidione cingerent, obsessos duces ad deditionem compellerent, deditis obsides et tributum imperarent. Sed haec nimirum incredibilia Cl. Praio videntur. Hungaros quidem Kiouiam praetergressos esse, dum in has terras profecti fuissent, non diffitetur; id enim non tantum patrii scriptores, Anonymus (d) et Turotzius (e) perhibent; sed Nestor quoque loco laudato refert. Quia tamen hi de pugna cum Kiouiensibus ac pace cum ducibus Ruthenorum inita nihil prorsus memorant, neque Constantinus Porphyrogenitus, diligens ceteroquin scriptor et rei gestae suppar, ea de re quicquam A. C. 888.

(a) *Coll. rer. Ruff. T. I. p.* 14.
(b) *Diss. IV. p.* 66.
(c) *Anon. cap. IX.*
(d) *Cap. VIII. IX. X. XI,*
(e) *Chr. T. II. C. I.*

A. C. 888. attingit; omnem hanc Anonymi narrationem suspectam habet. (a) Ad eluendam hanc suspicionem ac firmandam Anonymi fidem vtar ea Cl. scriptoris regula, quam his ipse verbis proponit: (b) *Vt patriis annalibus, dum contraria veteribus et aetati Hungarornm aut coeuis aut supparibus scriptoribus narrant, non facile defero; ita, dum isti silentio praetereunt. ea, quae domestici narratione complectuntur, si ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possint, non video, cur horum auctoritas in aliorum silentio non valeat.* Quod Anonymus de Hungaris per Kiouensem prouinciam profectis narrat, narrat etiam Nestor. Ille pugnam Hungarorum cum Kiouiensibus initam, pacemque victis concessam addit; hic, quacumque de caussa, silentio praeterit; cur igitur illius auctoritas in huius silentio non valeat, praesertim quod Anonymus contraria Nestori non narret, sed solum ea, quae hic praetermisit, suppleat? Quid? num Hungari per Kiouiensem prouinciam transire; num inde non longe considere, quod Nestor ipse tradit, poterant; quin vel Kiouienses arma venientibus opposuerint, vel Hungari victricibus armis hanc sibi sedem extorserint? Anonymus igitur adeo Nestori contraria non nar-

(a) *Diss. IV. p.* 77.
(b) *Annal. vet. P. III. p.* 342.

narrat, vt hic potius obſcuris verbis innuat, quod ille diſſertis affirmat et ſupplet.

A. C. 888.

XXI. An Ruſſi tam potentes, vt Neſtor perhibet, hoc tempore fuerunt?

XLI. Sed quia plura videtur Anonymus narratione complecti, quae cum Neſtore conciliari non poſſint; ea cuius modi ſint, e Cl. Praio videamus, quaue fide digna ſint, diligentius excutiamus. *Nec ſi rem diligentius ſcrutari velimus, inquit,* (a) *narrationem notarii cum Neſtore, cuius auctoritas, illius longiſſime anteponenda eſt, conſentire reperiemus. Eo enim tempore, quo Hungari rem cum Kiouienſibus habuiſſe feruntur, Olegus, Igoris tutor, Kiouiam vrbem tenebat, vir belli gloria peritiaque armorum inclitus, a quo breui ſpatio multos Finnici corporis populos Ruſſorum ditioni adiectos, Chazaros autem dominatione in Seuerienſes, Kiouienſes aliasque Slauicas gentes itidem exutos fuiſſe, docuimus,* (b) *quiue haud multo poſt praeter ingentem equitatum bis mille naues, militibus refertas, Conſtantinopolim duxit, Graecosque ad pendendum tributum coegit. Hunc vero talemque ducem, cui nihil interea plus virium, potentiaeque acceſſit, quam habuerit ante aduentum Hungarorum, ab his victum annuoque tributo oneratum eſſe, nemo facile in animum inducet, vt credat.* Ego vero, rem diligentius ſcrutatus, narationem Neſtoris cum Graecis ſcriptoribus, quorum auctoritas potior,

(a) *Diſſ. IV. p.* 77.
(b) *Diſſ. III. p.* 58.

A. C. 888.

tior, quam illius, esse debet, reperio non-consentire. Nam eo tempore, quo secundum Nestorem Olegus, Igoris tutor, Kiouiam vrbem tenere debuisset, ac non multo post, bis mille nauibus Constantinopolim promotis, Graecos ad pendendum tributum cogere; his vel Basilius Macedo, vel Leo Sapiens praefuit. Olegus enim, Igoris tutor, rem Russicam procurare coepit a morte Rurici, quae contigit A. C. 878. Hoc autem tempore Graecorum imperio potiebatur Basilius I. post hunc Leo VI. ab A. C. 886. ad annum C. 911. Si proinde *haud multo post*, quam Kiouiam Olegus occupasset sub A. C. 882. Graecos ad pendendum tributum coegit, vt ex Nestore narratur; (a) id accidere debuit sub alterutro horum imperatorum. Atqui Graeci scriptores, Theophanis continuatores, rei gestae gentique magis, quam Nestor fuerit, vicini, nec bis mille nauium, nec vllius expeditionis Olegi, nec impositi Graecis tributi meminerunt. Liceat igitur id inferre mihi contra Nestorem e Graecorum silentio, quod Cl. Praius intulit in Anonymum e Nestoris silentio: (b) *Non est credibile tam insignem rei euentum, tametsi genti suae minime honorificum, quin noxium etiam*, Graecos *voluisse de industria subticere, qui ceteroquin clades suorum prope ad internecionem* a Bulgaris et Saracenis *acceptas*

ceptas

(a) *Ib. ex coll. rer. Russ. T. I. p.* 12.
(b) *Diss. IV. p.* 77.

ceptas, *fine fuco et optima fide posteris commendarunt*. *Itaque haec quidem non ita vndequaque*, vt Neftor *confignauit, habere perfpicuum eft*. Quemadmodum igitur ante Hungarorum aduentum Olegus tantam potentiam, quantam Neftor iactat, non habuit; ita fufpecta merito nobis effe poffunt, quae de Kiouia capta fub A. C. 882. de Dreulianis ad pendendum tributum coactis A. C. 883. de Seueriis A. C. 884. de Radomenfibus Rufficae ditioni fubiectis A. C. 885. denique de Chazaris inter Boryfthenem, Tanaim et Crimaeam conclufis, ex illo Cl. Praius depromit. (a) Si Ruffi tam potentes erant, vt Radomenfes, Seuerienfes, Kiouienfes aliasque Slauicas gentes Chazarorum, eo tempore praepotentium, iugo liberauerint; fuae ditioni hos omnes populos afferuerint; Chazaros ipfos tam anguftis fpatiis incluferint fub A. C. 885. quomodo paffi funt Hungaros paullo poft ita *habitare cum Chazaris annos tres*, vt, fatente Cl. Praio, (b) antequam a Patzinacitis eiicerentur, fuerint *primae Hungarorum in Europa fedes ab Sarcel vrbe fecundum Donetzum et Boryfthenem oramque Ponti Euxini vfque ad Bogum ita vt vnius diei itinere Kiouia, quae tunc Rufforum fedes fuit, abeffent*? quomodo paffi, tam propinquas fibi plagas, quas Chazaris illos eripuiffe Neftor perhibet, primum quidem ab Hun-

A. C. 888.

(a) *Diff. III. p.* 58.
(b) *Diff. V. p.* 90.

A. C. 883.

Hungaris, tum etiam a Patzinacitis occupari? haec ex Porphyrogenito certa sunt; illud igitur ex Nestore de potentia Russorum incertum et merito suspectum. Quare, quisquis ille Kiouiensium dux fuerit, quum illac Hungari transirent, ab his tanto facilius vinci potuit, quanto minus ea sunt credibilia, quae de viribus eius ac potentia Nestor verbosius praedicat. Hunc, ego credo, loco non suo narrare Russicam illam expeditionem, de qua Cedrenus ad indictionem XIV. seu A. C. 941. ita scribit: (a) *Rossica classis hostilis ad vrbem appulit, nauibus constans* CCIↃↃ. Eiusdem ad eamdem indictionem meminit etiam incertus continuator Theophanis. (b) Sed huius quidem expeditionis A. C. 941. dux Olegus esse non potuit, cui multo prius Igorem successisse Cl. Praius agnoscit. (c) Scio quidem anteriorem quoque Russorum in Graecos expeditionem a Byzantinis scriptoribus sub Michaele III. referri; sed quia huius imperium non porrigebatur vltra annum Christi 867. Olegus, eo tempore nondum Igoris tutor, eam suscipere non potuit; neque classis ista bis mille nauium, vt hic ad augendam Russorum hac aetate potentiam scribitur, sed ducentarum tantum fuit; neque Graecis vllum tributum ab iis impositum est, sed potius, nauigiis tem-

pe-

(a) Ed. *Ven.* p. 493. *Paris.* 629.
(b) Ed. *Ven.* p. 197. *Paris.* 262.
(c) *Diss.* V. p. 110.

pestate disiectis et confractis, Russorum potentia, si qua tunc fuisset, admodum debilitari Hungarisque subinde repellendis minus idonea reddi debuit. Quum igitur a Nestore vel potentiam Russorum supra fidem auctam, vel Chronologiam admodum luxatam agnoscere debeamus; Anonymi fides de pugna paceque cum Kiouiensibus inita tamdiu solicitanda non videtur, quamdiu testis magis idoneus aduersus illum produci non potuerit. A. C. 888.

XLII. Anonymus, ad cuius fidem stabiliendam e via tantisper digredi hoc loco debebamus, exposita supplici Ruthenorum legatione, quid ab Hungaris impetrauerint, ita refert: (a) *Dux vero Almus, et sui primates, inito inter se consilio, petitioni ducum Ruthenorum satisfacientes, pacem cum eis fecerunt.* Cumani, hac Almi ducis in victos facilitate permoti, mox eius arbitrio se permiserunt, ac vltro tam benigno duci subesse statuerunt. *Tunc*, pergit Anonymus, *praenominati duces Cumanorum - - - cum vidissent pietatem Almi ducis, quam fecit circa Ruthenos, pedibus eius prouoluti se sua sponte duci Almo subiugauerunt, dicentes: ex hodierna die nobis te dominum, ac praeceptorem vsque ad vltimam generationem eligimus, et, quo te fortuna tua duxerit, illuc te sequemur.* Vnde hi Cumani venerint, iam supra breuiter innuimus;. cuius gentis aut ori-

XXII. An Cumani, qui Hungaris se iunxerunt, erant Cabari ?

(a) *Cap.* X.

A. C. 888. originis fuerint, accuratiore diligentia hic excutiendum sumimus. Clarissimi duumuiri, Hellius et Praius, qui ceteris accuratius hanc quaestionem pertractandam susceperunt, etsi non indidem vterque Cumanos educant, vterque tamen eosdem Chazarici generis fuisse, iudicant. Necquicquam occurit, quod a concordi hac virorum acerrimi iudicii sententia discessionem facere cogat. Cl. Praius, postquam Cumanos eiusdem generis fuisse cum Chazaris, e scriptoribus Russicis ac orientalibus ostendisset; (a) non sine caussa suspicatur, (b) *an non Cabari, qui, Constantino teste, cum septem aliis tribubus, se Turcis, seu Hungaris, coniunxerant, a nostris chronographis subobscure designentur*, quum Cumanorum meminerunt. Quae quidem opinio locum habere non poterat in ea sententia, qua Cabarorum ad Hungaros accessionem primum defixerat ad A. C. 893. (c) Quum enim Porphyrogenitus, postquam Cabaros a Chazarorum gente descendisse scripsisset, ac, oborto ciuili bello, victos narrasset, haec subiiciat: (d) *Pars fugientes ad Turcas in Patzinacitarum terram se contulerunt, ibique sedes posuerunt - - - atque sic connexi inter se Cabari cum Turcis Patzinacitarum terram incoluerunt;* intelligi non posset, quam

(a) *Diss. IV. p.* 79.
(b) *Ibid. p.* 81.
(c) *An. vet. P. III. p.* 330.
(d) *De adm. Imp. C.* 39.

quam Patzinacitarum terram Cabari cum Turcis incoluerint, si haec secessio Cabarorum adeo sero contigit. At, si hanc ad ea tempora defigamus, quibus Hungari nondum e Lebedia, nondum e locis Atelcusu nuncupatis per Patzinacitas emoti sunt, dicere tuto possumus, eam a Porphyrogenito Patzinacitarum terram intelligi, quam isti, deuictis Turcis, eius aetate tenuerunt. Hinc etiam Cl. Praius, mutata priore sententia, hanc Cabarorum ad Turcos accessionem factam fuisse censet, quum adhuc in regione Lebedia Turci degerent, (a) et antequam Arpado summam rerum detulissent. (b) Quum igitur, et locus, et tempus, quo Belae notarius Cumanos Hungaris, Constantinus Cabaros Turcis accessisse scribunt, conueniant; nullum mihi dubium est, Anonymi Cumanos cum Porphyrogeniti Cabaris eosdem fuisse; de quorum origine meam hoc loco coniecturam non tam obtrudam, quam innuam. A. C. 888.

XLIII. Chazaros, e quibus Cabaros descendere Porphyrogenitus asserit, Hungaris necessitudine sanguinis coniunctos fuisse, Cl. Praius in suis dissertationibus, ac potissimum quinta, non semel affirmat, ac erudite probat. Cabaros cum Cumanis eosdem fuisse, nos quoque cum eodem statuimus, ac opinionis nostrae momenta paullo ante pro- XXIII. An non ex Chaba, quem Turotzius Attilae filium facit, orti?

(a) *Diss. V. p.* 91.
(b) *Ibid. p.* 97.

A. C. 888. produximus. Afferta hac Chazarorum, Cabarorum, Cumanorum cum Hungaris cognatione, mox ipsum Cabarorum, seu potius Chabarorum nomen suspicionem mihi ingessit, an non his Chabaris, Chaba, quem Anonymus Turotzianus Attilae filium facit, appellationem indiderit atque hac ratione nexus sanguinis inter Hungaros et Cumanos intercesserit. Auxit hanc suspicionem, quod Anonymus Belae notarius inter septem Cumanorum duces, qui Hungaris accesserant, *Ed* et *Edumen* numeret; (a) Anonymus autem Turotzianus Chabae filios, rectius posteros, *Ed* et *Edemen* appellet. (b) Ille laudatos Ed et Edumen cum aliis Cumanis et Hungaris in Pannoniam venisse scribit; hic pariter *Edemen magna cum familia Hungaros vsque ad Pannoniam comitatum fuisse; et ex illo Abae generationem processisse*, *tradit*. Atque hoc postremum etiam Belae notarius affirmat, quum ait, (c) *ex Ed et Edumen progenie, longo post tempore, regem Samuelem descendisse, qui pro sua pietate Oba vocabatur*. His inter se rite collatis, dubitari vix potest, Cumanos et Chabae posteros, quos Anonymus vterque Hungaris, in has terras egressis, socios addit, eiusdem originis fuisse; mihique spes enasci videtur, Chabaros Porphyrogeniti, qui secessionem a Cha-

(a) *Cap.* X.
(b) *Chr. P. I. C. XXIII.*
(c) *Cap. XXXII.*

Chazaris ad Turcos fecerant, a Chaba Turotziano deduci posse. Existimabunt aliqui fortassis, haec etyma grammatici potius acuminis, quam historicae grauitatis esse; sed enim eiusmodi minutiis ad grauiora saepius, et prius incomperta deducimur, si has cum iudicio, tamquam tenuia veri vestigia, persequamur.

A. C. 888.

XXIII. Quid de Chaba Turotziano reiici debet?

XLIV. Scio, Turotzianum Anonymum cum iis adiunctis Chabaeres exhibere, vt omnem eius narrationem, tamquam aperte fabulosam, plerique reiiciant. Scribit is, (a) Attilae filium *alterum*, *Chabam denominatum*, *ex Honorii*, *Graecorum imperatoris*, *filia progenitum esse:* atqui Honorius, qui non orientem, sed occidentem e suprema Theodosii patris voluntate consequutus est, numquam Graecorum imperator fuit; neque filiam, quae potuerit Attilae nubere, habuit; neque vitam ad Attilae principatum produxit. Idem tamen scribit, hunc *Chabam cum fratribus suis - - sexaginta - - ad Honorium imperatorem*, *auunculum suum in Graeciam fugisse.* De Graecia fratribusque sexaginta nihil iam opus dicere; quis vero vel auctoris, vel descriptoris huius oscitantiam non incuset, qui supra, Chabam ex Honorii filia progenitum esse, scripsit, nunc autem eiusdem auunculum Honorium dicit; ex eius igitur sorore natum innuit? Horum tamen neutrum admitti posse, historiae

(a) *Chr. P. I. C. XXIII.*

A. C. 888. Romanorum euincunt, quae Placidiam, Honorii fororem, non Attilae, fed Conftantio III. nuptam; ex eaque non Chabam, fed Valentinianum III. progenitum afferunt. Eaedem tradunt, Honorium ex hac vita migraffe A. C. 423. quo nondum Attila rerum apud Hunnos potitus eft; quomodo igitur Chaba, poft Attilae mortem, ad Honorium, iam ante tricenos annos mortuum, fugit, et apud illum tredecim annos exegit? Plura funt eiusmodi fabulofa, quae Turotzius adfert; fed iis refellendis immorari non vacat. Neque haec alia de cauffa commemoraui, quam vt illi, qui chronologiam in hiftoriis oderunt, videant, in quantos errores hiftorici, hoc oculo deftituti, andabatarum more, praecipites ruant, vtque populares, qui noftrorum annalium fidem vbique fequendam effe ducunt, aequius ferant, fi quando difceffionem ab iis e criticae legibus faciam. Propter aliquas tamen id genus aberrationes omnem iis fidem abrogandam numquam cenfui; quin immo fub fabulofis etiam narrationibus, vel combinationibus, aliquam veritatem latere, plerumque deprehendi. Numquam mihi fiue Turotzius, fiue quis alius patriae hiftoricus adeo temerarius vifus eft, vt eos omnia, quae narrant e fuo cerebro procudiffe, mihi perfuadeam. Aliquod illi fundamentum narrationis femper habebant; fed malum huic aedificium, vel falfis popularium cantilenis decepti, vel adiuncta quaedam affuere veris euentis affueti, nonnumquam

superſtruxerunt. Hic quoque, quae de nuptiis Attilae cum Honorii ſeu filia, ſeu ſorore male narrantur, non omni penitus fundamento carent. Soror enim Honorii Placidia, prater Valentinianum filium, filiam etiam Honoriam e Conſtantio ſuſcepit; de qua Marcellinus in chronico haec habet: (a) *Honoria, Valentiniani imperatoris ſoror - - - Theodoſio principi de Italia transmiſſa, Attilam contra occidentalem rempublicam concitabat.* Hanc de matrimonio cum Attila tranſegiſſe, Priſcus ita docet: (b) *Miſit* (Attila ad Valentinianum) *qui contenderent, Honoriam nihil ſe indignùm admiſiſſe, quum matrimonium ſecum contracturam ſpopondiſſet.* Attilam vero Honoriae nuptias non tam ex amore, quam ex imperii per has obtinendi cupiditate flagitaſſe, rurſus ex Valentiniani reſponſo patet, quod laudato loco Priſcus in haec verba refert: *Honoriam ipſi nubere non poſſe, quod iam alii nupſiſſet; neque imperium Honoriae deberi; virorum enim, non mulierum, Romanum imperium eſſe.* Sed Attila, qui bello pacta nuptialia praetexuit, *antequam in eam expeditionem ingrederetur*, pergit Priſcus, *rurſus legatos in Italiam miſit, qui Honoriam poſcerent. Etenim ſecum matrimonium pepigiſſe, cuius rei vt fidem faceret, annulum, ab ea ad ſe miſſum, per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandauit. Itaque imperii* par-

A. C. 888.

F 3

(a) *Coſſ. Ariobindo et Aſpare.*
(b) *Edit. Ven. p. 27. Pariſ. p. 39.*

A. C. 888. *partem sibi Valentinianum cedere aequum censebat, quam pater* (Constantius III.) *Honoriae reliquisset, sed hac illam frater* (ipse Valentinianus) *quae eius erat auaritia et cupiditas, priuarat.* Huius Honoriae nomen, quod fortassis e popularium cantilenis innotuit, Anonymum Turotzianum decepisse videtur, vt eam Honorii filiam fuisse putaret; et, quia haec, quum in Graeciam ex aula fratris eiecta fuit, cum Attila de nuptiis, annulo quoque misso, transegit; iccirco noster Honorium imperatorem Graecorum fecit; denique quia de pactis nuptialibus inter Attilam, et Honoriam aliqua didicit; matrimonium etiam contractum, indeque Chabam susceptum fuisse, sibi persuasit. Alibi tamen de hac Honoria melius, et ad Marcellini Priscique narrationem conformius ita disserit: (a) *Nondum* Attila *Pannoniae fines attigerat, quum eunuchus Honoriae, sororis Valentiniani imperatoris, quam idem imperator ob dotem pudicitiae districtius seruabat* (et in orientem ad Theodosium transmiserat) *ad ipsum venit, idque, vt ipsam rex Attila a fratre sibi coniugem expeteret, detulit. Rex vero Attila, quum iam Italiae fines excessisset - - - nuncii verbis motus, ad Valentinianum imperatorem legationem misit, vtque sororem suam in coniugium simul cum imperii dimidietate sibi traderet, aut occidentale imperium rursus deuastaturus rediret, illi intimauit.* Hic nempe Ho-

(a) *Chr. P. I. C. XXI.*

Honoria, non Honorii, sed Valentiniani soror, vt erat, dicitur, solumque rei gestae tempus inuertitur; quum, quod ante bellum Italicum, immo Gallicum, teste Prisco, contigit, post Italicum refertur. Vnde, licet matrimonium hoc contractum fuisse daremus; Chaba tamen ex eo suscipi vel ad eam aetatem venire non potuisset, vt mox a morte patris, quae paullo post contigit, bellum cum Aladario gereret, et a Detrico victus, ad Honorium, vt Anonymus Turotzianus vult, effugeret. Quare haec, tamquam aperte fabulosa, penitus e Turotzio resecanda sunt. A. C. 888.

XLV. Ex his tamen inferri non potest, omnia, quae de Chaba traduntur, fabulam olere nullamque fidem mereri; numquam proinde vel Chabam exstitisse, vel in Scythiam, quae Maeotidi circumfunditur, cum Attilanis reliquiis reuertisse. Quin potius, sicut has Attilae reliquias per Irnachum conseruatas fuisse, supra cum Cl. Praio verosimiliter asseruimus; ita haec, eadem verosimilitudine, Chabae, quem sub Irnacho latere non sine caussa suspicamur, tribuere possumus. Quum enim res eaedem sub vtroque nomine referantur, tam parum in diuersitate nominis adhaerere debemus, quam in eius aui patruique. Hunc domestici Budam, alii Bletam et Bledam; illum patrii scriptores passim Bendekus et Bendeguz, Iordanes Mundzuchum, Priscus Mundiuchum, Calanus Madluchum et

XXIV. Quid tuto retineri potest?

A. C. 888. Mandluchum appellant. Si haec diuersitas non officit, quo minus eumdem Bendekusium et Mundzuchum agnoscamus; cur eadem impediat, quominus eumdem Irnach et Chabam profiteamur, quando quae Chabae tribuuntur, in Irnachio pleraque reperiuntur? Nam illum domestici, hunc exteri scriptores Attilae filium fuisse, cladi ceterorum superuixisse, cum reliquiis Hunnorum *iuxta littus Pontici maris* primum consedisse (a) tum in Scythiam concessisse, (b) demum *suas antiquas sedes occupasse,* (c) tradunt. Haec, Chronicis Turotzianis commentis fabularum liberatis, ad rei summam sufficiunt, quae non statim omnia post Attilae mortem euenerunt. Nam primum quidem ex Iornande discimus, Attilae filios, caeso iam a Gepidis Ellaco, iuxta littus Pontici maris fugatos esse; deinde, tentato cum Ostrogothis praelio, rursum victos *eas partes Scythiae petiisse, quas Danubii* (malunt alii Danapri, (d) seu Borysthenis) *amnis fluenta praetermeant, quae lingua sua Hunni var appellant.* (e) Postea discimus ex Prisco, (f) *venisse ad Leonem imperatorem legationem a filiis Attilae, vt, omnibus omnino praeteritorum dissidio-*

(a) *Ior. de reb. Get. C. L.*
(b) *Tur. Chr. P. I. C. XXIII.*
(c) *Ior. de reb. Get. C. L.*
(d) *Edit. Garetii.*
(e) *De reb. Get. C. LII.*
(f) *Edit. Venet. p.* 30.

liorum caussis resecatis, pacem inirent. Hac negata, *Dengizichum bellum Romanis intulisse;* sed, dolo Chelchalis, infeliciter rem gessisse. Rursus intelligimus ex Iornande (a) Dengezichum inquietum, quem ille Dinczic appellat, *collectis secum, qui adhuc videbantur, quamuis pauci, eius tamen sub imperio remansisse,* cum Ostrogothis ad Bassianam conflixisse reiectumque fuisse. Demum ex chronico paschali colligimus, (b) eiusdem, ab Anagasto caesi, *caput allatum esse Constantinopolim.* Priscus, Irnachum apparatui Dengezichi repugnasse, iam prius innuit; quem etiam Tillemontius a bello hoc abstinuisse, scribit. (c) Videtur igitur ille pacem cum Graecis coluisse; vnde Turotzianus Anonymus occasionem arripuerit scribendi; (d) Chabam *in Graeciam fugisse - deinde tamen natalis patriae dulcedine ductum, post tredecim annos - Scythiam - repetiuisse.* Tredecim anni post Attilae mortem, quae contigit A. C. 454. tunc effluxerunt, quum Dengezichus caesus est, A. C. 468. Videtur igitur Irnachus, seu Chaba Turotzianus, a caede fratris, anno tertio decimo post obitum patris, in Scythiam minorem, quae praeter Tauricam Chersonesum, regiones extra Isthmum ad Borysthenem vsque fluuium A. C. 468.

 com-

(a) *De reb. Get. C. LII.*
(b) *Ad an. XI. Leo. Ind. VI.*
(c) *Hist. imp. T. VII.*
(d) *Chr. P. I. C. XXIII.*

A. C. 888.

complectebatur, (a) cum reliquis Hunnis iter suscepisse. *Adita Scythia*, pergit Turotzius, *Chaba Bendegwz, auum suum, viuum et incolumem, multo tamen senio confectum, inuenisse, et de illius consilio consortem sibi non de Scythica natione, sed de Corosmanorum Scythiae vicina generatione duxisse fertur.* Vt Chabae fugam ad Honorium, ita Bendeguzum adhuc superstitem inuentum, Anonymus Turotzianus non tam e sua sententia, quam e vulgi cantilenis, se retulisse significat voculis illis: *fertur, perhibetur;* per Corosmanos autem Chorosani, non procul a fontibus Euphratis positi, intelligi videntur. Tandem Anonymus laudatus non iam ex vulgari rumore, sed ex mente sua subiicit: *Ex hac tandem vxore sua Chaba genuit filium nomine Edemen, et fratrem illius Ed.*

XXVI. An Procopii narratio cum Turotziana cohaeret?

XLVI. Quod hic de duobus Chabae filiis commemoratur, occasionem suspicandi praebet, an non Procopius de hoc Chaba loquatur, quum de Hunnis, paludi Maeotidi circumfusis, ita scribit: (b) *Aliquando his praefuit, cui duo erant filii, Vturgur alter nomine, alter Cuturgur. Patre mortuo, regnum inter se ambo partiti, de suo nomine dixere subditos. Inde alii Vturguri etiamnum, alii Cuturguri appellantur.* Fateor, maiorem inter haec illaque nomina dissimilitudi-

(a) *Bay. Petr. coll. T. V. p.* 306.
(b) *De bell. Goth. L. IV. C. V.*

tudinem esse, quam vt inde suspicio nostra firmari possit. Sed quia non minor inter Turotzii Bendeguzum et Prisci Mundiuchum discrepantia reperitur; si haec, quod supra monui, non impedit, quominus vnus idemque Bendeguz et Mundiuchus habeatur; non video, cur leuicula haec difficultas, si cetera cohaereant, assensum nostrum moretur. Fieri nempe poterat, vt vel Graeci more suo peregrina nomina corruperint, vel Ed et Edemen binomii fuerint; ac Ed quidem *Útúr*, vel *Útig-úr*, quod ad viam vsque; Edemen autem *Kútúr*, vel *Kútig-úr*, quod ad puteum vsque, ditiones suas porrigerent, cognomina haec acceperint. Nobis enim *út*, viam; *kút*, puteum, vel fontem; *ig*, vsque; *úr*, dominum significat. Fieri quoque poterat, vt Turotzius non tam Chabae filiorum, quam eius posterorum, e quibus Ed et Edemen fuisse didicit, nomina posuerit; quumque vera nomina filiorum ignorauerit, iis notiores posterorum appellationes indiderit. Certe, quum Edemen, Chabae filium, Hungaros in Pannoniam sequutum fuisse, ex aliorum sententia scribit, mox ita subiicit (a): *sed haud dignam huic traditioni decet adhibere fidem, potissime, quia Hungari, post Attilae mortem, tantis annorum curriculis euolutis, rursus in Pannoniam venisse perhibentur, quod aeuum nepotis illius tanta ad tempora durare potuisset mi-*

A. C. 888.

(a) *Chr.* P. I. C. XXIV.

A. C. 884. *minime.* Quibus verbis innuit, Edemen Chabae filium dici non posse. Haec igitur solum ex Anonymo Turotziano vera dici possunt, Chabam duos filios in Scythia sustulisse, sed quibus ii nominibus appellati fuerint, ex Procopio potius petendum est: Edemenem quidem in Pannoniam cum Hungaris descendisse; sed eum Chabae posteris, non filiis, adnumerandum esse; neque fratrem eius Ed in Scythia remansisse; quum vtrumque Belae notarius inter Cumanos duces censeat, et ex vtriusque progenie Samuelem, seu Abam regem ortum esse perhibeat, cuius generationem etiam Turotzius ad Edemen refert. Leuiores quidem hae sunt coniecturae, quam vt inde solidum argumentum erui possit; sed nempe mancam, edacis vetustatis iniuria, temporum illorum historiam, his supplere cogimur, donec certiora dies adferat. Cl. Praius, coniecturis itidem vsus, Procopianum Vturgurum et Cuturgurum suspicatur *Irnachi liberos fuisse;* (a) quodque, *nullae res Cuturgurorum et Vturgurorum ante Hunnorum in Europam aduentum, sed post conuulsum imperium Attilae primum narrentur*, optime ratiocinatur, *hos ex reliquiis Attilanis exortos esse.* (b) Nos igitur eodem iure censemus, non tantum Vturgurum et Cuturgurum Chabae liberos fuisse; nec enim Procopius vel Irnachi

(a) *Ann. vet. P. II. p.* 196.
(b) *Diss. X. p.* 226.

nachi, vel Chabae meminit; sed etiam V-turguros et Cuturguros ex illis Attilanorum reliquiis exortos esse, quas Anonymus Turotzianus in Scythiam a Chaba reductos scribit. A. C. 888.

XLVII. Procopius porro perhibet, *V-turguros cum suo principe reuersos in patriam, vt eam deinceps tenerent soli - - - Cuturguris trans* (nobis cis) *paludem relictis.* De his Cuturguris postea, nunc Vturguros, Maeotidem transgressos, paullisper persequamur; quos Cl. Praius affirmat, (a) *in plures tribus, etsi vno nomine in primordio gauderent, sensim discretos fuisse.* Hos inter paullo post numerat eos Hunnos, quibus Gordas praefuit sub A. C. 527. Is, vbi foedus cum Iustiniano I. percussurus, Constantinopolim accessit, Christianam religionem amplexus multisque muneribus ab imperatore donatus est, vt Romanos fines et Bosphorum ciuitatem armis propugnaret. Quid ei, domum reduci, contigerit, ex ipso Theophane iuuat audire. (b) *Hunnorum,* inquit, *rex, factus Christianus, in propriam regionem reuersus, fratri, quem illic offendit, imperatoris humanitatem atque liberalitatem, seque Christianum factum esse, narrauit. Ad haec direpta vndequaque simulacra, quae venerabantur Hunni, cuncta conflauit; erant enim illa argentea et electrina.* Quam-

XXVII. An non sub Theophanis Moager Anonymi Moger latet?

(a) *Ann. vet. P. II. p.* 197.
(b) *Ad A. C. DXXVIII.*

A. C. 888. *Quamobrem ira ſuccenſi Hunni, coniuratione cum eius fratre excitata, in eum irruentes, necem intulerunt, et fratrem eius Moagerem crearunt regem. Veriti porro, ne poenas ob regem occiſum expeterent Romani, in ciuitatem Bosphorum conuolarunt quantocius, et tribunum Dalmaticum praeſidiariosque milites interfecerunt. His imperator auditis, miſit Ioannem exconſulem, Patricii Rufini filium, cum numeroſis Scytharum copiis, qui, adiuncto ſibi per terreſtre iter et Odyſſopolim Godilla et Badurio duce, aduerſus eos mouit exercitum. Hoc nuncio territi Hunni, fuga arrepta, diſparuerunt.* Quo diſparuerint, Theophanes non indicat. Non vtique verſus Auſtrum ac infra Bosphorum, imperii Romani hac parte terminum, quum Romanos, hoſtes ſuos, effugere voluerint; nec etiam verſus occidentem, quum eas plagas Cuturguri, Iuſtiniano tunc amici, quorum aliqui non multo poſt in Africam Beliſarium contra Vandalos ſequuti ſunt, inſederint; ergo verſus orientem aut ſeptemtrionem, vt longius ab Romanis, quos fugerant, abeſſent. Quum enim Theophanes ſubiiciat: *Ex quo pax Bosphoro reſtituta, locusque a Romanis, omni depulſo timore, occupatus eſt;* non poteſt omnis timor depulſus intelligi, niſi haec Hunnorum manus inde longius abſceſſiſſe dicatur. Atque hinc ego ſuſpicor, hanc Vturgurorum partem (nec enim omnes vel Gordae prius ſuberant, vel fuga ſibi conſuluerant) in eam regionem, ex qua ſubinde Hungari

ri prodiuerunt, concessisse; hic in magnam subinde gentem per annos 356. excreuisse; mutata regiminis forma, demum varias in tribus abiisse. Ita verosimilis reddi ratio potest, quomodo Hungari secundum communem patriorum scriptorum traditionem ab Hunnis Attilanis, quorum reliquias Vturguros fuisse supra docuimus, descenderint; quomodo regio, quam olim incoluerunt, secundum Anonymum *Dentumoger* dicta fuerit. Facile nempe *Moger* a *Moager*, quem cum Hunnis, Bosphoro vicinis, metu Romanorum, arrepta fuga, disparuisse vidimus, appellationem suam trahere potuit, quae tandem, emollita pronunciatione, in *Magyar* desiit. An autem *Isadeni* Hunni, quorum Procopius meminit, (a) *Dentiae* nomen indiderint, in medio relinquo, quum et priorum coniecturarum taedium fortassis aliquos iam ceperit. Nec ego his indulgerem, si monumenta, quibus certiora doceri possent, superarent. In hac autem vetustiorum documentorum inopia, satis esse reor ad tuendam domesticorum annalium fidem, qui, Hungaros ab Hunnis Attilanis ortos esse, vno consensu tradunt, ostendere, qua hoc ratione fieri potuerit.

A. C. 884.

XLVIII. Vturguris trans paludem Maeotidem in varias tribus sensim discretis, ac Moagerianis fuga dilapsis, Cuturguri cis

XXVIII. An Attilanae reliquiae cum Chazaris in vnam gentem coaluerunt?

(a) *De reb. Pers. lib. I.*

A. C. 888. cis paludem iam amici, iam hoſtes Romanorum, opera Iuſtiniani cum Vturguris commiſſi, tamdiu mutuis armis inter ſe decertarunt, donec ita vires vtrorumque collaberentur, vt, Agathia teſte, qui ſub idem tempus quinque libros de rebus Iuſtiniani conſcripſerat, (a) *patriam etiam appelationem amiſerint, eoque calamitatis Hunnicae iſtae nationes ſint redactae, vt, ſi aliqua adhuc eorum pars relicta ſit, ſparſim aliis inſeruiat, et ab illis appellationem acceperit.* Abolitis igitur ſub Iuſtiniano I. Cuturgurorum et Vturgurorum nominibus, reliquiae Hunnorum ſub Chazarorum potiſſimum appellatione delituerunt, quorum potentia ſenſim ita creuit, vt iam ſub exitum eiusdem ſeculi VI. bellum cum Perſis geſſerint. (b) Nolim omnia, quae Cl. Praius de his Chazaris erudite diſſerit, (c) iſtic referre. Mihi ſatis ad propoſitum eſt, quod easdem regiones Chazaris in Europa tribuat, quas Procopius Cuturguris aſſignat. (d) *Vltra paludem*, inquit iſte, *Maeotidem, fluuiumque Tanaim Hunni Cuturguri camporum aequora - - longe ac late inſederunt. Poſtea Scythis et Tauris tenetur omnis illa regio, cuius pars etiamnum Taurica dicitur. - - Ab vrbe Bosphoro ad vrbem Cherſonem, ſitam in maris littore, et Ro-*

(a) *Lib. V.*
(b) *Elmacin. p.* 270.
(c) *Diſſ. IV. §. I. II.*
(d) *De bell. Goth. lib. IV. C. V.*

Romanis iam inde olim subditam, tenent barbari, vtique Hunni, quicquid interiacet. Ita Cuturguri, postquam collapsis viribus, patriam appellationem amiserunt, Chazaris, in eadem hac plaga rerum potitis, *inseruire coacti,* quod ex laudatis Agathiae verbis colligimus, *ab illis appellationem acceperunt,* ac in vnam eandemque gentem tanto facilius cum iis coalescere potuerunt, quanto certius est, Chazaros itidem genus Hunnicum fuisse. Certe quum Acatziros Hunnos a Prisco Chatziros quoque dici hac sententia lego: (a) *Reliqua omnis Chatzirorum regio in ius, ditionemque Attilae concessit;* in Chatzirorum nomine Chazarorum gentem mihi videre videor. Sed vtcumque hoc sit, quemadmodum Attilanae reliquiae, quae cis Maeotidem sedes fixerant, antea Cuturgurorum, ita postea communi Chazarorum nomine comprehendebantur, licet proprias singulae tribus appellationes habuerint, ac ita Chabari quoque, quod prius a Chaba sumserant, nomen etiam sub Chazaris retinuerint. A. C. 888.

XLIX. Ab his porro Chazaris octo tribus, suis propriis nominibus distinctas, ad Turcas, seu Hungaros, secessisse, Porphyrogenitus affirmat, easque his nominibus appellat: (b) *Prima a Chazaris auulsa haec Cabarorum gens est, quam dixi; secunda Ne-* XXIX. An in Hungaria Chazaricarum tribuum vestigia supersunt?

G *ke,*

(a) *Edit. Ven. p.* 37.
(b) *De adm. imp.* C. XXXIX.

A. C. 888. *ke*, *tertia Megere*, *quarta Cuturgemati* (al. Cutugermati) *quinta Tariani*, *sexta Genach*, *septima Kare*, *octaua Kase*. Vt pleraque harum tribuum nomina Cl. Praius in Taurica, tum vltra Tanaim, et intra Borysthenem fere reperit, (a) vnde forte colligi possit, eas in iis olim locis coluisse; sic in Hungaria multa locorum nomina reperiuntur, quae suam appellationem ab his tribubus sumsisse videntur. Nam ex Cabaris, vel rectius *Chabaris* nomen trahere facile potuit *Chab*, *Chaba*, *Chábrág*; ex *Nece*, *Nyék*; ex *Megere*, *Megyer*; ex *Cuturgemati*, vel Cutugermati, *Túr* et *Gyarmat*; ex *Tariani*, *Tarjan*; ex *Genach*, forte contractum *Gách*; ex *Kare*, Karants, vnde *Karants-Berény*; *Karants-Ság*; ex *Kase*, *Kazár* et *Kozár*; et fortassis ex *Kare* simul et *Kase*, *Karants-Keszi*: vnde, si cui hinc argutari libeat, quum haec loca non procul ab Ipoli, pleraque vero in prouincia Neogradiensi, reperiantur, argui posset, in hac potissimum plaga has Chazarorum tribus, postquam Hungariam occuparunt, consedisse. Quia tamen etiam extra hanc prouinciam multa *Gyarmat*, *Megyer*, *Tarján*, inueniuntur, et Árpád ducibus Cumanorum alibi quoque terras distribuisse legitur; tam arctis limitibus omnes hasce tribus Chazaricas, seu Cumanos includere minime volumus. Cumani porro lingua patria *Kún*, seu Chuni, dicuntur, ea

(a) *Diss. V. p.* 91.

ea fortaſſe de cauſſa, quod Chunorum Ptolemaei regionem, priusquam Hungaris acceſſiſſent, ad montes Amadocios incoluerint. Sed in viam, vnde Porphyrogeniti Chabarorum et Anonymi Cumanorum cauſſa longius digreſſi ſumus, tandem reuertamus. A. C. 888.

L. Hungari, Chazaricis tribubus, ſeu Cumanis, aucti, multos etiam e Ruthenis ſibi ſocios adiunxerunt. *Similiter etiam*, inquit Anonymus (a) *multi de Ruthenis, Almo duci adhaerentes, ſecum in Pannoniam venerunt, quorum poſteritas vſque in hodiernum diem per diuerſa loca in Hungaria habitat.* Inde tot *Oroſz*, quibus Rutheni, ſeu Roſſi, Hungaris Oroſz dicti, nomen indiderint, in Hungaria hodieque viſuntur. Cum his igitur itineris ſociis Almus, relicta Kiouia, Lodomeriam petebat. Dux Lodomerienſis, iis, quae circa Kiouiam Hungari geſſerant, auditis, imparem ſe hoſtibus repellendis, adeo potentibus, intellexit, donisque potius, quam armis agendum ratus, cum ſuis proceribus ad regni limites obuiam venientibus proceſſit, ac oblatis muneribus pretioſis, eosdem Lodomeriam vſque deduxit. Almus, data ſuis per tres hebdomadas quiete, poſtquam, multis muneribus excultus, duos ducis filios obſides accepiſſet, verſus Haliciam (Anonymo Galiciam) iter adornauit. *Hoc*

XXX. Qua Hungari cum his tribubus iter inſtituerunt?

(a) *Cap. X.*

A. C. 888. *dum Galiciae dux audiuiſſet*, ſcribit Anonymus, (a) *obuiam Almo duci, cum omnibus ſuis, nudis pedibus venit, et diuerſa munera ad vſum Almi ducis praeſentauit, et aperta porta ciuitatis Galiciae quaſi dominum ſuum proprium hoſpitio recepit, et vnicum filium ſuum cum ceteris filiis primatum regni ſui in obſidem dedit.* Ita Hungari, Lodomeria Haliciaque ſine ſanguinis effuſione potiti, poſt tot itineris moleſtias vnius menſis interuallo quietem iſtic ceperunt; ac, ubi, habitis vltro citroque ſermonibus, ſtatum vicinae regionis, in quam tendebant, diligentius exquiſiuiſſent; intellexerunt, plagas, inter Danubium et Tibiſcum (*Thiſciam*) interceptas, et ſecundum Granum fluuium ad Ruthenorum et Polonorum confinia porrectas, Salanum cum Bulgaris obtinere; terras, vltra Tibiſcum intra Samuſium (*Zomus*) et Maruſium (*Morus*) ad Transſiluaniam vſque (*Erdevelu*) comprehenſas, Menomoroutum poſſidere; ceteras, vltra Maruſium Orſouam uſque (*Vrſcia*) Gaado, qui Vidino (*de Bundyn*) egreſſus fuerat, ſubeſſe; Pannoniam quidem ipſam Romanos in ſua poteſtate habere, ſed eius partem ad Danubium aliis fiduciario iure pro paſcuis conceſſiſſe. Nempe Suatoplugus, vt videbimus, non contentus Morauiae ſuae limitibus, qui Moraua Granoque fluuio definiebantur, etiam Pannoniae partem aliquam ſibi vindicauit. Almus, de his omnibus

(a) *Cap.* XI.

mnibus certior redditus, pacem cum Ruthenis firmauit iterque coeptum continuauit. *Tunc*, ait Anonymus, (a) *dux Galiciae duo millia sagittariorum et tria millia rusticorum anteire praecepit, qui eis per siluam Hovos viam praepararent vsque ad confinium Hungariae; et omnia iumenta eorum victualibus et aliis necessariis onerauit, et pecudes ad victum condonauit sine numero.* A. C. 888.

A. C. 889. *Almi* 6. *Indict.* 7.

A. C. 889.

XXXI. Quo tandem anno hanc regionem attigerunt?

LI. Quod igitur bonum, felix, faustum fortunatumque genti Hungaricae sit! maiores nostri sub auspiciis Almi ducis, adiunctis etiam Cumanis, eodem genere Hunnico prognatis, terram, multis votis concupitam, multis laboribus exquisitam, a posteris iam annos 888. possessam, multoque sanguine rigatam, anno post Attilae mortem 435. post suum ex Asia discessum 5to Stephani VI. pontificis Romani 4to Leonis VI. cognomento Philosophi 3io Arnulfi, Germaniae regis 2do feliciter attigerunt, primumque locum, in quo consederant, Múnkás (hodie Múnkáts) a laboribus, quos istuc veniendo pertulerant, appellarunt. (a) Auctoribus in anno memorabilis huius migrationis consignando variantibus, nobis iste potissimum placuit; quod nec nimis parum, nec nimis mul-

(a) *Cap. XII.*
(b) *Anon. Cap. XII.*

A. C. 889.

tum videri poſſit, ſi quinquennium, quod ab A. C. 884. fluxit ad A. C. 889. itineri, quod ex Aſia per Ruſſiam ad Hungariam vsque maiores noſtri confecerunt, tribuamus. Ad eumdem hunc annum Hungarorum, has terras ingreſſorum, meminerunt chronicon Admontenſe, chronicon Salisburgenſe, Regino cum Annaliſta Metenſi, quorum alteruter alterum exſcripſit, dum iisdem verbis de Hungaris ita loquuntur. *Anno dominicae incarnationis* 889. *gens Vngarorum ferociſſima - - - a Scythicis regnis et paludibus, quas Tanais ſua refuſione in immenſum porrigit, egreſſa eſt.* Vbi non tam primum ex Aſia egreſſum, quam primum in Hungariam ingreſſum, cuius epocham magis ſibi cognitam, quam illius, vtpote remotioris, habere poterant, conſignaſſe videntur. Certum enim eſt, eosdem plura, quae pluribus annis Hungari geſſerant, ſub vna ſerie repraeſentare. Nam ad eumdem annum ita porro ſcribunt: *Et primo quidem Pannoniorum et Auarum ſolitudines pererrantes, venatu ac piſcatione victum quotidianum quaeritant; deinde Carantanorum, Marahenſium, ac Bulgarum fines crebris impulſionum infeſtationibus irrumpunt.* Haec pluribus annis acta fuiſſe, poſtea videbimus, ſi quaedam huc pertinentia, prius expediuerimus.

XXXII. Qui duces Hungarorum, qui Cumanorum fuerunt?

LII. Etſi praecipuas in educendis in hanc regionem Hungaris partes Almus habuerit, quia tamen plures tantae molitionis ad-

adiutores, quorum opera deinceps etiam Arpadus in subigendis his terris vtetur, habuit; operae pretium est, ceterorum etiam tam Hungarorum, quam Cumanorum ducum nomina nosse. Suos Hetumogeros, seu septem principales personas, Anonymus Belae notarius ita recenset: (a) *Almus, pater Arpad, Eleud, pater Zobolsu* (Szabolts) *a quo genus Saac* (Tsák) *descendit, Cundu, pater Curzan; Ound, pater Ete, a quo genus Calan et Colsoy descendit; Tosu, pater Lelu* (Lehel) *Huba, a quo genus Zemera descendit; septimus Tuhutum, pater Horca, cuius filii fuerunt Gyyla* (Gyula) *et Zombor, a quibus genus Moglout descendit*, Cumanorum autem duces semel ac iterum, sed secundo plenius hunc in modum exhibet: (b) *Ed, Edumen; Etu; Bunger, pater Borsu; Ousad pater Vrsuuru; Boyta; a quo genus Brucsa descendit; Retel, pater Oluptulma.* Turotzius non tam primos duces et patres, quam filios, quorum opera prouinciae hae Hungaris vindicatae sunt, censet, si Cundum excipias; deinde Tuhutumo nepotem Gyulam; Oundo Hubaeque Verbulchum et Vrsum, Ousadi Cumani filium, substituit. Eius igitur syllabum sequendo, hos duces habebimus: (c) *Arpád, Szabolts, Gyula, Kund, Lehel, Verboltz, Vrs.* Videmus

A. C. 889.

(a) *Cap. VI.*
(b) *Cap.* X.
(c) *Chr.* P. *II.* C. *III-IX.*

A. C. 889. demus, haec omnia multo diſtinctius Anonymum noſtrum referre, quam Turotzium, qui nusquam quidem Cumanorum, cum Hungaris egreſſorum, clare meminit; quia tamen et Vrſum inter ſeptem duces numerat, (a) et Edemenum Hungaros in Pannoniam comitatum affirmat, (b) quorum vtrumque Belae notarius Cumanis accenſet; confuſam aliquam eorum notitiam habuiſſe videtur, quam etiam ex chronico MS. quod ad aetatem Caroli Roberti pertinet, Cl. Praius eruit. (c) Hinc etiam de his potius Cumanis, quam de ſiculis, accipienda ſunt haec eius verba: (d) *Hi etiam poſtea, in gentem non modicam excreſcentes, Hungaris, rurſus de Scythia in Pannoniam venientibus, quum de illorum aduentu rumor ad eosdem delatus fuiſſet, magno cum gaudio in Ruthenia occurrerunt.* Hoc enim ab Anonymi Cumanis, a Porphyrogeniti Chabaris, quibus ſeptem aliae Chazarorum tribus adiunctae fuerant, factum eſſe iam oſtendimus.

XXXIII. Quid ſub auſpiciis Almi poſtremum egerunt?

LIII. Poſtquam Hungari Cumanique quadraginta diebus Munkátsini conquieuiſſent; didito per eas plagas illorum aduentu, tantus metus Bulgaro - Slauos, Salani iuribus obnoxios, corripuit, vt, vim oppo-

nere

(a) *Chr. P. II. C. IX.*
(b) *Chr. P. I. C. XXIV.*
(c) *Diſſ. IV. p.* 80. 81.
(d) *Chr. P. I. C. XXIV.*

nere non aufi, mox Almo duci fe dediderint. *Et licet homines fuiſſent Salani ducis*, vt refert Anonymus, (a) *tamen cum magno honore et timore feruiebant Almo duci, omnia, quae funt neceſſaria ad victum, ficut decet domino fuo, offerentes. Et talis timor et tremor irruerat fuper habitatores terrae; et adulabantur duci et fuis primatibus, ficut ferui ad fuos proprios dominos.* Hungari, de fertilitate regionis edocti, viribus inftauratis, primum impetum in arcem vicinam, Vng dictam, conuerterunt. Nondum caftra pro moenibus defixerunt, quum caftri praefectus, cui Loborcy nomen erat, ad primum Hungarorum confpectum adeo territus eft, vt, defperata loci defenfione, fuga falutem quaefierit. Sed, quum ad caftrum Zemlum properaret, ab Hungaris perfequentibus interceptus, et ad proximum fluuium laqueo fufpenfus, fluuio huic a fuo nomine nomen indidit. *Et a die illo fluuium illum*, Anonymo tefte, (b) *vocauerunt fub nomine eiusdem Lobotcy*, hodie Labortza, qui fupra Zemlinum Vngo mifcetur. *Tunc dux Almus et fui*, pergit Anonymus, *caftrum Hung fubintrantes, diis immortalibus magnas victimas fecerunt, et conuiuia per quatuor dies celebrauerunt.* Vltimum hoc operum Almi ducis erat; poft quod, velut impofito fibi munere deducendi Hunga-

A. C. 889.

(a) *Cap. XII.*
(b) *Cap. XIII.*

A. C. 889. ros in hanc regionem, perfunctus, postquam eius possessionem, castro Hung occupato, cepisset, aetate iam ingrauescente, curam gentis in Arpadum filium translaturus, in eius verba iureiurando populares adegit. *Quarto autem die*, prosequitur Anonymus, *inito consilio et accepto iuramento omnium suorum, dux Almus, ipso viuente, filium suum Arpadum ducem ac praeceptorem constituit.* Quamdiu post haec vitam produxerit; quo fine hanc, et vbi clauserit; incertum est. Turotzius quidem aît, illum in Transsiluania caesum esse; quod tunc fieri poterat, quum altera Patzinacitarum incursione Hungari pulsi, semet in inceriora Transsiluaniae receperunt; ceterum, quod subiicit: (a) *Non enim potuit in Pannoniam introire*, propter potiorem Anonymi nostri fidem et auctoritatem vel prorsus reiiciendum est, vel sic exponendum, vt Pannoniam, proprie dictam, quae Danubio versus orientem ac septemtrionem concludebatur, Almus non introiuerit, vel denique Turotzius suum *Erdeleu* latius extenderit, eoque nomine siluestres ad Vngum plagas, hodiernae Transsiluaniae vicinas, etiam comprehenderit. Praestantissimi ducis indolem et characterem Anonymus noster ita pingit: (b) *Erat ipse Almus facie decorus; sed niger: et nigros habebat oculos; sed magnos: statura longus*

(a) *Chr. P. II. C. III.*
(b) *Cap. IV.*

longus et gracilis: manus vero habebat grossas et digitos prolixos: et erat ipse Almus pius, beneuolus, largus, sapiens, bonus miles, hilaris dator omnibus illis, qui in regno Scythiae tunc tempore erant milites. Hae virtutes tantum illi fauorem Hungarorum conciliarunt, vt et ipsum ducem itineris elegerint, et eius imperata libentes exhauserint.

A. C. 889.

---

§. II.

ARPADVS DVX II.

Coepit A. C. 889. *desiit A. C.* 907.

A. C. 889. *Arpadi* I. *Indict.* 7.

LIV.

I. Quas Hungari sub Arpadi primordia plagas obtinuerunt?

Post Arpadum Almo patri vel suffectum, vel adiunctum, Anonymus Belae notarius, iis potissimum narrandis, quae Hungari partim in itinere, partim in asserenda sibi hac regione gesserant, intentus, aliqua silentio praeterit, quae Porphyrogenitus de Turcis, quorum nomine Hungaros venire constat, perhibet. Sicut igitur hactenus ea, quae Porphyrogenitus de Hungarorum ex Asia migratione praetermiserat, ex Anonymo nostro suppleuimus, ita posthac ea, quae hic omittit, ex illo proponemus; sic enim vtrique sua fides constabit, nec alter alteri, quod prima fronte vi-

A. C. 889. videtur, aduerſabitur. Quum Conſtantinus de ſuis Turcis, ſeu Hungaris, agit; tres eorum ſedes diſtinguit; ac primam quidem *in loco, cui cognomen Lebedias;* alteram *in locis Atelcuſu nuncupatis;* tertiam et poſtremam *in Magna Morauia* ſtatuit; (a) eiusque limites non ſola hac prouincia definit, ſed ad pontis vſque Traiani rudera porrigit. (b) Quia vero nulla harum ſedium in Aſia fuit, ex qua Hungaros prodiuiſſe iam alias vidimus, quicquid de horum auitis ſedibus ac migratione Belae notarius attigit, id Conſtantino, qui haec reticet, contrarium nullo modo cenſeri poteſt. Nam hic ipſe purpuratus auctor, quum ſcripſit, *Turcarum gentem olim prope Chazariam habitaſſe*, ſubiicitque: *Habitarunt autem cum Chazaris annos tres;* (c) luculenter innuit, Turcarum gentem prius alibi habitaſſe, prope Chazariam aliunde veniſſe. Quum igitur, vbi habitauerint, vnde, quo duce, quibus itineribus venerint, non indicet; id ex Anonymo domeſtico ſuppleri debuit. Nec vllum tempus opportunius, quo Hungari triennio prope Chazariam et cum ipſa Chazarorum parte, quae receſſionem ad eos fecerat, habitauerit, aſſignare poſſumus, iſto, quod inaugurationem Arpadi, more Chazarorum factam, praeceſſit. Videntur enim Hungari, poſtquam Kiouiam, Lodomeriam

(a) *De adm. imp. Cap.* 38.
(b) *De adm. imp. C.* 40.
(c) *De adm. imp. C.* 38.

A. C. 889.

eriam, Haliciam tributis subiecissent, ita lagas Vngenses insedisse, vt veterem Cumanorum, seu Chabarorum sedem et quicuid infra Kiouiam vltra Tyram, seu Nieer fluuium ad Donetzi fontes comprenditur, etiam in sua potestate retinuerint; aditu semel in Hungariam aperto, hic uidem Almus, vel Arpadus, illic Eleulus, alibi dux alius Hungarorum parti raefuerit. Hoc ergo tempus existimo fuse, quo Hungari, secundum Porphyroenitum, *habitarunt cum Chazaris annos tres;* uo, secundum Nestorem (a) *aliquamdiu on longe ab urbe Kiouia ad Borysthenem consederunt*; quo, secundum Cl. Praium (b) *fuere primae Hungarorum in Europa sedes ab Sarcel vrbe secundum Donetzum et Borysthenem oramque Ponti Euxini vsque ad Bogum* (iuxta nos vsque ad Vngum) *ita vt vnius diei itinere Kiouia, quae tunc Russorum sedes fuit, abessent.*

II. Quid in Lebedia prope Chazariam egerunt?

LV. Vt ratio totius itineris Hungarorum ex Anonymo; ita habitatio triennalis eorumdem prope Chazariam ex Constantino nobis innotescit. Hanc ille commorationem, de Hungarorum in has terras ingressu praecipue solicitus, non attigit; iste, de rebus Turcorum a Chazaris, vel Russis edoctus, eamdem ita describit: (c) *Turcarum*

(a) *Coll. Russ. T. I. p.* 14.
(b) *Diss. V. p.* 90.
(c) *De adm. imp. C* 38.

A. C. 889.

rum genus olim prope Chazariam habitabat, in loco, cui cognomen Lebedias, a primo ipsorum Boebodo, qui nomine quidem Lebedias appellabatur; dignitate vero, quemadmodum reliqui eius successores, Boebodus vocabatur. In hoc igitur loco, nimirum in praedicta Lebedia, fluit amnis Chidmas, qui etiam Chyngilus cognominatur. Et quidem tunc temporis non Turci, sed Sabartaeasphali quadam de caussa dicebantur, erantque gentes eorum septem, et principem vel indigenam, vel alienigenam habuerunt numquam, sed erant inter ipsos Boebodi quidam; quorum primus is, cuius supra mentionem fecimus, Lebedias. Habitarunt autem cum Chazaris annos tres, omnibus eorum in bellis adiutores; Chaganusque, Chazariae princeps, primo Turcarum Boebodo Lebediae, fortitudinis eorum, ac commilitii caussa, vxorem dedit Chazaram nobilem, motus fortitudinis eius fama et generis splendore, vt ex eo prolem tolleret. Attamen casu factum est, vt ex Chazara illa liberos non susciperet Lebedias. Non igitur ociosi Hungari triennium illud, quo prope Chazariam in Lebedia consederant, exegerunt; hic enim teste Porphyrogenito, sociam Chazaris operam in omnibus eorum bellis nauarunt; hic bellicam virtutem ita sociis suis probarunt, vt gloriae sibi ducerent, si nouo cum iis affinitatis vinculo necterentur.

III. Vbi Lebedias; vbi Chyngilus quaeri debet?

LVI. Vbi haec regio Lebedias, cui Turcarum Boebodus a suo nomine nomen

indiderat, exstiterit, arduum est decernere propterea, quod nulla huius nominis regio nunc exsistat; nec in vllo scriptore, praeter Constantinum, mentio huius regionis occurrat; nec videtur Porphyrogeniti Lebedias duraturum huic loco nomen indere potuisse, qui nonnisi triennio cum suis illic consederat. Certe Patzinacitae, qui pulsis Turcis, eumdem locum occuparunt, nouitium hoc nomen vix retinuerint, sed vel antiquum renouauerint, vel, quod magis reor, thematis alicuius nomen subrogauerint. Duo sane themata Patzinacitarum, *Ertem*, et *Charoboe*, Constantinus ita collocat, (a) vt inter Danaprim, et Danastrim posita, regionem, quam Lebedias incolebat, obtinuisse videantur. *Chyngilus* fluuius, qui Lebediam irrigabat, fortasse *Cyngissonum* appellationem Chamis Tartarorum Praecopensium indidit; quorum genus olim ita vocatum fuisse, Martinus Broniouius in sua Tartaria testatur. (b) *Si quis eo nomine amnis veniat*, scribit Cl. Praius (c) *coniectura assequeremur; certas eorum sedes haberemus: nunc, quod vnum possumus, ex Chazarorum populo solum coniectandae erunt.* Ex horum igitur vicinia sedes Turcis intra Tanaim et Volgam assignat; vnde pars, a Patzinacitis victa, versus Persidem recesserit. At pro suo candore

A. C. 889.

(a) *De adm. Imp. Cap.* 37.
(b) *Script. Hung. T. I. n.* 20. *p. m.* 278.
(c) *Ann. vet. P. III. p.* 306.

A. C. 889.

dore ſtudioque veritatis, quae per ſollertem longioris temporis inueſtigationem in clariore ſemper luce ponitur, hanc opinionem alibi corrigit, primamque Patzinacitarum in Turcas impreſſionem figit ad A. C. 894. *Pulſi*, inquit, (a) *Patzinacitae ab Vzis, relicto Volga, in Turcas a ſeptemtrione irruentes, hos a minori Tanaï in meridiem ad Iſtrum protruſerunt. Hic illam, cuius Conſtantinus meminit, Turcarum diuiſionem factam eſſe, vel ipſe regionis poſitus luculenter oſtendit.* Ad minorem igitur Tanaim, ſeu Donetzum, Boryſthenem et Bogum primas Hungarorum in Europa ſedes collocat, locumque Conſtantini de regione Lebedia fluuioque Chingilo ſic explicat: (b) *Exſtat in palatinatu Braclauienſi ſupra Bogum fluuium ſilua, cui Lebedyn nomen et magis ortum verſus amnis Ingilus, quem alii Ingulum dicunt, non longe ab ea ſilua ortum ducens et in Bogum ſe exonerans.* Quicquid ſit de Lebedyn et Ingulo, deſcriptus locus congruit verbis Conſtantini, quibus Turcos cum Lebedia prope Chazariam habitaſſe ſcribit.

IV. An Eleudius Anonymi ſub Leuedia Conſtantini latet?

LVII. Magnam Anonymo difficultatem Lebedias iſte Boebodus offert, cuius ille nusquam meminiſſe videtur, quamuis Conſtantinus praecipuam illi dignitatem, egregiaeque fortitudinis et nobilitatis laudem tri-

(a) *Diſſ. V. p.* 100.
(b) *Diſſ. V. p.* 90.

tribuat. At mihi quidem non alius hic Lebedias, quam Eleudius, ab Anonymo mox altero post Almum loco nominatus, fuisse videtur. Nullius quidem inter septem duces Eleudii Turotzius meminit; meminit tamen inter progenitores Arpadi, cuius patrem Almum, auum Eleudium, proauum Vgekium facit. (a) In quo licet auctoritas Anonymi nostri praeualeat; testimonio tamen etiam Turotzii constat Eleudium vnum e praecipuis Hungaris fuisse, quem Porphyrogenitus vocare potuerit primum eorum boebodum, qui prope Chazariam habitabant. Neque hunc solum, sed praeterea Cundum trans Tyram parti Hungarorum praefuisse, inde mihi fit verosimile, quod Anonymus istorum ducum non meminerit, vsquedum Hungari Danubium transmisissent. (b) Arpadum quoque hac, credo, de caussa horum, vt ceterorum ducum, opera non vsum in subigendis Hungariae plagis, quod illi longius abfuerint, donec iterum a Patzinacitis e locis Atelcusu nuncupatis pulsi, nouas vltra Danubium terras accepissent. Quapropter Porphyrogenito noster Anonymus adeo non aduersatur, vt potius, quicquid ille de Lebedia scribit, hic silentio suo confirmare videatur. Dum enim nusquam Eleudii meminit a cap. VI. quo ceteros inter duces etiam illum numerat, ad cap. L. quo

A. C. 889.

H fil-

(a) *Chr. P. II. C. I.*
(b) *Cap. XLVI. L.*

A. C. 889. siluam Vertes eidem ab Arpado datam narrat, innuere videtur, Eleudium alibi tunc occupatum fuisse; vix enim praecipuus dux Arpadianae donationis expers tamdiu mansisset; si, quemadmodum ceteri, praesens iis rebus, quas Arpadus, ante Danubium transmissum, per se suosque duces gesserat, fuisset. Nec est, cur quisquam adhaereat in Eleudii nomine, quod tam facile Graecus in Leuediam, seu Lebediam, commutare poterat, quam Almum in Salmutzem, vt mox videbimus, more ceterorum, peregrinas voces corrumpentium, conuertit. Sunt quidem hae coniecturae dumtaxat, ex quibus, tamquam ex plane compertis, ad liquidum perduci nondum quicquam possit; occasioni tamen erunt, vt aliis in mentem complura veniant, de quibus numquam, nisi moniti cogitassent.

V. Quo sensu Lebedias primus Turcarum boebodus dici potest?

LVIII. Maior in eo difficultas apparet, quod Porphyrogenitus hunc Lebediam primum Turcorum boebodum vocet, quum Anonymus hanc praerogatiuam Almo potius et Arpado tribuat. Vnde Cl. Praius argumentum sic informat: (a) *Si Lebedias generis splendore ceteris praecelluit; si primus Turcarum boebodus erat; Almum nequaquam, vt Belae notarius scribit, supremum Hungarorum ducem fuisse --- suapte consequitur.* Constantinus multa de Turcis admodum ob-

(a) *Diss. V. p. 94.*

obſcura habet, quae ſecum ipſis pugnare videantur, ſi voces in ſenſu, quem prima fronte praeferunt, accipiantur. Dat ille Turcis principem Liunticam eo tempore, (a) quo Cl. Praius ipſe fatetur, *Arpadum in viuis fuiſſe.* (b) Affirmat, eo, quo ſcribebat tempore, rerum ſummam apud Turcos penes Phalitzim fuiſſe, *de quo nec noſtri nec externi ſcriptores quicquam memorarunt*, vt rurſus ibidem Cl. Praius agnoſcit, hasque Porphyrogeniti ſententias ſic exponit, vt hos vicaria tantum poteſtate domi principatum tenuiſſe putet, quum Arpadus et Toxus alibi bellum gererent. Cur pari iure non liceat dicere, Lebediam ab eodem primum boebodum dici, quod Almus, vel Arpadus longius rem gererent? Mihi vero videtur Porphyrogenitus, idcirco Liunticam, Arpado ſuperſtite; Phalitzimum, Toxo rerum potiente, Turcis principem dare, quod hi Hungarorum parti, Graecis viciniſſimae, praefuerint, adeoque hi potius, quam aut Arpadus, aut Toxus, qui nihil eo tempore cum Graecis negocii habebant, eidem cogniti fuerint. Ita Lebediam quoque primum inter Boebodos appellare poterat, vel quia hic primas partes verſus orientem et prope Chazariam cum ſuis inſederat, vel quia Chazaris, a quibus pleraque Conſtantinus de

A. C. 889.

(a) *De adm. imp.* C. 40.
(b) *Diſſ.* X. *p.* 242.

A. C. 890. Turcis acceperit, ob fortitudinem notissimus, Almoque longius agente, celeberrimus erat.

A. C. 890. Arpadi 2. Indict. 8.

VI. Quas Patzinacitae clades a Chazaris acceperunt?

LIX. Postquam Porphyrogenitus ea, quae Lebediam, seu ducem, seu regionem concernunt, descripsisset, caussam, cur Turci hanc sedem mutare coacti fuerint, propositurus, bellum, inter Patzinacitas et Chazaros obortum, his verbis attigit: (a) *Patzinacitae vero, qui Cancar olim cognominabantur (nam hoc nomen Cancar apud ipsos nobilitatem et fortitudinem significat) armis contra Chazaros sumtis, victi, terram suam deserere et Turcarum regionem incolere coacti fuere.* Non est dubium, quin hoc loco Porphyrogenitus illud bellum intelligat, quod paullo supra sic descripsit: (b) *Habitabant Patzinacitae a principio ad fluuium Atel* (Volgam) *nec non ad fluuium Geich* (Iaich) *conterminosque habebant Mazaros et sic dictos Vz. Ante annos vero* 50. (vitiatum esse hunc numerum, deinde patebit) *qui Vzi nuncupantur, cum Chazaris conspirantes, et coniunctis armis Patzinacitas aggressi, superiores euaserunt, sedibusque illos suis expulerunt, quas ad hodiernum vsque diem tenuerunt denominati Vzi.* Hic quidem Vzos, Chazaris coniunctos, bellum

(a) *De adm. imp.* C. 38.
(b) *De adm. imp.* C. 37.

lum Patzinacitis intulisse; illic autem Patzinacitas in Chazaros arma, commouisse, refert; quia tamen eumdem effectum vtrobique ponit, Patzinacitarum scilicet e sedibus suis fugam et irruptionem in regionem Turcarum; vix est dubitandum, idem a Constantino factum vtrobique designari. Rei tamen gestae tempus ex anno quinquagesimo, supra posito, cognosci certo non potest; immo nec ex anno quinquagesimo quinto, quo Constantinus commorationem Patzinacitarum in terra Turcarum ad suam aetatem definit. Hoc enim loco duplex Patzinacitarum in Turcas irruptio confunditur, quae nisi distinguatur, idem esse debebit locus Lebediae cum locis Atel Cusu nuncupatis; quum tamen Turci, dum ex regione Lebedia pellerentur, boebodum Lebediam; dum e locis Atel Cusu nuncupatis exigerentur, principem Arpadum ex Coustantino habuerint. Neuter igitur annus, a Porphyrogenito positus, impedire potest, quo minus cladem Patzinacitarum in hunc annum defigamus, vt postea, quam vtramque horum in terras Turcicas irruptionem distincte retulerimus, clarius ostendemus.

A. C. 890.

A. *C.* 891. *Arp.* 3. *Indict.* 9.

LX. Patzinacitae, sedibus suis, quas intra Iaichum et Volgam fluuios obtinuerant, expulsi, versus occidentem profugerunt, ac in Hungaros Eleudianos, seu Tur-

VII. Quas Turcis Lebediae subiectis intulerunt?

A. C. 891. cos Leuedianos, inciderunt. Commisso praelio, tanto facilius de his victoriam reportarunt, quanto longius ab iis illi Hungari remouebantur, qui prouinciam Vngensem insederant. Ab his enim, quum et ob locorum distantiam et inopinatam Patzinacitarum irruptionem, auxilium nullum accipere possent; facilius cladi patuerunt, bifariamque diuisi, pars, eodem Eleudio duce, Tyram transmiserunt, ac in locis Atel Cusu nuncupatis consederunt, pars in Persidem concesserunt. *At Patzinacitae*, scribit Porphyrogenitus, (a) *qui fuga euaserunt, circumeuntes, quaerebant locum, in quo domicilium suum figerent. Venientes autem in terram, quam nunc incolunt, inuentisque illic Turcis incolis, parato bello, hos deuicerunt.* Haec ad primam Turcarum ex regione Lebedia; quae sequuntur, ad alteram ex locis Atel Cusu nuncupatis eiectionem pertinere, patet e sequenti capite, quo Constantinus res Turcorum distinctius hunc in modum exsequitur: (b) *Bello autem inter Turcas et Patzinacitas, tunc temporis Cancar cognominatos, exorto, Turcarum exercitus deuictus fuit, atque in partes duas diuisus. Et earum vna quidem orientem versus partem Persidis incoluit; et hi etiam in hodiernam diem de veteri Turcarum cognomine Sabartaeasphali nuncupantur. Altera autem pars occidentem ver-*

(a) *De adm. imp.* C. 37.
(b) *De adm. imp. Cap.* 38.

versus sedes posuit cum boebodo suo ac duce Lebedia, in locis Atel Cusu nuncupatis, quae nunc Patzinacitarum gens incolit. Sed non statim, atque Turcos e regione Lebedia pepulerunt, hanc Patzinacitae terram, Atel Cusu nuncupatam, incolere coeperunt. Prius enim, vt Porphyrogenitus disserte scribit, Lebedias, e regione cognomine cum suis eiectus, sedes in locis Atel Cusu nuncupatis posuit; deinde, pulsis istinc quoque Turcis, haec etiam regio, retenta simul priore, Patzinacitarum euasit. Ad illud igitur tempus, quo Constantinus haec litteris mandauit, ab eo tempore, quo Patzinacitarum gens regionem Lebediam occupauit, plures anni, quam quinquaginta quinque, praeterlapsi sunt; neque his annis Porphyrogenitus ad illud tempus respexit, quo Patzinacitae primam Turcorum in Europa sedem; sed quo secundam in locis Atel Cusu nuncupatis sibi vindicarunt, ac ad suam aetatem obtinuerunt. Quare priusquam de hac altera Patzinacitarum victoria, quum series rerum eo nos deduxerit, agamus; quid Turcis, in Lebedia victis, acciderit, discutiamus.

A. C. 891.

VIII. Quo Sabartaeasphali post hanc cladem se receperunt?

LXI. Constantinus, vt supra vidimus, Turcarum exercitum a Patzinacitis deuictum, in partes duas diuisum fuisse perhibet, et earum vnam, orientem versus, partem Persidis incoluisse, nomenque Sabartaeasphalorum, de veteri Turcarum cognomine, retinuisse. Num hanc appella-

A. C. 891. tionem e Sabiris et Euthalitis Porphyrogenitus conflauerit et corruperit, vt Cl. Praius opinatur, (a) in medio relinquo. Quia tamen haec Sabartaeasphalorum appellatio nusquam apud alios auctores deinceps occurrit, videtur haec Turcorum pars vel exigua fuisse, vel nihil memorabile postea gessisse. Mihi sane non liquet, quomodo hi Turci fuerint iidem cum iis, qui serius imperium Ottomanicum condiderunt. Hi Turci, qui nunc a Patzinacitis victi, versus orientem profecti sunt, iam aetate Constantini partem Persidis incoluerunt; ii vero Turci, quorum Bryennius meminit, (b) eodem, et Cedreno teste, (c) *habitarunt ad Caucasi montis partes septemtrionales;* ac temporibus Basilii iunioris, Araxe transmisso, Saracenorum Califis auxilium tulerunt, ac subinde, subactis ipsis Saracenis, Persidem sui iuris fecerunt. Quum igitur certum sit, Porphyrogenitum de his Turcis, sub Basilio iuniore, suo nepote, cuius imperio sedecim annis praemortuus erat, in Persidem profectis, accipi non posse, dum Turcos a Patzinacitis profligatos, partem Persidis incoluisse scribit; incertum prorsus manet, an Sabartaeasphali, qui, post cladem a Patzinacitis acceptam, in partem Persidis se receperunt,

(a) *Ann. vet. P. III. p.* 306. *Et Diss. V. p.* 100.
(b) *L. I. n.* 7.
(c) *Edit. Venet. p.* 599.

runt, inter imperii Ottomanici conditores numerari possint. Ceterum hunc Sabartaeasphalorum in Persidem discessum videtur etiam Turotzius innuere, quum ex aliorum traditione statuit, (a) eos, qui *Persidem regionem inhabitarent, statura et colore similes Hunnis, tantummodo in loquela, velut Saxones et Turingi, modicum differentes.* A. C. 891.

LXII. Facta diuisione Turcarum, aliaque parte versus orientem, alia versus occidentem profecta, locum, in quo haec consedit, ita Porphyrogenitus indicat: (b) *altera autem pars occidentem versus sedes posuit cum boebodo suo ac duce Lebedia in locis Atel Cusu nuncupatis, quae nunc Patzinacitarum gens incolit.* Vbi haec loca, quae Turci, virtute Patzinacitarum e regione Lebedia pulsi, primum occuparunt, posita fuerint, obscurum ac incertum est. Neque plus lucis adfert altera Constantini sententia, qua regionem hanc ita designat: (c) *Locus autem, quem primitus Turcae occupabant, a fluuio interlabente nuncupatur Etel et Cusu, in quo nunc Patzinacitae commorantur.* Id vnum istinc colligi potest, regionem illam, quam primum Turcae, deinde Patzinacitae tenuerunt, ab interlabente fluuio nomen illud accepisse.

IX. Vtrum in Transsiluania?

(a) *Chr. P. I. C. II.*
(b) *De adm. imp. C.* 38.
(c) *De adm. imp. C.* 40.

A. C. 891. Vnde Stiltingi ſententia, qui per *Atel* vel *Etel*, *Ertel*, ſeu Tranſſiluaniam intelligi vult, (a) tolerari non poteſt. Tranſſiluaniam enim *Erdély* ab *Erdó* Hungari dicimus, eaque voce non fluuium, vt ex Conſtantino ſequi deberet, ſed ſilvam exprimimus. Scio quidem per Etil Volgam, per Cuſum Vagum fluuios a veteribus vſurpatos fuiſſe; at Patzinacitae numquam ditiones ſuas ad Vagum vſque fluuium porrexerunt, nec Turci, Lebedia pulſi, Volgam fluuium repetierunt; hoc enim facto, non verſus occidentem, ſed verſus orientem e regione Lebedia profecti fuiſſent. Cl. Praius locis Atel Cuſu nuncupatis Daciam itidem intelligi vult; laudatis enim Conſtantini verbis, haec eiusdem ſubicit: (b) *In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta ſuperſunt, inter quae pons Traiani.* Vnde ſic arguit: (c) *Ex his circumſtantiis ipſam Daciam manifeſto indicio habemus, quam Hungari, poſtquam a Patzinacitis victi fuiſſent, colere coeperint; id quod fluuius Etel, qui alius ab Aluta eſſe non poteſt, tum rudera pontis Traiani ſatis indicant.* Atqui rudera pontis Traiani non Patzinacitarum, ſed Turcarum, aetate Porphyrogeniti, ſedem indicant. Sic enim Conſtantini locus, non interpolatus, habet: *Locus*

(a) *V. S. Steph. diſſ. praev.*
(b) *De adm. imp. C.* 40.
(c) *Ann. vet. P. III. p.* 307.

cus autem quem primitus Turcae occupabant, a fluuio interlabente nuncupatur Etel et Cusu, in quo nunc Patzinacitae commorantur; a quibus sane pulsi Turcae et profugientes sedes posuerunt illic, vbi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt, inter quae pons Traiani imperatoris ad initia Turciae. Duplex hic sedes Turcarum, vt apparet, a Constantino distinguitur; altera, quam, pulsi primum a Patzinacitis, in locis Etel et Cusu nuncupatis occuparunt; altera, quam, istinc iterum ab iisdem eiecti, sic insederunt, vt ad initia Turciae Traiani pons esset. Quare loca Atel Cusu nuncupata, quae Patzinacitae, Turcis exactis, occuparunt, et ad aetatem Constantini retinuerunt, vltra Traiani pontem esse, immo quatuor dierum itinere, hinc distare debebant, quum alio loco Constantinus afferat (a) *distare Patzinaciam a Turcia dierum quatuor itinere.* Quum igitur ex Porphyrogenito constet, eius aetate Patzinaciam in locis Atel Cusu nuncupatis fuisse; Patzinaciam tamen eamdem a Turcia, cuius initia fuerint ad pontem Traiani, quatuor dierum itinere distitisse; locis Atel Cusu nuncupatis Transsiluania venire non potest; neque Patzinacitas vnquam obtinuisse Transsiluaniam, vbi de Gyula disseruerimus, vberius ostendemus.

A. C. 891.

LXIII.

(a) *De adm. imp. C.* 37.

A. C. 891.

X. Vel solum in Moldauie ceteri Turci cum duce Lebedia consederunt?

LXIII. Etsi vero, *quid nominibus Atel et Cusu veniat, nemo hactenus satis explicatum reddiderit*, vt Cl. Praius loquitur, (a) adeoque per Etel Alutam intelligi, minime certum sit; vbi tamen ea loca sita sint; vbi regio, quam Patzinacitae Turcis eripuerint, iacuerit, rimam, ex qua lucis aliquid emicet, ex illo Constantini loco videre mihi videor: (b) *Ceterum Patzinacitarum locus, quem tunc* (quum postremum a Patzinacitis e locis Atel Cusu nuncupatis exigerentur) *inhabitabant Turcae, a fluuiis, qui illic sunt, cognominantur. Flumina autem istaec sunt: primus fluuius Baruch appellatur; secundus Cubu; tertius Trullus; quartus Prutus; quintus, qui dicitur Seretus.* Postremi duo fluuii suum hodieque nomen in Moldauia retinent; per Trullum intelligi Turlam, seu Tyram, qui hodie Niester audit, dubitari vix potest; ex his coniectura fit, Baruch et Cubu non longe hinc quaerendos esse. Quid si per *Bardalach*, quem chartae Koelerianae, quibus Danubius cum adiacentibus regionibus describitur, Seretum inter et Prutum in Moldauia collocant, Baruch accipiendus? Cl. Praius (c) *Cubum* melius Cusum fuisse scribendum suspicatur, vt idem ille Cusus per eum intelligatur, cuius Porphyrogenita bis antea meminerat, quum de locis Atel Cusu vel

(a) *Diss. V. p.* 98.
(b) *De adm. imp. C.* 38.
(a) *Ann. vet. P. III. p.* 307.

vel Etel Cusu nuncupatis loquebatur. Per hunc Cusum, seu Cuzum an non designetur *Vzvs*, quem Timon (a) inter S. Georgii villam et sedem Cassoniam ortum in Moldauiam excurrere, fluuiumque *Tatrum* in se recipere scribit, ob nominis affinitatem, et aliorum, quos supra nominauimus, fluuiorum propinquitatem, suspicari licet; et quia *Tatros Vzo* huic in Moldauia miscetur, per *Atel Tatrum*, per *Cuzum Vzum* intelligere. Nam in Constantino nihil est noui, litteras exoticarum vocum aliquas permutare, demere, vel addere. Sic enim et *Atel* paullo post *Etel*; et *Almum Salmutzem* vocat. Cl. Hellius in mappis mecum humanissime communicatis per Baruch Borysthenem, per Cubu Bogum accipit. Et videtur hic Porphyrogenitus tam loca, quae primum; quam, quae deinde Patzinacitae Turcis eripuerant; adeoque tam regionem Lebediam, ad Borysthenem et Bogum sitam, quam loca Atel Cusu nuncupata, designare. Haec igitur in Moldauia, quam Trullus, Prutus et Seretus interluunt, videntur fuisse. Negat tamen Cl. Praius loca Atel Cusu nuncupata in Moldauia fuisse; (b) *quod haec diuisis bifariam Turcis, insessa a Patzinacitis fuit.* Atqui non statim insessa; primum enim Patzinacitae Lebediam tantum regionem occuparunt, quum Turci cum duce Lebedia

A. C. 891.

(b) *Imag. nou. Hung.* C. XI.
(b) *Diss. V. p.* 99.

A. C. 892. dia in locis Atel Cusu nuncupatis sedes posuerunt. Deinde *post aliquot annos*, vt Constantinus loquitur, Patzinacitae Turcas iterum inuaserunt, ac etiam ex iis locis expulerunt, vt, quum ad ea tempora delapsi fuerimus, huius quoque belli caussa ac adiuncta fusius exponemus.

A. C. 892. *Arpadi* 4. *Indict.* 10.

XI. Cur Lebedias oblatum a Chazaris principatum reiecit?

LXIV. Postquam Turci regionem Lebediam cum suo duce deserere, coacti, Tyram fluuium transmiserunt, ac in locis Atel Cusu nuncupatis consederunt, *paullo post*, scribit Porphyrogenitus, (a) *Caganus ille Chazariae princeps, per legatos petiit a Turcis, vt ad se Chelandiam mittant primum eorum boebodum. Itaque ad Caganum Chazariae profectus Lebedias interrogauit, quae vocandi ipsius caussa esset. Cui Caganus: ideo se eum vocasse, vt, quandoquidem nobilis, prudens, strenuus, primusque Turcarum esset, gentis suae principem faceret, eo pacto, vt sibi subesset. At ille respondit: affectum tuum erga me et voluntatem exosculor, gratiasque dignas ago. Quando vero tali principatui non sufficio, parere non possum. Sed est alter a me boebodus Salmutzes nomine, qui et filium habet Arpadum nuncupatum. Horum siue ipse Salmutzes, siue filius eius Arpades princeps fiat, tibique subiiciatur. Placuit itaque haec oratio Cagano,* vi-

(a) *De adm. imp.* C. 38.

virosque cum ipso ad Turcas misit; qui, vbi cum iis sermonem communicassent, visum potius illis fuit, Arpadem principem constituere, quam patrem Salmutzem, vtpote digniorem, et prudentia, consilio, et fortitudine insignem, talique principatui parem; quem etiam sollemni Chazarorum more ac consuetudine in scuto erectum principem fecerunt. Et ante hunc Arpadem Turcae principem altum nullum vmquam habuerunt; ex cuius etiam posteris ad hunc vsque diem princeps Turciae constituitur. Obseruauerit Chazarorum princeps, ideo potissimum Turcos a Patzinacitis profligatos ac e Lebedia proturbatos esse, quod Lebedias non ea potestate praeditus fuerit, quam arcana rerum lex necessariam constituit ad quamuis hominum societatem rite conseruandam. Vnius certe principis vis ad vtilitatem reipublicae tantum valet, vt ii populi, qui principatum cum libertate maturius commutarunt, se se plurimum extulerint. Iccirco Caganus Chazarorum, genti cognatae consulturus, auctor Lebediae fuit, vt, quo porro periculis occurrere feliciusque ruinas occupare posset, gentis principatum admitteret; quem non alia, credo, de caussa voluit obnoxium sibi habere, quam vt promtius eum iuuare posset, seu contra populares, si forte hi nouam principis dignitatem auersarentur; seu contra hostes, si quando horum armis rursum impeteretur. Eleudius, quem sub nomine Lebediae latere iam alias innuimus, memor eius iurisiurandi, A. C. 892.

quo

A. C. 892.

quo Hungari, priusquam ex Asia migrarent, in hanc sententiam se obstrinxerunt: (a) *Vt, quamdiu vita duraret, tam ipsis, quam etiam posteris suis, semper ducem haberent de progenie Almi ducis;* oblatam sibi dignitatem modeste deprecatus, sui loco proposuit Almum, aut Arpadum, eius filium, qui princeps fieret, Caganoque subiiceretur. Non multum Hungari, libertatis alias studiosissimi, de hac subiectione, quae tantum in armorum societate posita fuisse videtur, disputarunt, vt Chazarorum fauore, vires, infausta gentis suae diuisione fractas, contra Patzinacitas instaurarent; facileque consenserunt, vt Arpadus, cui iam Almus restrictam illam, quam inter Hungaros habebat, potestatem vltro cesserat, ampliore sibi potestate praeficeretur.

XII. An Arpadus, more Chazarorum inauguratus, maiorem potestatem accepit?

LXV. Atque hunc in modum Anonymum cum Porphyrogenito facilius posse conciliari, nos quidem existimamus, quam ipsum Porphyrogenitum cum Porphyrogenito; qui, licet loco laudato scripserit: *Ante hunc Arpadem Turcae principem alium nullum vmquam habuerunt;* deinde tamen omnem Turcis principem negare videtur, quum ita loquitur: (b) *Octo vero hae Turcorum gentes principibus suis subiectae non sunt, sed singulae pro fluminibus, quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt,*

(a) *Anon.* C. *V.*
(b) *De adm. imp.* C. XL.

tuerunt, quamcumque partem bello infestari contigerit, ei communiter omni studio et cura suppetias ferre. Explicat quidem Cl. Praius, (a) id intelligendum esse de Turcis, accessione Cabarorum auctis, priusquam Arpado summa rerum commissa fuisset. At, quia Porphyrogenitus praesens tempus adhibet; eum statum, quem aetate sua Turcae habuerunt, indicat. Censet idem Cl. auctor, post electionem Arpadi, boebodos esse sublatos ac horum loco Gylam et Carcham ad dirimendas lites subrogatos. (b) At, praeterquam quod horum iudicum institutio serius acciderit, vt suo loco videbimus, post electionem Arpadi boebodorum dignitatem antiquatam non fuisse, patet ex illo Constantini: (c) *Qui nomine quidem Lebedias appellabatur; dignitate vero, quemadmodum reliqui eius successores, boebodus vocabatur.* Quid, quod ipse Porphyrogenitus paullo post subiiciat: *Et habet vnaquaeque gens peculiarem principem;* quibus verbis priora magis implexa reddit. Haec quidem nos, quum ad Zoltanum ventum fuerit, enodare conabimur idque solum hic monemus: si tanta difficultas est in Porphyrogenito, secum ipso conciliando, mirandum non esse, si quaedam difficultates appareant, in eodem cum Anonymo conciliando. A. C. 892.

I LXVI.

(a) *Diss. V. p.* 96.
(b) *Diss. V. p.* 93. 96.
(c) *De adm. imp.* C. XXXVIII.

A. C. 892.

XIII. Quomodo Belae notarius cum Porphyrogenito conciliari potest?

LXVI. Has porro Cl. Praius ita proponit: (a) *Velle - - vt Almus supremus omnium dux fuerit in educendis e Scythia Hungaris; postea autem, quam in Moldauia consedissent, aut sponte decesserit ea dignitate, aut etiam priuatus fuerit, nimis violentum est. Si enim illi tantum erat fortitudinis ac consilii, vt immani numero copias per hosticum sine accepto maleficio duceret; quin Kiouienses, bello, vt notarius vult, profligatos, ad pendendum quotannis tributum cogeret; nihil prorsus caussae erat, cur post stabilitas sedes Almo Arpadus, patri filius, in fortitudinis ac consilii praerogatiua anteponeretur.* Almum sua dignitate priuatum esse, non dicimus; sed eam, vt Anonymus vult, sponte filio suo cessisse. *Inito consilio*, scribit ille, (b) *et accepto iuramento omnium suorum, dux Almus, ipso viuente, filium suum, Arpadum, ducem ac praeceptorem constituit.* Id vero violentum esse nobis quidem non apparet, cogitantibus exempla, quibus plenae sunt omnium paene gentium historiae, patrum, vltro dignitate sua decedentium, vt eam in filios transferrent. Quare, licet tantum fortitudinis ac consilii habuerit, vt immanem numerum Hungarorum per hosticum sine maleficio traduxerit, victosque Kiouienses ad annuum tributum adegerit; et ipse tamen, et Hungari satis caussae habuerunt, vt Arpa-

(a) *Diss. V. p.* 94.
(a) *Cap. XIII.*

padum ob praerogatiuam fortitudinis et consilii supremum principem constituerent. Almus enim, cuius pater Vgek Emesam vxorem duxerat A. C. 819. (a) natus fortassis anno sequente, septuagenarius paene fuit, quum Hungariam attigit. Aetate sic prouecta, viribusque per tam longinquum iter attritis, tantum sibi spondere vix poterat, vt, quae superessent, perficeret. Quum enim haec agerentur, vix quicquam ex ea regione, quae huius expeditionis meta fuit, praeter Vngensem plagam, Hungari sibi vindicarunt. Vt igitur ceteras quoque veterum Hunnorum ditiones subigerent, opus erat forti, vegeto prudentique duce, qualis Arpadus ea iam aetate prae patre videri poterat. His de caussis quamuis Almum dignitate priuatum diceremus; violentum id videri non posset: si vero sponte dignitatem illam filio cessisse, cum Anonymo dicamus; ad eius aetatem adiunctaque temporis prorsus congruenter loquemur, praecipue, si dignitatem non tam dimisisse, quam cum filio communicasse, priusquam legatio Chazarorum aduenisset, censeamus. *Et illud* pergit Cl. Praius, *perquam mirum mihi semper visum est, Almum, vbi Chazari Turcis auctores fuissent, vt supremum sibi principem constituerent, a Lebedia inter candidatos eius dignitatis propositum esse; qui Cagani postulata hoc responso eludere poterat: serum id* A. C. 894.

I 2 con-

(a) *Anon. Cap. III.*

A. C. 892. *consilium videri, quod iam prius in Asia, quam migrationi initium fecissent, electo in supremum principem Almo, occupassent. Nisi quis haec melius Belae notarium, quam Constantinum, sciuisse putet.* Mihi vero semper visum est non contemnendum ad firmandam Anonymi fidem argumentum, quod Lebedias Almum et Arpadum candidatos supremae dignitatis, praetermissis tot aliis seu collegis, seu collegarum filiis, suoque Szaboltsio, proposuerit. Huius sane consilii caussam non aliunde meliorem, quam ex Anonymo, petemus. *Primus*, inquit ille, (a) *status iuramenti sic fuit: vt, quamdiu vita duraret, - - semper ducem haberent de progenie Almi ducis.* At enim Lebedias, si hoc verum fuisset, Cagano respondere poterat, Almum iam in Asia supremum principem electum esse. Nec poterat, nec debebat Lebedias ita Cagano respondere: non poterat; quod Almus ita *supremus princeps* electus non esset, vt alii principes esse desinerent, quos deinceps etiam Anonymus eodem aliisque locis *principales personas* vocat, ac ita *principales personas*, vt, secundum tertiam iurisiurandi formulam, *nec ipsi, nec eorum filii honore regni priuari possent.* Adeo manca restrictaque fuit Almi ducis in hac electione dignitas! Hanc Arpadus auctiorem ac in ipsas *principales personas* ita porrectam e consilio Chazarorum accepit, vt iam ipsos du-

(a) *Cap. VI.*

duces primarios in expeditiones, quas vellet, dimitteret; terras, bello partas, arbitratu suo victoribus addiceret; leges ipsas, quibus tota gens obstringeretur, ipse primus constitueret. Quoniam, igitur Almus huiusmodi supremam potestatem, quam Chazari Hungaris destinabant, non habuit; dicere Lebedias cum veritate non poterat, eum iam *supremum principem* electum esse. Sed ne quidem, si reuera supremam eiusmodi potestatem Almus habuisset, eam Chazarorum Cagano prodere debebat; cuius errore, quod primus ab eo boebodus habitus esset, in rem suam abusus iam tunc erat, quum eius beneficio nobilem Chazaram vxorem accepit. Satis ad fidem, Almo iuratam, fuit, quod oblatam sibi supremam dignitatem modeste recusauerit ac effecerit, vt vel Almus, vel Arpadus, eius filius, secundum formulam primi iuramenti, princeps auctiore potestate constitueretur. Vnde non dubito pronunciare, multa Belae notarium melius, quam Constantinum, de Hungaris sciuisse. Hic enim ea dumtaxat, quae vel a Russis, vel a Chazaris acceperat, de Turcis nosse poterat; hi vero, non tam, quid intra se Turci, quam, quid cum externis, egerint, compertum habere Constantinoque referre poterant. Quapropter ex Porphyrogenito quidem, quas plagas Turci primum, quas deinde, quas postremum tenuerint; non item, quibus eas modis occupauerint, discere possumus. Intimum autem Hungarorum statum, bellicos

A. C. 892.

A. C. 892.

eorum labores ac duces, populos, cum quibus armis decertandum erat, ex Anonymo, scriptore domestico, cognoscere debemus, cuius fidem pluribus iam in prolegomenis, quae hic repetere non iuuat, affirmauimus. Hunc igitur veritatis ducem sequuti, qua ratione maiores nostri has sibi terras asseruerint, distincte succincteque recensebimus, si prius annum, quo suprema haec Arpado potestas collata fuit, excusserimus.

XIV. Quis primus Arpadi principatus annus haberi debet?

LXVII. Electionem Arpadi Cl. Praius defigit ad exeuntem A. C. 890. aut principium insequentis. (a) Cl. Hellius in adiumento memoriae statuit eumdem electum A. C. 887. ritu sollemni Chazarorum inauguratum A. C. 892. (b) Ego cum Anonymo primum ex Asia Hungarorum exitum defixi ad A. C. 884. itineri conficiendo, dum Kiouiam ad deditionem cogerent, quadriennium assignaui; quia vero scriptores, quos supra laudaui, Hungarorum in has terras aduentum referunt ad A. C. 889. eodem anno, rursus Anonymum sequutus, Hungaros Arpado fidem iurasse statui. Quum hic ad castrum Hung; Eleudius ad fluuium Chyngilum Hungaris praeesset, triennium effluxit; quo hi prope Chazariam habitarunt, ac a Patzinacitis victi, sedes suas in locis Atel Cusu nuncupatis col-

(a) *Diss. V. p.* 97.
(b) *Edit. A.* 1774. *p.* 243.

collocarunt; quod proinde factum fuerit ad exitum A. C. 891. aut initium sequentis. Et quia paullo post a Cagano Chazarorum Lebedias euocatus et Arpadus supremus princeps constitutus est; censeo cum Cl. Hellio confirmatum et ritu Chazarorum inauguratum A. C. 892. Eum enim non tunc, quum in Lebedia Hungari habitarunt, vt Cl. Praius semel ac iterum innuere videtur, (a) sed postquam in locis Atel Cusu nuncupatis consederunt, a Chazaris fuisse confirmatum inde colligitur, quod Constantinus Turcos, a Patzinacitis e Lebedia pulsos, istic *cum boebodo suo ac duce Lebedia* sedes posuisse, deinde Lebediam in Chazariam euocatum ac Arpadum inauguratum scribat. (b) Cl. Praius quidem bellum ab Arpado iam principe cum Bulgaris gestum refert ad A. C. 891. sed id nonnihil occupatum esse, vbi locus fuerit, ostendere satagam. A. C. 892.

A. C. 893. *Arp.* 5. *Indict.* 11. A. C. 893.

LXVIII. His ita declaratis, superest, vt, postquam Arpadum tam Porphyrogeniti, quam Anonymi testimonio supremum Hungarorum principem constitutum habemus; eiusdem bellicos labores ac progressiones ex vtroque persequamur. Anonymus rerum ab eo gestarum narrationem in-

XV. Quomodo plagas inter Tibiscum et Bodrogum sitas, Arpadus subegit

(a) *Diss. V. p.* 91. *et* 95.
(b) *De adm. imp. C.* 38.

A. C. 893. incipit (a) ab *anno dominicae incarnationis DCCCCIII.* Sed iam alias monuimus, errore librariorum decenarium numerum X. insertum suo loco non fuisse; rescribendumque DCCCXCIII. Nam Arpadum hoc anno multa iam gessisse, Graeci Latinique scriptores innuunt. Arpadus igitur, supremam potestatem adeptus, quod nec pater, nec ipse prius, adstrictiore potestate praeditus, tentare poterat, statim aggressus, diuisis copiis, quicquid inter Tibiscum et Bodrogum fluuios Vgótsam vsque continetur, occupat: castrum Borsouam post obsidionem triduanam expugnat: captos Salani milites catenis onerat ac in castrum Vng abduci iubet. De his Salanus, Bulgarorum dux, a suis fuga dilapsis edoctus, missis ad Arpadum legatis, obscuram Hungarorum originem primum traducere, tum imperiose praecipere, pedem vt illico referrent; quod nisi facerent, minabatur, se cum auxiliis Graecorum ac Moesiae Bulgarorum propediem adfuturum, tantamque stragem in iis editurum, vix vt aliquis cladis nuncius euadere possit. Postquam legati, transmisso post Zemlinum Bodrogo, locum, vbi tunc Arpadus tentoria defixerat, attigissent, mandataque sui ducis exposuissent; Arpadus, vanis eius comminationibus nihil motus, et humanitate cum superbo duce certaturus, modeste reposuit, se quidem ius ad terras, quas olim

(a) *Cap. XIV.*

olim Attila, de cuius ipse posteris esset, obtinebat, arrogare sibi posse, neque Graecorum, aut Bulgarorum auxilia reformidare; malle tamen amicum esse Salano duci; nec aliud, quam certam terrae portionem ad fluuium vsque Saionem (*Souiou*) pro pascendis pecoribus suis exposcere; duas praeterea lagunculas, aqua Danubii repletas, vnumque fasciculum de herbis sabulorum Alpár, vt experiri possit, an hae Scythicis meliores essent. Addidit legatis munera, suaque beneuolentia conciliatos ac in stuporem datos in patriam redire permisit. Adiunxit et suos ad Salanum nuncios, eique duodecim albos equos, cum aliis id genus muneribus, offerri iussit.

A. C. 893.

LXIX. (a) Legationem obire iussus Ound Hungarus cum Retel Cumano, transmisso Bodrogo, quum minorem fluuium Sátorhalom, (*Asaturholmu*) transire vellet; Retel, equo collapso, mergi iam coeperat; sed accurrentes socii periculo mortis eum exemerunt, iocoque fluuium illum Retel-pataka dixerunt. Ea vero fuit Arpadi ducis in legatum suum liberalitas, vt, de hoc periculo certior subinde redditus, ei tunc omnem hanc ad fluuium vsque Toltsvam (*Tulsuova*) regionem; deinde plagam illam, vbi Vagus Danubio miscetur, donauerit. Hic subinde Tulma,

XVI. Quibus artibus ditionem suam ad Saionem?

 Re-

(a) *Anon. Cap. XV.*

A. C. 893. Reteli filius, Comaromium (Camarum) exstruxit, ideo fortassis ita dictum, quod Comanum auctorem haberet. (a) Legati, iuxta Bodrogum iter aliquamdiu prosequuti, quum inde deflexissent, montique cuidam appropinquarent, celeritatis praemium ei, qui primus ad verticem eluctaretur, proposuerunt. Turzol, legatis comes additus, brauium tulit montique nomen a suo nomine Tartzal. *(Turzol)* imposuit. Istinc legati, circumductis per subiectam omnem plagam oculis, Turzolium, quo celerius Arpado terrae fecunditatem ac amoenitatem nunciaret, remiserunt, ipsique, tertio post die, Salanum in Alpár *(Opar)* iuxta Tibiscum inuenerunt. Hic, oblatis et acceptis Arpadi muneribus, adeo delectatus et captus est, vt ei, quicquid postulauerat, non inuitus concesserit; et praeter alia munera, petitas aquae lagunculas et herbas, ignarus, quantum leuiculis hisce donis peteretur, ioco transmiserit. Arpadus, legatis feliciter reuersis, vehementer laetatus, (b) castris vltra Tartzal promotis, ad Szerentsinum *(Zerenche)* tentoria defixit terraeque possessionem ad Saionem vsque fluuium cepit.

Ad Tatram et Meszesinas portas promouit?

LXX. Postquam autem (c) opera Borsi, qui castrum Borsod ad fluuium Boduam

(a) *Idem Cap. XVI.*
(b) *Idem Cap. XVII.*
(c) *Anon. Cap. XVIII.*

duam (*Buldtam*) exſtruxerat, regni limites ad Tatram (Tatur) promouiſſet et communiuiſſet; (a) ad Menomoroutum, ducem Biharienſem, alios cum muneribus legatos, Vſubum et Velecum, miſit; vtque terras, inter Samuſium (*Zamus*) et Nyir contentas, Hungaris cederet, petiit. (b) Sed difficiliorem hunc, quam Salanum expertus, armis extorquendum, quod vltro non concedebatur, habito ſuorum conſilio, cenſuit. Ad hanc expeditionem deſtinati ſunt tres e ſupremis ducibus, Tós, Szabolts, Tuhutum, qui, cum magnis copiis egreſſi, traiecto Tibiſco, tantum incolis metum incuſſerunt, vt, obſidibus vltro datis, eis ſe ſubiecerint. (c) In eodem igitur loco Szabolts (*Zobolſu*) caſtrum, a ſuo nomine vocatum, exſtruxit; et ipſe quidem cum Toſo, verſus Samuſium profectus, Szatmarinum (*Zotmar*) expugnauit. (d) Tuhutum vero cum Horka filio, populis ad Nyir ſubiugatis, ad Zilaj (*Zyloc*) peruenit; ac ad portas Meſzeſinas cum Szabolts et Tós congreſſus, (e) metam regni ducis Arpad ibidem conſtituit.

A. C. 893.

XVII. Quomodo Tuhutum Tranſſiluaniam ſubegit?

LXXI. Quum (f) in deſcribendis Arpadianae ditionis limitibus laudati duces ad por-

(a) *Idem Cap. XIX.*
(b) *Idem Cap. XX.*
(c) *Idem Cap. XXI.*
(d) *Idem Cap. XXII.*
(e) *Idem Cap. XXIII.*
(f) *Idem Cap. XXIV.*

A. C. 893. portas Meszesinas occuparentur; Tuhutum, auditis Vltrasiluanae regionis laudibus, eius potiundi desiderio captus, (a) exploratorem Ogmandium praemisit; a quo de mira terrae fecunditate certior redditus, (b) per celeres nuncios ab Arpado, sine cuius nutu nihil agere vel supremi duces poterant, potestatem in Transsiluaniam arma transferendi petiit ac obtinuit. Mox igitur, vt celeritate famam aduentus sui praeuerteret, expeditionem illam suscepit, ac siluis vna die transmissis, Geloum, ducem Valachorum (*Blasiorum*, *Blacorum*) ad fluuium Almás cum agmine suo reperit. (c) Vnicus hic fluuius vtriusque ducis exercitum dirimebat, transitumque difficilem, quod luctantes cum aquis milites ab hostibus opprimi facile possent, efficiebat. Tuhutum igitur, copiis bifariam diuisis, partem secum retinuit, partem, quin hostis obseruaret, superius flumen traiicere pugnaque Geloum ex improuiso lacessere iussit. Res e voto cessit. Acri commisso certamine, Gelous in fugam actus ac caesus est, totaque prouincia Tuhutumo dedita, quam eius posteritas ad S. Stephani tempora retinuit. (d) Haec quum in Transsiluania Tuhutum ageret; Tós et Szabolts in Menomoroutum copias promouerunt, frustraque ten-

(a) *Idem Cap. XXV.*
(b) *Idem Cap. XXVI.*
(c) *Idem Cap. XXVII.*
(d) *Anon. Cap. XXVIII.*

tentato per Chryfium ad Székhalom (*Zeguholmu*) tranfitu, verfus Tibifcum iter direxerunt. (a) Fluuio transmiffo, poftquam Arpadus e nunciis praemiffis exercitus incolumitatem armorumque felicitatem intellexiffet; ducibus aduentantibus, honoris gratia, milites fuos obuiam ire iuffit, eosque, magno cum gaudio receptos, multis muneribus cumulauit. A. C. 893.

XVIII. Quomodo Hungari fenfim ad Zagyvam et Matram ?

LXXII. Rebus ad votum ita fluentibus, Arpadus nihil quiefcendum ratus (b) a Salano maiorem terrae portionem, fine bello, fi poffet, extorturus; quafi laetitiam cum eo communicare vellet, re ipfa maiorem vt illi timorem incuteret, victorias fuorum ducum ei nunciauit, ac terras, ad Zagyuam (*Zogea*) fluuium diffufas, tradi, fibi poftulauit. Salanus, alieno periculo fapere doctus, maluit Arpadi poftulatis aquiefcere, quam incertam belli fortunam experiri. Quod poftquam Arpadus a legatis reuerfis didicit; (c) motis ftatim vltra Saionem caftris, ad Emõd (*Emeud*) vno menfe conquieuit, ibique Bungero plagas, inter Tapoltzam (*Topulceam*) et Miskoltzinum (*Miscoucy*) interceptas, cum caftro Diós-Györ (*Geuru*) donauit. (d) Secundis caftris ad Nyárád (*Naragy*) ter-

(a) *Idem Cap. XXIX.*
(b) *Anon. Cap. XXX.*
(c) *Idem Cap. XXXI.*
(d) *Idem Cap. XXXII.*

A. C. 893. tertiis ad fluuium Eger (*Egur*) inter Ostoros et Porolzló (*Vstoros*, *Purozlou*) defixis, ac tuguriis e ramis arborum praeparatis, locum Szihalom, seu Szénhalom (*Zenuholmu*) vocauit. Tum vltra progressus, quicquid agrorum a Chrysio (*Grisio*) Tibisco (*Thyscia*) Zagyua (*Zogeua*) per Matram ad siluam vsque Scepusiensem (*Zepus*) extenditur, ditioni sua subiecit.

Ad Ipolim, Granum, Vagum, Morauam processerunt.

LXXIII. His Hungarorum progressionibus auditis, Arnulphus imperator eorum auxilium in Marahanenses Slauos arcessendum existimauit. Praefuit tunc Marahaniae Zuentibaldus, aliis Zundibaldus, Zundibochus, Zundepolchus, Zuentopluchus, Szentopulchrus, Sphentopolcus, Turotzio Zuatapologus, nobis notissimo nomine Suatoplugus dictus, qui iam dudum in Arnulphi gratiam obrepserat, obsequioque simulato, tantam cum illo familiaritatem contraxerat, vt et in fonte sacro filio sponsor adhibitus, et Bohemiae principatu donatus ab illo fuerit. (a) Quum Suatoplugus tantis beneficiis maleficio responderet, viresque, quibus auctus erat, ad oppugnandum benefactorem suum conuerteret; Arnulphus, poenas ab ingrato repetiturus, exercitu triplici Marahanenses aggredi statuit. (b) Pri-

(a) *Regin. lib. II. ad A. C.* 890.
(b) *Suppl. Fuld. ad A. C.* 892.
Lamb. Schaffn.)
Hepid. mon.) *ad A. C.* 892.
Sig. Gemb.)

Primum ex Francis, Baioariis, Alemannis conflatum, ipse mense Iulio contra Suatoplugum adduxit; alterum Brazlauoni, Pannoniae Sauiae duci, commisit; tertium ab Hungaris, victoriarum cursu magnam Hungariae hodiernae partem iam emensis, expetiit. Arpadus, vltro sibi viam in Marahaniam ab Arnulpho pandi laetus (a) duos auunculi sui Hulek filios, Zuardum et Cadusam, tertium Hubam, vnum e primis 7. ducibus in hanc expeditionem destinauit; et, ne quid a tergo metuendum relinqueret, castrum Gömör (*Gamur*) et Nouigrad expugnari prius iussit. Illi, castris ex Pásztó (*Pastu*) promotis, subactisque locis laudatis, (b) Ipolim (*Ypul*) iuxta Danubium, deinde Granum (*Gron*) fluuios transgressi, iuxta terreum castrum, Várad appellatum, tamdiu consederunt, donec nouus exercitus cum Bors adueniret. Postquam hunc ad munitiones in montibus Soliensibus, seu Zuolen (*Zouolun*) exstruendas, ne quid inde discriminis ab hostibus esset, dimisissent; (c) ipsi, versus Situam fluuium caute profecti, quosdam exploratores praemiserunt; qui non multo post reuersi, narrarunt, limites illos a Zoborio, (*Zubur*) quem Suatoplugus ducem Nitriensibus praefecerat, custodiri, (d) leuique

A. C. 893.

(a) *Anon. Cap.* XXXIII.
(b) *Idem Cap.* XXXIV.
(c) *Idem Cap.* XXXV.
(d) *Idem Cap.* XXXVI.

A. C. 893. uique iactu sagittarum ad Tormos (*Turmas*) fluuiolum obsistentes sibi Slauos Marahanenses et Bohemos ita fuisse turbatos, vt sine mora fugam arripuerint. (a) Haec vbi duces ab exploratoribus didicerunt, versus Nitriam cum copiis iter accelerarunt. Sed iam Zoborius, a suis fuga lapsis de Hungarorum aduentu certior factus, ad prohibendum fluuii transitum cum armatis militibus aduolauit, diuque pugnam sustinuit. Quominus vno statim impetu Hungari fluuium transmitterent, non tam arma Slauorum, quam inundatio fluminis impediuit. Triduo tamen inuicta constantia persliterunt, ac imbrem sagittarum in obluctantes in aduersa ripa hostes effuderunt. Hi tandem, Hungarorum pertinacia victi, non aliud, quo salutem tutarentur, inueniebant, quam vt in vicinum Nitriae castrum se se reciperent ac ex ipsis moenibus hostem submouerent. Multis in fuga caesis, ipsum Zoborium ducem Cadusa telo sauciauit, captumque custodiae mancipauit. Postero die Hungari Nitriae propius obsidionem admouerunt, neque prius distiterunt, quam pluribus interemtis hostibus, eam expugnarent. Tum vero Zoborium in adsito monte suspendio necarunt, qui hodieque Zobor dictus, tantae rei memoriam ab obliuione vindicat. Timor inde tantus omnes eius regionis incolas corripuit, vt, oblatis vltro filiis suis in obsides,

(a) *Idem Cap. XXXVII.*

des, fine bello Hungaris se subdiderint. Ita laudati duces ad Vagum vsque fluuium progressi, castellis pluribus, Sentauia (*Stumrey*) Galgotzio (*Colgoucy*) Betzkouio (*Blundus*) Trentsinio (*Trusun*) Banouetzo (*Bana*) captis ac praesidio militari communitis, ad Morauam vsque procurrerunt, et omnes, qui iugum pati nollent, catenis vinctos ad Arpadum abduxerunt.

A. C. 893.

XIX. Vnde contra Marahanos in auxilium Arnulphi venerunt?

LXXIV. Atque hoc illud est, quod Luitprandus in hanc sententiam deplorat: (a) *Arnulfus - quum Zuentibaldum, Marauanorum ducem, - sibi viriliter repugnantem, debellare nequiret, depulsis his, proh dolor! munitissimis interpositionibus, - Hungarorum gentem - in auxilium conuocat; si tamen auxilium dici potest, quod paullo post, eo moriente, tum genti suae, tum ceteris in meridie occasuque degentibus nationibus graue periculum, immo excidium fuit - Deuicto namque Zuentibaldo, Arnulfus, pace habita, regno potitur. Hungari interim, obseruato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum, quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.* Per hunc exitum, quem Hepidanus claustra vocat, Cl. Praius intelligit montes Valachicos et Transsiluanicos, (b) quibus a Marahanis seclusi fuerint Hungari. Hos enim arbitratur non-

 dum

(a) *Lib. I. Cap. V. Mur. T. II. p. 428.*
(b) *Diss. V. p. 98.*

A. C. 893. dum e Transsiluanis plagis, vbi primum eos consedisse censet, in Hungariam hodiernam tunc egressos fuisse, quum ab Arnulfo contra Marahanos euocarentur; arguitque Belae notarium, quod Hungaros, per Haliciam eductos, confestim ad castrum Hung destituat, indeque progressiones in meridiem ac Transsiluaniam, vt iam vidimus, fecisse memoret. *Quibus enim*, inquit, *hic claustris obsepti fuissent, quo minus exitum in Marahanos obseruare potuerint, non intelligo.* Verum pace tanti viri dixerim, nec me satis intelligere, quomodo Hungari, quos ipse cum Bulgaris bellum habuisse scribit A. C. 891. tantum iter per Valachicos et Transsiluanos montes conficere potuerint, vt iam bellum aliud cum Suatoplugo gesserint A. C. 892. quomodo per gentes medias, quae nec Arnulfo subiectae, nec ab ipsis adhuc edomitae fuerint, exercitum, quin ab iis obex et mora poneretur, traduxerint. Haec profecto multo facilius in Anonymi systemate, quod recensuimus, a vicinioribus Hungaris fieri poterant; quos quidem Luitprandus ait exitum obseruasse, sed non addit, in *Marahanos.* Non igitur Luitprandi testimonio quicquam aduersamur, si cum Anonymo dicamus, Hungaros, postquam omnia populando Morauam fluuium attigissent, exitum in Pannoniam obseruasse, quum, *firmatis obstaculis*, notarii verba sunt, (a) *constituerunt terminos regni Hun*

(a) *Cap. XXXVII.*

garorum vsque ad Boronam, *et vsque ad Saruuar*, ad ictum scilicet sibi destinando has plagas, quas non multo post maioribus viribus inuaserunt sibique subiecerunt. Munitissimas illas *interpositiones et clusas*, quarum Luitprandus meminit, non fuisse montes Valachicos et Transsiluanos, quibus non a Marahanis, sed ab aliis interpositis gentibus seclusi fuissent, ex ipsius Luitprandi verbis colligimus. Sic enim ille primum de his loquitur: (a) *Hungarorum gens - quibusdam - difficillimis separata a nobis erat interpositionibus*, *quas clusas nominat vulgus*, *vt neque ad meridianam*, *neque ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem.* Interpositiones hae non aliud, quam partim fluuii, praesidiis militaribus muniti, partim montes Carpathici, quorum iugum primum ad Posonium surgit, fuerint; et quia Luitprandus addit: *a nobis;* has interpositiones non in montibus Valachicis et Transsiluanis, sed in imperii limitibus esse quaerendas, innuere videtur. Certe loco iam laudato de his ita rursum loquitur: (b) *depulsis his - munitissimis interpositionibus;* quis vero credat, Arnulfum munitissimas interpositiones e montibus Valachicis et Transsiluanis, quo dominatus eius non pertinuit, depulisse? Nusquam igitur illae, quam in imperii limitibus, fuerint; neque proinde Luitprandus

A. C. 893.

(a) *Lib. I. Cap. II.*
(b) *Lib. I. Cap. V.*

A. C. 893.

indicare videtur, vt Cl. Praius opinatur (a) *Hungaros, hoc, et prioribus annis, montibus Valachicis et Transsiluanis seclusos a Marahanis fuisse.*

XX. An a Suatoplugo regnum albo equo mercati sunt?

LXXV. Nihil hic iam opus erroribus Auentini refellendis, quod Cl. Praius egregie praestitit, (b) immorari; per eius tamen *Cusalam*, malim Anonymi nostri *Cadusam*, quam Leonis Grammatici, *Curzanem*, intelligere. Suspicor etiam, in Turotzii *Kusido*, cuius opera Hungaros a Suatoplugo regnum albo equo mercatos fingit, (c) Anonymi *Cadusam* latere, qui Zoborium, Suatoplugi ducem, telo vulnerauerit, eoque suspenso, magnam Morauiae partem euastauerit. Nam, quae Turotzius illic de Suatoplugo narrat, fabulam, ex aliis historiis male consarcinatam, olent. Refert is, Hungaros per Kusidium equum album, ephippium, frenum inauratum Suatoplugo misisse; hunc, pro terra quadam hospitali haec offerri ratum, dixisse: *habeant, quantumcumque volunt, pro hoc munere;* nec multo post Arpadum non iam vt hospitem, sed vt hereditarium possessorem, cum suis aduenisse, Suatoplugoque nunciasse, vt terra, pretio comparata, decederet; risisse quidem Suatoplugum, et verbis legatum eludere voluisse; sed, vbi nihil

(a) *Diss. V. p.* 98.
(b) *Ann. Vet. P. III. p.* 328.
(c) *Chr. P. II. Cap. III.*

nihil profeciffet, auxiliis vndique commendicatis, obuiam Hungaris ad Danubium iuiffe, commiffaque pugna, victum, dum fugeret, in Danubium fe praecipitem egiffe. Nihil fane Luitprandus, fcriptor feculi X. de hoc mercatu, nihil de Suatoplugo Danubii fluctibus haufto, quem annaliftae Metenfis et Fuldenfis naturali morte deceffiffe; (a) Cosmas Pragenfis, (b) et Dubrauius (b) nemine confcio, montem *Zobor* petiiffe; vitam cum tribus eremi cultoribus aufteram egiffe; nec, nifi paullo prius, quam ex hac vita demigraret, quis effet, fociis aperuiffe, perhibent. Videtur igitur Turotzius rem hanc cum ea, quae fequitur, confudiffe.

A. C. 893.

LXXVI. Eodem paene tempore, quo duces Arpadi ditionem Suatoplugi populabantur, (c) Salanus, amiffis iterum fuperioribus ditionis fuae partibus cum caftris Gômôr et Nouigrad, veritus, ne tandem e toto regno pelleretur, miffis ad Leonem Sapientem, Graecorum imperatorem, et Simeonem, Bulgarorum in Moefia regem, legatis, auxilia contra ducem Hungarorum petiit. Haec vbi Titelium (*Tetel*) aduenissent; Salanus, tantis copiis tumidus, poftero ftatim die per legatos Arpadum monuit, vt, dimiffa regione, quam per ne-

XXI. Quo fucceffu cum Salano duce Bulgarorum Arpadus confixit?

(a) *Ad A. C.* 894.
(b) *Hift. Boi. Lib. IV.*
(c) *Anon. Cap. XXXVIII.*

A. C. 893. nefas occupauerat, auitam sedem suam illico repeteret. Indignatus Arpadus, terram a Salano, quam prius vltro cesserat, repeti; posita lenitate, quam adhuc vsurpauerat, seuerius ei renunciauit, omnem illam regionem, quae Tibiscum inter ac Danubium intercipitur, cum ipso Danubio tunc se mercatum esse, quum nuper 12. albos equos cum ceteris muneribus ei miserat. Vnde minaciter ei praecepit, vt terram, ab Hunnis, maioribus suis, olim possessam, et nunc oblato pretio redemtam, e vestigio dimitteret ac in Bulgariam sine mora se reciperet, ni velit arma Hungarorum, maximo damno suae gentis, experiri. Dimissis deinde legatis, a fluuio Zagyva versus Tibiscum cum exercitu profectus, per eius ripas ad Alpár peruenit. (a) Salanus quoque, Titulio cum Graecis et Bulgaris egressus, obuiam Arpado magnis itineribus contendit. Vt in mutuo conspectu iam exercitus vterque constitit; Arpadus, paucis suos adhoratus, Lehelo *(Lelu)* classicum intonante, praelium atrox commisit. Non diu Hungarorum impetum hostes tulerunt, quos quum Salanus deficere vidit; fuga lapsus, Albam Bulgariae petiit. Eius milites, viae, qua venerant, obliti, natandoque Tibiscum superare conati, plerique gurgitibus hausti sunt.

LXXVII.

(a) *Idem Cap. XXXIX.*

A. C. 893.

XXII. Vbi iura Hungaris constituit?

LXXVII. Victor Arpadus, (a) nunc tandem a grauioribus curis ocium nactus, per 34. dies regni negocia iuraque constituit; vnde, quod hisce legibus ordo quidam in gentem alias liberam inductus sit, loco huic nomen Szer (*Scerii*) quod ordinem Hungaris significat, adhaesit. Quum serius ibidem monasterium surrexisset, illud etiam a *Szer*, quod veteres *Zeer* exprimebant, *Zeer - Monostra*, dicebatur, cuius hodie titulum gerit reuerendissimus D. Ladislaus Kende, postquam paterna cura nobilium S. Adalberti conuictum in annum quintum decimum Tirnauiae rexisset, in collegium canonicorum Varadinensium adscitus. Eodem monasterio subinde temporum iniuriis exciso, nunc locus idem, *Puszta - szer*, dictus, memoriam antiquitatis refricat. Non procul istinc Etheus, Oundi filius, postea castrum terreum opera Slauorum excitauit, eorumdem lingua dictum *Surungrad*, vel potius *Tsernigrad*, id est, nigrum castrum, deinde *Surnigrad*, *Tsurnigrad*, *Tsornigrad*, hodie *Tsongrád* appellatum. (b) His ita constitutis, Arpadus, Titulium profectus, omnes inter Tibiscum et Danubium Bulgaros vsque Szalankemenum (*Zoloncaman*) quod Salanum istic fuisse dominatum indicat, sibi subiecit. Cum hoc Salano Suatoplugum, cum Bulgaris Slauos Marahanenses, vt rem consi-

(a) *Anon. Cap. XL.*
(b) *Anon. Cap. XLI.*

A. C. 894. deranti patet, Turotzius confuderit, additisque quibusdam e suo, fabulam, quam supra retulimus, male consarcinauerit.

A. C. 894. Arpadi 6. Indict. 12.

XXIII. Cur Graecis auxilia contra Bulgaros misit?

LXXVIII. Post victos hic Bulgaros, illic Marahanos, Hungaris non diu quietis esse licuit, implicitis bello, quod inter Leonem imperatorem, et Simeonem regem exarserat. Huic caussam dederat Musicus Zautzae, cuius filiam Zoen vxorem Leo duxerat, seruus; (a) hoc enim auctore vexati Bulgari negociatores a Graecis, Simeonem, suum regem, qui iam alioquin honestam rumpendae pacis occasionem diu quaerebat, ad bellum Graecis inferendum permouerunt. Imperator, amisso duce Procopio cum exercitu, per Nicetam Sclerum Hungaros in belli societatem, oblatis muneribus, euocauit, qui hanc persequendi Simeonis, Salani defensoris, occasionem libenter arripuerunt, missisque trans Danubium copiis, semel ac iterum Bulgaros profligarunt. E Graecis Latinisque scriptoribus, haec ab Hungaris acta fuisse, certum est, quo tamen anno gesta sint, incertum. Id nos accuratius excutiemus, si prius nonnullorum ex iis verba recitauerimus, vt, quid inde verosimilius erui possit, facilius indicemus.

LXXIX.

(a) *Cont. Theoph. Ed. Venet. p. 164. Simeon Logoth. p. 346. Georg. Monach. p. 412. Cedr. p. 467.*

A. C. 894.

XXIV. Quomodo continuator Theophanis hoc bellum describit?

LXXIX. E Graecis scriptoribus vnicum Theophanis continuatorem, qui ceteris diligentius rem hanc exsequi videtur, adferre iuuat. *Venit*, inquit ille, (a) *nuncius rumorque percrebuit, Simeonem, Bulgarorum principem, expeditionem moliri aduersus Romanos, ea scilicet praetexta caussa: Zautzas, imperatoris pater* (adscitus) *seruum eunuchum habebat, Musicum nomine. Iunxerat hic amicitias cum Stauracio et Cosma, viris mercatoribus, lucrique ac auri cupidis, Attica oriundis. Hi porro, Musici auctoritate freti, maioris quaestus gratia, quod in vrbe* (Constantinopolitana) *cum Bulgaris commercium erat, Thessalonicam transferunt, et grauiora vectigalia a mercatoribus Bulgaris exigunt. Bulgari de iniuria Simeoni expostulant: ipse vicissim eorum querelas per nuncium Leoni exponit. Is vero ob beneuolentiam, qua Zautzam prosequebatur, cuncta haud secus, ac nugas spreuit. Simeon ergo, furore actus, arma aduersus Romanos sumit. Resciuit imperator, Crinitemque, magistrum militiae, ingenti exercitu procerumque numero constipatum, aduersus illum mittit. Concurrentibus aciebus in Macedonia, victi Romani, occisus ipse Crinites, et Curtices Armenius, ac alii multi. Quod vero Simeon etiam Chazaros, Leoni imperatori foederatos, inter spolia ceperat, amputatis eorum naribus, Romanorum probro, in vrbem eos* re-

(a) *In Leon. Cap. IX. p. 164.*

A. C. 894. *remisit. Spectaculi indignitate ira totus efferuescens imperator, Nicetam, cognomento Sclerum, cum celocibus ad Danubium fluuium mittit, qui Turcos, oblatis muneribus, aduersus Simeonem, eiusque debellandi caussa conducat. Nicetas, vbi in colloquium venit, Turcosque et ipsos ad bellum aduersus Simeonem induxit; acceptis etiam ab eis obsidibus, ad imperatorem rediit. Imperator terra marique vrgendum bellum Bulgaricum constituit; ac mari quidem Eustathium Drungarium mittit, terra autem Nicephorum Phocam patricium, exstincto Andrea, scholarum domesticum. Ad Bulgariam vsque copiae venerant, quum imperator Constantinacium quaestorem ad Simeonem misit, adhuc pacem ambiens, ac cum eo foedus percutere volens. Simeon comprehensum legatum in carcere tenuit, secum dolo agi existimans,* post tantos scilicet apparatus. *Dum itaque Simeon Nicephori copiis aciem opponit; omnem Turci Bulgaricam ditionem late vastant ac diripiunt. Audiuit Simeon, aduersumque Turcos vertit impetum. Turci, iterum traiecto amne, conserta cum Bulgaris acie, eos penitus profligant, ita vt Simeon Distram incolumis vix euaserit. Victores Turci ab imperatore exposcunt, vt Bulgarorum captiuos redimat. Praestitit ille, ciues mittens, qui redimerent. Porro Simeon, Eustathii Drungarii opera, pacem supplex imperatorem rogat. Annuit in eam imperator, Leonem Choerosphactem, ad eam componendam mittens, Nicephorus domesticus et Eustathius Drungarius redire*

iussi

iussi cum copiis, Simeon Leonem Choerosphactem nec alloquio dignatus, stringit in carcere. Expeditione vero in Turcos suscepta, omnes iugulauit, quum eis nulla ex Romanis auxilia licuisset accipere. A. C. 894.

LXXX. Multa hic, sed sine certa temporis nota, narrantur; nisi quod auctor narrationi suae praemittat Stephani patriarchae mortem, quam Pagius incidisse docet in A. C. 893. (a) Vnde videri possent ea, quae post illam referuntur, accidisse vel anno laudato, vel insequenti. Sed enim, licet et Georgius monachus, et Cedrenus eumdem ordinem in narrando seruent; Simeon tamen Logotheta, praemisso bello Bulgarico, Stephani patriarchae mortem ante Leonis annum septimum collocat. Si, quis Leonis annus primus haberi debeat, certe constaret, certior huius belli chronotaxis statui posset. At quum alii huius initium ad A. C. 886. alii figant ad A. C. 889. vix certi quicquam erui potest. Cl. Praius, eorum sententiam sequutus, (b) qui Leonem regnare coepisse putant A. C. 889. bellum inter Graecos et Bulgaros obortum refert ad A. C. 891. qui fuit in hac sententia Leonis tertius; nam ad hunc tam Leo Grammaticus, quam Simeon Logotheta hoc bellum narrant. Ego, licet obortum esse concederem

XXV. An totum, quod hic auctor narrat, eodem anno contigit?

(a) *Critic. T. III. p.* 751.
(b) *Diss. V. p.* 97.

A. C. 894.

derem A. C. 891. non tamen eodem etiam terminatum admittere possum, quod laudatus scriptor innuere vel ideo videtur, quod bellum Marahanicum referat mox ad sequentem A. C. 892. De Marahanici huius belli chronologia nemini litem obmouere volo, quum illud annales Fuldenses ad A. C. 892. ad sequentem narrent Hepidanus monachus, Lambertus Schaffnaburgensis, Sigebertus Gemblacensis. At pro bello Bulgarico figendo verisimiliora habemus e Graecis vestigia, quorum narrationem si velimus attendere; facile statim obseruabimus, illud intra spatium vnius anni vix geri terminarique potuisse. Quis enim sibi persuadeat, tam breui temporis interuallo nuncios vltro citroque commeare potuisse primum a Bulgaris ad Graecos, tum a Graecis ad Chazaros in belli societatem euocandos; et, postquam hi naribus multati fuissent, ad Hungaros; post horum autem in Bulgariam irruptionem, geminamque victoriam, a Bulgaris ad Graecos, a Graecis ad Bulgaros; post simulatam denique pacem, bellum Hungaris et cladem illatam esse. Haec sane, si locorum, in quibus Chazari Hungarique degebant, ratio habeatur, in plures annos digerenda sunt, vt ipse Cl. Praius alibi fatetur. (a) Hac de caussa Simeon quoque Logotheta, qui belli huius ad annum tertium Leonis meminit, quicquid ad annum eius item septimum accidit, vna serie narrat; postea ve-

(a) *Diss. X. p. 234. in not.*

ro Stephani patriarchae mortem commemorat, quam ideo quidam initio, hic in fine huius belli refert, quod historicam narrationem belli, quo durante mors ea contigerit, interpolare noluerint. A. C. 894.

LXXXI. Experiamur igitur, quomodo suos in annos digeri verosimiliter possint, quae Logotheta scribit ab anno tertio Leonis ad septimum; statuamusque huius imperatoris annum primum esse, quem aliqui volunt A. C. 889. *Imperii Leonis*, inquit (a) *anno tertio* (Christi 891.) *expugnata ab Agarenis Samus, ciuitas* munita; *eiusque praetor Paspalas captiuus abductus est.* ad A. C. 892. Leonis quartum, referri possunt, quae sequuntur: *Imperator Zoem Zautzae filiam, in amoribus habens, Zautzam imperatoris patrem constituit, nouum hunc honoris titulum commentus.* ad A. C. 893. Leonis 5. *Simeon Bulgarorum princeps Romanae ditionis loca infestis signis inuadens;* ad A. C. 894. Leonis 6. *Turcorum aduersa acie superatus est. Eius captiui omnes ab imperatore redemti sunt.* ad A. C. 895. Leonis 7. *Tum rursus ille Turcos acie fundit, oblataque petitione, recipit captiuos et pacem facit. Nec multo post, euerso rursus pacis foedere, commissum praelium ad Bulgarophygum, locum sic dictum, fusoque vniuerso exercitu, vna omnes clade prostrati sunt.* Si vero statuamus cum plerisque Leonem

XXVI. In quos annos initium et finis huius expeditionis incidit?

(a) *In Leon. Cap. III. edit. Venet. p.* 346.

A. C. 894. nem regnare coepiſſe A. C. 886. Samus ab Agarenis capta fuerit A. C. 888, vel 889. quibus annus Leonis tertius in hac ſententia decurrebat. Cetera, quae Logotheta de *Zautza* narrat; quaeue continuator Theophanis interiicit de Bulgarorum querelis, de miſſis a Simeone Legatis ac iisdem a Leone ſpretis, contigerint annis 890. 891. 892. Simeon Graecorum ditiones inuaſerit A. C. 893. ab Hungaris caeſus fuerit A. C. 894. Hungaros profligauerit A. C. 895. Nihil enim vetat opinari, quaepiam eorum, quae de bello hoc vna ſerie Logotheta recenſet, vltra ſeptimum Leonis annum excurriſſe: ſatis eſt, aliqua prius contigiſſe, belloque Bulgarico per miſſos vtrimque legatos ante Leonis annum ſeptimum ſemina iacta fuiſſe: reliquam enim partem his adiungere potuit, ne filum narrations interrumperet, quod et huic, et aliis auctoribus vſitatum eſſe conſtat. Non igitur, ſeu Logothetae, ſeu ſcriptoribus aliis aduerſabimur, quamcumque de Leonis initio ſententiam amplectamur, ſi ſtatuamus Graecos a Bulgaris A. C. 893. Bulgaros ab Hungaris A. C. 894. Hungaros a Bulgaris, et, in quo cardo rei vertitur a Patzinacitis, profligatos A. C. 895. Id, quod pluribus anno ſequente, ſolidioribusque coniecturis firmare conabimur.

XXVII. An Liuntica filius Arpadi bello huic praefuit?

LXXXII. Quae Hungari, contra Bulgaros miſſi, geſſerint, ita fere ceteri Graeci deſcribunt, vt ex continuatore Theophanis

nis audiuimus. Porphyrogenitus singulare quidpiam in fine subiungit: *A Leone*, inquit, (a) *imperatore accersiti, traiecerunt, bellumque Simeoni inferentes victo eo, fugatoque, Persthslabum vsque peruenerunt; et quum in vrbe Mundraga eum inclusissent, domum redierunt, quo tempore Liuntica Arpadae filium principem habebant.* Hic locus vt Cl. Praius obseruat, (b) nonnullos in errorem induxit, vt Arpadum hoc anno defunctum putarint. At ex Georgio Monacho certum est, Arpadum adhuc superstitem fuisse, quum a Graecis ad Hungaros legatio mitteretur; ab his vero bellum in Bulgaros decerneretur. Sic enim ille de Niceta, Leonis legato, postquam per Danubium ad Hungaros peruenisset, scribit: (c) *communicato cum ipsorum capitibus, Arpade ac Cursane consilio pactisque iis, Simeonem se bello incessuros, ac datis obsidibus,* ne munera gratis accepisse viderentur, *ad imperatorem reuersus est.* Arpadus igitur nondum eo tempore defunctus erat, quem non procul a Danubio tunc abfuisse, Graeci cum Bulgaris paullo prius victi domumque reduces imperatorem edocere poterant. Porphyrogenitus igitur non alia de caussa videtur asserere, Liunticam, Arpadi filium, eo tempore Hungaris praefuisse, quam quod Arpadus, cuius praesentiam,

A. C. 894.

(a) *De adm. imp.* C. XL.
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 326.
(c) *In Leon. Cap. XII. Ed. Venet. p.* 413.

A. C. 894. tiam, res domesticae, nondum satis firmatae, desiderabant, copiis e Moldauia contra Bulgaros educendis filium praefecerit, vt eumdem mature rebus gerendis asuefaceret. Censet quidem Cl. Praius, ex laudato Constantini loco, Liunticam non tam Hungaris in Bulgaros missis, quam ad custodiam relictis, praefuisse, (a) *quem, quum illius istic, vbi genealogiam Arpadi adornat, non meminerit*; probabile dicit, *hac irruptione, quum rem fortiter in Bulgaros et Patzinacitas domi gerit, mortem oppetiisse*. Sed enim quum eam genealogiam Constantinus adornauit, *omnes Arpadi filios mortuos esse*, differte scripsit; (b) eorum tamen, etiam mortuorum in eadem genealogia meminit. Non igitur ea de caussa Liunticam ibi non nominat, quod, dum rem fortiter domi gerit, mortem oppetierit; sed vel quia sub Ielechi vel alterius alicuius Arpadi filii nomine latuerit, vel binomius fuerit, ac appellatiuum Leuentae, seu pugilis, agnomen adsciuerit. Censet etiam idem Cl. auctor, sub Georgii Monachi Cursane, quem Cusanem vocat, Auentini Cusalam latere; (c) sed tam Anonymus semel ac iterum, (d) quam Georgius Monachus, in mea quidem editione, Cursanem eumdem appellat, et quis ex An-

(a) *Diss. V. p.* 99.
(b) *De adm. imp. C.* 40.
(c) *Ann. Vet. P. III. p.* 326. 328.
(d) *Cap. VI. XLVI.*

Anonymi narratione sub Auentini Cusala latere possit, iam alias innuimus; vt propter hoc nomen positum in Auentino, cuius alioqui fides passim vapulat, bellum Marahanicum Bulgarico postponendum non videatur. A. C. 894.

LXXXIII. Confuso quidem ordine, hoc tamen bellum intelligere videtur Turotzius, quum ita scribit: (a) *Hungari Bulgariam inuaserunt, et ex ea thesaurum et armenta innumerabilia abduxere, castra ipsorum occupantes, et ciuitates eorum destruentes.* Videtur etiam ad hoc bellum referri posse, quod Anonymus de procursionibus Hungarorum trans Danubium attingit, (b) postquam Salanum victum ex auita possessione depulissent. Narrat is hoc loco, Lehelum, Bulzum, Botondium, Arpadi duces, ad Albam Bulgariae Danubium transnauigasse; ducem Bulgarorum, Salani consanguineum, aciem aduersus eos explicuisse, victum ab Hungaris, in ciuitatem refugisse; (c) postero die, missis ad Hungaros nunciis, pacem deprecatum esse, pollicitum, se nec Salani partes, porro tuiturum, et Arpado fidem seruaturum, annuumque vectigal depensurum esse. Postquam Hungari pacem admisissent, eiusque filium obsidem accepissent, ad Rasciam

XXVIII. An bellum hoc etiam Anonymus attingit?

L edo-

(a) *Chr. P. II. Cap. XXIV.*
(b) *Cap. XLI.*
(c) *Cap. XLII.*

A. C. 894. edomandam arma conuerterunt, ac ad ipsum mare postea procurrerunt. Subinde vero, Spalato capto, Croatiaque subiugata (a) per siluam Petrouagoram (*Peturgoz*) ad Colapim (*Culpen*) euaserunt, Sauoque (*Zoua*) transmisso, Zagrabiam, Posegam, Vukouarinum (*Vlkau*) suae potestati subiecerunt. Atque hanc Hungarorum procursionem intelligere videtur etiam Fuldensium annalium continuator, quum ita scribit: (b) *Auari, qui dicuntur Vngari - - - vltra Danubium peragrantes, multa miserabilia perpetrauere.* Hac quoque procursione videtur contigisse, quod chronicon Aquileiense de Friderico patriarcha, qui prohibuerit, ne Hungari ditionem etiam Aquileiensem inuaderent, ita refert: (c) *Iste mirabiliter ecclesiam gubernauit. Huius tempore - Hungarorum gens, a Seruia egressa, in Pannoniam* (Sauiam) *quae adiungitur finibus ecclesiae Aquileiensis, venit, - quos Federicus patriarcha repressit.* Hunc quidem patriarchatum adeptum Cl. Praius in dissertationibus scribit post A. C. 901. (d) At in annalibus veteribus ex Assemano tradit, (e) eumdem fuisse patriarcham ab A. C. 884. ad 897. Et vero huic tempori congruunt ea, quae de Hungaris ex Aquileien-

(a) *Cap. XLIII.*
(b) *Ad A. C.* 894.
(c) *Ap. Bern. de Rub. p.* 453.
(d) *Diss. X. p.* 235.
(e) *P. III. p.* 350.

leiensi chronico vidimus. Nunc enim, quum Bulgariam illi, qui Moldauiam incolebant; alii Seruiam euastassent; vnitis viribus, versus occidentem armorum terrorem, vt Anonymus docet, circumtulerunt. Quare, quum haec tam longinqua, tam diuturna fuerit expeditio, vt, eodem Anonymo teste, (a) *Lelu, Bulsu et Botond, ceterique milites - - in secundo anno ad ducem Arpad reuersi fuerint*, absentibus tot fortissimis militibus, quot tanti momenti bellum, tam remote gestum, exigebat, ea clades, de qua posthac agemus, Hungaris, in Atel Cusu relictis, illata fuerit. A. C. 895.

A. C. 895. *Arpadi* 7. *Indict.* 13.

LXXXIV. Simeon, Bulgarorum rex bellicae laudis iacturam, quam clade, bis ab Hungaris accepta, fecerat, reparaturus, primum ne duas in partes vires suas distrahere cogeretur, simulatam cum Graecis pacem composuit; deinde tempus, quo magnam Hungarorum partem alio bello distineri nouerat, diligenter obseruauit; tum etiam e consilio Michaelis, regis senioris, triduanum genti suae ieiunium indixit; denique, quos Hungaris infestissimos ac maxime formidandos intellexerat, in belli societatem euocauit. Continuator annalium Fuldensium cladem Hungaris redditam collocat ad A. C. 895. ad quem etiam cete- XXIX. Quomodo Simeon illatam ab Hungaris cladem vindicauit?

(a) *Cap. XLIII.*

A. C. 895. ra, quae hanc praecesserant, ita narrat: (a) *Pacem ergo Graeci eodem anno cum Auaris, qui dicuntur Vngari, facientes, quod eorum conciues Bulgari in prauum vertentes, hostili expeditione contra eos insurgunt, et omnem regionem illorum vsque portam Constantinopolitanam deuastando insequuntur. Quod ad vlciscendum Graeci astutia sua naues illorum contra Auaros mittunt ac eos in regnum Bulgarorum vltra Danubium transponunt. Vbi transpositi, manu cum valida gentem Bulgarorum ingressi, maximam partem caedendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bulgari, cum omni festinatione, primum deliberare* (se liberare) *ab infesto hoste, recurrunt, consertoque illico praelio, victi sunt: iterum pari tenore recuperare nitentes, secundo caruere victoria.* His anno superiore gestis, ea, quae hoc anno iam acciderant, propositurus, postquam triduanum ieiunium a Bulgaris pugnae praemissum scripsisset, subiicit: *quo peracto, durum imminere certamen; pugnantibus vero ambabus acerrime partibus, ad vltimum, misericordia Dei, victoria, quamuis cruenta, Christianis concessa est. Quis enim gentilium Auarorum* (alias etiam Hungaros eosdem appellauit) *strages tantis congressionibus enumerando possit exponere; quoniam Bulgarorum, ad quos victoria concessit, numero XX. millia equitum caesa inueniuntur?* Haec eadem referunt annales Metenses, iisdem fere verbis

(a) *Apud Murat. T. II. p.* 575.

bis et ad eumdem A. C. 895. ad quem etiam Cl. Praius bellum hoc figit, (a) adeoque distinguit ab eo bello Bulgarico, quod a Graecis descriptum supra vidimus. Mihi tamen, adiuncta belli consideranti, prorsus idem esse cum illo videtur. Praeterquam enim, quod tam Byzantini scriptores, quam Fuldenses et Metenses annales, primum Bulgaros ab Hungaris, per Graecos euocatis; tum Hungaros a Bulgaris victos narrant; nusquam deinde Graeci scriptores secundi huius belli; nusquam Latini prioris meminerunt; quum tamen vtrumque rem maioris momenti, quae vix ab iis silentio praeterita fuisset, complectatur. Quoniam igitur vtrique semel tantum Bulgaricum bellum, nec multum variatis circumstantiis, descripserunt; idem vtrique narrasse censendi sunt, vt mox vberius ostendemus. A. C. 895.

LXXXV. Simeon, bellicam Hungarorum fortitudinem, acceptis antea binis cladibus, expertus, tantum viribus suis non deferebat, vt eos aequo Marte, sine copiis auxiliantibus, auderet aggredi. Quum igitur non ignorasset, eos alias a Patzinacitis victos ac e Lebedia pulsos fuisse; horum auxilium clam euocandum censuit, vt ex improuiso Hungaros, alia tum expeditione distractos, opprimeret. *Postquam* XXX. Quos aduersus Hungaros in auxilium euocauit?

 autem

(a) *Diss. V. p. 99.*

A. C. 895. *autem*, inquit Porphyrogenitus, (a) *iterum cum Romanorum imperatore pacem Simeon fecisset et opportunitatem nactus esset; ad Patzinacitas legatos misit et foedus cum iis iniit, ad oppugnandos delendosque Turcas. Quumque ad bellicam expeditionem abiissent Turcae; contra eos Patzinacitae cum Simeone profecti familias ipsorum omnino perdiderunt; hinc misere pulsis, qui ad regionis istius custodiam relicti erant. Itaque reuersi Turcae regionem suam desertam, vastatamque inuenientes, in ea terra, quam ad hodiernum vsque diem incolunt, sedes posuerunt: in ea nimirum regione, quam a fluminibus cognominatam esse, supra diximus.* His verbis aperte Constantinus innuit, eamdem se Turcarum cladem ac fugam intelligere, quam eodem hoc capite sic attingit: *Locus autem, quem primitus Turcae occupabant, a fluuio interlabente nuncupatur Etel et Cusu, in quo nunc Patzinacitae commorantur; a quibus sane pulsi Turcae et profugientes, sedes posuerunt illic, vbi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt; inter quae pons Traiani imperatoris ad initia Turciae. - - - Vlteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeses est; alterum Tutes; tertium Moreses; quartum Crisus; quintum Titza.* Postularet hic locus, vt, ex laudatis

(a) *De adm. imp. C. XL.*

tis fluuiis ac monumentis, Turcorum, e locis Atel Cusu nuncupatis emotorum, sedes, quas nunc occuparunt et ad aetatem Porphyrogeniti retinuerunt, designemus. Quia tamen limites Hungaricae ditionis Anonymus sub Zoltano primum describit; materia hac eo reiecta, nunc alias ex Porphyrogenito difficultates expediemus; deinde, quomodo sensim Arpadus alia loca sibi subiecerit, ex Anonymo subiungemus.

A. C. 895.

XXXI. In quem annum haec Hungarorum clades incidit?

LXXXVI. Eiusdem cladis, quam Patzinacitae Turcis intulerunt, pluribus locis Constantinus ita meminit, vt alibi quidem modum, alibi locum, alibi tempus actae rei nos doceat; idemque bellum diuersis capitibus ab eo describi, combinatis omnibus adiunctis, appareat. Sicut igitur, quum de Bulgaris agit, modum; quum de Turcis, locum; ita, quum de Patzinacitis, tempus cladis his verbis indicat: (a) *Venientes autem* (Patzinacitae) *in terram, quam nunc incolunt, inuentisque illic Turcis incolis, parato bello, hos deuicerunt; eiectos persequuti sunt, laremque in ea regione posuerunt, quam et obnoxiam tenent annis iam hodie, vt diximus,* 55. Scribere haec coepit Porphyrogenitus, vt in prolegomenis ostendimus, A. C. 949. *ex quibus, si demas,* vt Cl. Praius notat, (b) *annos* 55. *prodibit annus* 894. *quo Hungaros a Patzinacitis Transsiluania*

(a) *De adm. imp. C. XXXVII.*
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 323.

A. C. 895.

uania electos, Conſtantinus *putat.* Nam hoc quidem loco corrigendum ex annaliſta Metenſi Porphyrogenitum exiſtimauit; at haec iſtinc expuncta cupit in diſſertationibus, vbi ſic loquitur: (a) *Igitur neceſſe eſt, vt Turci, ſeu Hungari, ex ſedibus, quas Patzinacitae occuparunt, eiecti fuerint anno DCCCXCIV. ſi, quo anno ſcribebat, iam annum quinquageſimum quintum Patzinacitae has ſedes tenuere.* Optima conſequutio, ſi totum opus Porphyrogenitus abſoluit A. C. 949. At, quia conſtat, vt in prolegomeno monuimus, caput 45. ſcriptum eſſe indictione X. ſeu A. C. 951. aut 952. licet caput 27. ſcripſerit indictione VII. ſeu A. C. 949. intermedia capita ſcribere debuit annis intermediis 950. vel 951. Quum igitur annales Fuldenſes et Metenſes victos Hungaros narrent ad A. C. 895. eoque tempore Patzinacitae Hungaros ſedibus ſuis eiecerint; veroſimilimum eſt, a Conſtantino caput 37. ſcriptum eſſe A. C. 950. a quo ſubducti anni 55. nos deducunt ad A. C. 895.

XXXII. Vbi Patzinacitae victos Hungaros bifariam diuiſerunt?

LXXXVII. Vbi Cl. Praius ſeriem chronologicam rerum, ab Hungaris ſeculo IX. geſtarum, texit; ad A. C. DCCCXCIV. haec notat: (b) *Patzinacitae, a Chazaris et Vzis ex ſedibus ſuis inter Iaicum et Volgam pulſi, et quaerentes, vbi domicilium figerent*

(a) *Diſſ. V. p.* 97.
(b) *Diſſ. X. p.* 234.

gerent, in Hungaros incidunt, belloque profligatos bifariam diuidunt: pars in orientem versus Persiam, pars in occidentem profecta, Valachiam cum Transsiluania aliquamdiu incolit. Quae quidem ego cum citatis Constantini capitibus difficulter conciliari posse video. Geminas enim sedes, e quibus Patzinacitae Turcos eiecerint, e Porphyrogenito distinguendas esse censeo. Loco quidem supra laudato, (a) Constantinus vtramque sedem confundere videtur; sed alibi, (b) de his adeo distincte loquitur, vt dubitare non possimus, e binis sedibus binisque vicibus Turcos exactos esse. Prima sedes eorum ex eodem Constantino fuit prope Chazariam, *in loco, cui cognomen Lebedias, vbi fluit amnis Chidmas, qui etiam Chyngilus cognominatur;* adeoque circa Borysthenem et Bogum, vt alias vidimus. Hic post triennium a Patzinacitis victi bifariamque diuisi, quae pars occidentem petiit, *sedes posuit cum boebodo suo ac duce Lebedia, in locis Atel Cusu nuncupatis.* Quum igitur in hac migratione ducem Lebediam habuerint; nondum Arpadus supremam potestatem obtinuit; quem Constantinus sollemni Chazarorum ritu principem inauguratum narrat, postquam Turci, priore statione depulsi, sedes in locis Atel Cusu nuncupatis, duce Lebedia, posuerunt. His praemissis, *post aliquot annos*, pergit Porphy-

A. C. 895.

(a) *De adm. imp.* C. 37.
(b) *De adm. imp.* C. 38.

A. C. 895.

phyrogenitus, *Turcas inuadentes Patzinacitae, eos cum principe Arpade persequuti sunt. Turcae itaque profligati, fugientes et terram ad sedes collocandas quaerentes, magnam Morauiam ingressi, incolas eius expulerunt, ibique sedes suas posuerunt.* Dum ex prima sede pulsi sunt, ducem Lebediam; dum ex altera, principem Arpadum habueruut: post primam eiectionem, in locis Atel Cusu nuncupatis; post alteram, in magna Morauia consederunt. Haec, vt dixi, dubitare nos non sinunt, Turcos geminas sedes, e quibus eiecti sint, habuisse; geminamque cladem a Patzinacitis, quum indidem eiicerentur, accepisse; Porphyrogenitum igitur, quum capite 37. haec eadem attingeret, vtramque sedem et cladem vel confudisse, vel coniunxisse. De prima clade, licet confuse, loqui videtur, quum ait: *Inuentis illic* (in Lebedia) *Turcis incolis, parato bello, hos deuicerunt;* de secunda vero, quum subiungit: *Eiectos* (ex Lebedia) *persequuti sunt* (in locis Atel Cusu nuncupatis) *laremque in ea regione posuerunt, quam et obnoxiam tenent annis iam hodie, vt diximus,* 55. Coniunxisse vero videtur vtramque sedem et cladem propterea, quod Patzinacitae Turcorum sedes, post primam cladem occupatas, nec post alteram dimiserint, sed illas cum recens occupatis coniunxerint, coniunctasque tenuerint annis ad tempus, quod Constantinus designat, 55. Sicut igitur certum est e Constantini capite 38. bis Turcos a Patzinacitis

citis profligatos sedibusque suis exactos fuisse, ita verosimillimum, ab eodem secundae cladis epocham indicari capite 37. Turcosque non post hanc, sed primam cladem in Lebedia bifariam diuisos esse.

A. C. 895.

XXXIII. An tertium illos sedibus suis emouerunt?

LXXXVIII. Cl. Praius, Hungaris bifariam diuisis, ait, vt supra vidimus, partem in occidentem profectam aliquamdiu Valachiam ac Transsiluaniam incoluisse; seu, quemadmodum alibi, postquam A. C. 894. Patzinacitas a Chazaris et Vzis sedibus suis exactos narrasset, loquitur, (a) Turcos, a Patzinacitis *bello profligatos, ex regionibus, quas Chazaris finitimi triennio tenuere, primum vltra Borysthenem et Bogum, tum trans rudera pontis Traiani - propulsos esse* - - - *Hic*, subiicit, (b) *quum aliquamdiu suarum rerum satagunt, pacem cum Graecis anno DCCCXCV. iniere; - - quorum caussa eodem anno rursum in Bulgaros profecti, iis semel atque iterum victis, insignem foederatis operam nauarunt. - - Bulgari, geminata clade irritati, foedus cum Patzinacitis iciunt, ac in omnem vindictae occasionem intenti, anno eodem, aut sequente, Turcas, suscepta expeditione alibi occupatos, Patzinacitis coniuncti, inuadunt; corruptaque omni regione, eos, qui ad custodiam relicti erant partim caedunt, partim expellunt. - - - Quamobrem hoc anno ex ea Valachia, quae a ponte Tra-*

(a) *Diss. V. p.* 98.
(b) *Ibid. p.* 99.

A. C. 895. *Traiani ad banatum Temesiensem fere porrecta est, eiectos a Patzinacitis Turcos iam tertium esse, veri est simillimum.* Sicut mihi credibile satis non apparet, tot tantasque res intra tempus adeo breue Turcos egisse, vt et vltra Bogum propulsi, trans rudera pontis Traiani considerent A. C. 894. et hic simul aliquamdiu rerum suarum satagerent, simul Bulgaros semel ac iterum vincerent A. C. 895. ita verosimile non videtur, *eiectos a Patzinacitis Turcos iam tertium esse.* Admitto primum eiectos esse, quum ducem Lebediam haberent A. C. 891. Admitto rursum exactos fuisse, quum Arpado principi subessent A. C. 895. sed nullum tempus, quo tertium a Patzinacitis expulsi fuerint, inuenio. Immo, siquis primum eiectos statuat A. C. 894. non satis video, quomodo vel secundum eiici potuerint A. C. 895. aut sequente, si ratio habeatur illorum Constantini verborum, quibus, postquam narrasset, quomodo primum a Patzinacitis Turci victi pulsique sub Lebedia fuerint; ad alteram eorumdem cladem et eiectionem describendam ita transit: (a) *Post aliquot vero annos, Turcas inuadentes Patzinacitae, eos cum principe Arpade persequuti sunt.* Nam, si primam inter alteramque cladem et eiectionem *aliquot anni* defluxerunt; eae clades magis inuicem distare, quam vno alteroue anno, debebant.

(a) *De adm. imp.* C 38.

bant. Constantinus quidem ter narrat, (a) sed ter eiectos a Patzinacitis Turcos non affirmat. Vt de prima Turcorum sub Lebedia clade, quam ab altera, sub Arpado principe facta, iam distinximus, nihil porro loquamur; illatam sub Arpado secundam et postremam fuisse, Porphyrogenitus satis innuit, ac vnius eiusdemque, variatis duntaxat quibusdam adiunctis, ter meminit. Quum de Patzinacitis agit; (b) testatur, eos terram, Turcis ereptam, ad sua tempora tenuisse iam annis 55. tum vero limites, quos Patzinacia tunc habuerit, describit ac inter cetera dicit, eam *a Turcia distare itinere dierum quatuor; a Bulgaria dimidium vnius diei*; quod fieri minime potuisset, nisi iam tunc Turcos e locis Atel Cusu nuncupatis expulissent, ac Moldauiam, vnde tam vicini Bulgaris esse poterant, occupassent. Quum res Turcorum attingit; (c) locum, a Turcis tum desertum, et a Patzinacitis occupatum, per fluuios Moldauiae designat; eamdem proinde cladem, quam supra breuius attingit, iterum commemorat. Quum denique Bulgarorum meminit; (d) modum simul, quo Patzinacitae, cum Bulgaris coniuncti, Turcos, alibi tunc occupatos, vicerint eorumque familiam e Moldauia depulerint, apertius, quam

A. C. 895.

(a) *Capp.* 37. 38. 40.
(b) *De adm. imp. Cap.* 37.
(c) *Ibid. Cap.* 38.
(d) *Ibid. Cap.* 40.

A. C. 895. quam alias, describit. Post hanc Patzinacitarum victoriam, ait vtrobique, Turcos in terra sedes suas posuisse, quam aetate sua tenuerunt: *tenentque etiam hodiernum vsque in diem*: (a) *quam ad hodiernum vsque diem incolunt.* (b) Si bellum hoc ab illo distinguitur; si tertium a Patzinacitis eiecti sunt Turci; quomodo secundo pulsi, terram eamdem ad aetatem Constantini retinuerunt? Immo, si primum eiecti sunt A. C. 894. si tertium A. C. 895, vel 896. qua tandem occasione, quoue tempore secundo pulsi sunt? Quomodo, si primum victi pulsique sunt A. C. 895. *fugientes et terram ad sedes collocandas quaerentes*, adeoque sedium suarum incerti, Bulgaris bellum, et, licet attritas bello Patzinacico vires haberent, geminatam cladam intulerunt A. C. 895? Cur, si tantis adhuc viribus pollebant, vt Bulgaros, ipsis Graecis adeo formidatos, bis vicerint, ac ad petendam a Leone pacem adegerint, non has potius in Patzinacitas, ad suas sedes recuperandas, conuerterunt? His aliisque difficultatibus nullus in nostra sententia locus esse potest, qui statuimus, Hungaros, antequam Arpadus princeps electus fuisset, primum a Patzinacitis in Lebedia victos indeque pulsos esse A. C. 891. Tum, antequam e Moldauia, seu locis Atel Cusu nuncupatis, exigerentur, geminam de Bulgaris

(a) *De adm. imp. Cap.* 38.
(b) *Ibid. Cap.* 40.

A. C. 895.

garis victoriam retulisse A. C. 894. Demum ab iisdem Bulgaris et Patzinacitis victos ac e Moldauia depulsos esse A. C. 895. Ita Patzinacitae victores, eiectis Turcis, obnoxiam illam regionem, quam iis Bulgari, suum in regnum reuersi, vltro dimiserint, tenere poterant annis ad Constantinum 55. Ita Turcae victi, nec a Graecis auxilium exspectare, quod in illos Bulgari bellum instaurauerint; nec in Patzinacitas arma conuertere, quod, viribus accisis, de victoria desperauerint, poterant. Quod igitur vnum supererat, *fugientes*, vt Constantinus ait, *terram ad sedes collocandas quaesiuerunt;* (a) *profugientes, sedes posuerunt illic, vbi nunc habitant.* (b)

XXXIV. An etiam Anonymus subobscure huius cladis meminit?

LXXXIX. Atque haec clades in caussa fuerit, cur Arpadus, e partibus Bodrogiensibus egressus, Anonymo teste, (c) iuxta Danubium adscenderit; in insulam magnam, Tsepel postea dictam, se receperit; conductis artificibus, ibi domos, quas adhuc habuisse nusquam legitur, exstruxerit. Factum id fuerit, vt maiorem sibi suisque securitatem aduersus hostes procuraret. Quod etsi noster Anonymus dissimulet; nonnulla tamen, e quibus id erui possit, suae narrationi miscet. Cur enim *equi longitudine dierum erant fatigati?* quid

(a) *De adm. imp. Cap.* 38.
(b) *Ibid. Cap.* 40.
(c) *Cap. XLIV.*

A. C. 895. quid iter accelerare tantopere coegit? cur in vna hac insula sex ipsos menses et optimam anni partem ab Aprili mense ad Octobrem Arpadus, numquam alias, ex quo supremus princeps inauguratus est, quiescere solitus, traduxit? Haec sane cladem illam non obscure produnt, quam Anonymus quidem reticet; Porphyrogenitus tamen, aliique tam Graeci, quam Latini scriptores referunt. Tunc igitur, quod ex Constantino iam vidimus, (a) Patzinacitae Turcos *eiectos persequuti sunt, laremque in ea regione posuerunt, quam et obnoxiam tenebant, annis*, dum haec scriberet, 55. Tunc (b) *Turcae profligati fugientes et terram ad sedes collocandas quaerentes*, non multo post, *magnam Morauiam ingressi, incolas eius expulerunt ibique sedes suas posuerunt.* Tunc (c) contra Turcos *Patzinacitae cum Simeone profecti, familias ipsorum omnino perdiderunt, hinc misere pulsis, qui ad regionis istius custodiam relicti erant. Itaque reuersi Turcae, regionem suam desertam vastatamque inuenientes, in ea terra, quam ad hodiernum vsque diem incolunt, sedes posuerunt.* Tunc (d) Simeon *magno cum exercitu in Turcos facta expeditione, quum, ob subitam insperatamque rem, auxilia eis mittere imperator non posset, in fugam*

(a) *De adm. imp. Cap.* 37.
(b) *Ibid. Cap.* 38.
(c) *Ibid. Cap.* 40.
(d) *Cedr. Ed. V. p.* 468.

gam eos pepulit, eorumque regionem omnem depraedatus est. Tunc denique (a) *pugnantibus ambabus acerrime partibus, ad ultimum victoria, quamuis cruenta,* Bulgaris eorumque sociis Patzinacitis, *concessa est.* A. C. 895.

XC. Postquam igitur Hungari, vastata Rascia, Croatia, Pannonia Sauia, reuersi, celebratis ob felicem trans Danubium expeditionem apud Arpadum epulis, (b) ad domos familiasque suas visendas dilapsi fuissent; ii, qui prius Moldauiam incolebant, tristem rerum suarum conuersionem, partim ex illis, quos, a Patzinacitis exactos, obuios habuerant, intellexerunt, partim suis ipsimet oculis in iis locis, quae hostes quidem euastarunt, non tamen occuparunt, conspexerunt. Ergo fugientium globo permisti, relictis locis Atel Cusu nuncupatis, ad Arpadum reuerterunt, qui, de victoria hostium edoctus, quo sibi suisque consuleret, ex partibus Bodrogiensibus egressus, (c) non prius conquieuit, quam, Danubii legendo ripas, ad insulam magnam peruenisset. Apta haec omnibus ob fertilitatem et aquarum munitionem videbatur, vbi tam dux, quam proceres, erectis aedibus, quibus eatenus carebant, tuto consisterent. Mox igitur

XXXV. Quid Arpadus in insula Tsepel egit et conclusit?

M Ar-

(a) *Ann. Fuld. ad A.* 895.
(b) *Anon. Cap. XLIII.*
(c) *Id. Cap. XLIV.*

A. C. 895. Arpadus, accitis vndique fabris, ad excitandum palatium, quod simul munimento foret, curas suas conuertit, equosque suos, ob acceleratum per plures dies iter defessos, illic necessaria quiete refecit ac eorum curatoribus quemdam Cumanum, *Sepel* dictum, summo iure praefecit. Atque hic Cumanus vastae huic insulae, quam Danubius, infra Budam vno milliari bifariam diuisus, efformat, nomen a suo nomine *Tsepel* indidit. Erat olim eius longitudo nouem, latitudo trium milliarium; nunc vero per octingentos et amplius annos, aquis ripas eius sensim deradentibus, vix vnius latitudinem, quinque milliarium longitudinem habet. Istic Arpadus cum suis proceribus optimam anni partem in alta pace, viribus reparandis intentus, traduxit; quumque nullum a Patzinacitis, vltra non persequentibus, periculum instaret, Octobri mense cum suis egressus, deliberare coepit, quo potissimum arma conuertenda deinceps essent. Videbant omnes, eam esse Patzinacitarum potentiam, vt ex regionibus nuper occupatis depelli vix possint. Statuerunt igitur terrarum, ad orientem amissarum, iacturam, promotis in occidentem armis, resarcire. Occurrebat hac parte primum Pannonia, quam, Auaribus, ante seculum a Carolo M. subactis, Marahani sensim occuparunt, ac occidentalibus imperatoribus fiduciario iure diu subiecti, tandem sub Suatoplugo iugum excusserunt. Et hic quidem, auxi-

lio

ſio Hungarorum, ab Arnulfo in ordinem redactus, anno ſuperiore diem ſupremum clauſit; (a) eius tamen filii tres, inter quos diuiſam Suatoplugi ditionem Porphyrogenitus narrat, (d) vt regnum paternum, quod magnae Morauiae nomen acceperat, tutius retinerent, Arnulfo ſe ſubmiſerunt. Hic vero, quia iam tunc ſuſpectam Hungarorum amicitiam habebat, regno fiduciario conſulturus, *Pannoniam cum vrbe Paludarum tuendam Braxlanoni, duci ſuo in id tempus, commendauit*; (c) vtque, ſi vis inimica huic praeualeret, a Germania periculum facilius propulſaret; Auſtriaco limiti Leopoldum cum imperio praefecit. (b) Sed, licet occidentales has plagas, Arnulfi prouidentia, ſic praemunitas eſſe, Hungari non ignorarent; quia tamen facilius obices ad occidentem, quam ad orientem perrumpi poſſe ſperarunt, non tantum Pannoniam, ſed etiam Carinthiam, ipſamque Lombardiam, ad ictum iam tunc deſtinarunt. (e)

A. C. 895.

XCI. Prius autem, quam id tentarent, exercitum in Gladum mittendum cenſuerunt, vt hac quoque parte cum Hungaris, qui cum Tuhutum in Tranſſiluania ſedes fixe-

XXXVI. Quas plagas Gladus obtinuit; quosue poſteros habuit?

(a) *Ann. Met. Fuld. Regino.*
(b) *De adm. imp.* C 41.
(c) *Ann. Fuld. ad A.* C. 895.
(d) *Suppl. Fuld. ex Gentiloto ad A.* C. 895.
(e) *Anon. Cap. XLIV.*

A. C. 895. fixerant, coniungerentur. Gladum hunc alibi Gaadum Anonymus vocat, (a) eiusque ditionem a fluuio Marusio (*Morus*) hic ad castrum Horom, illic ad castrum Vrsciam extendit; vnde colligitur, Orsouam et Haram, quam ad Ujpalankam nostram tabulae Senterianae collocant, sub his nominibus latere, nec procul ab inuicem distare. Hunc Gladum, seu Gaadum ait Anonymus *de Bundyn castro egressum adiutorio Cumanorum;* sed vbi hoc castrum sit quaerendum, incertum est, nisi per Bundyn Vidinum, quod olim Graeci Budinum, vel Vudinum dixerint, intelligatur; hinc enim egressi, poterant per Cumanos, qui iuxta Pontum Euxinum colebant, ad eas plagas occupandas, quas modo Gladus obtinebat, adiuuari. Quicquid sit, vtrobique Belae notarius affirmat, ex huius Gaad *progenie Ohtum fuisse natum, quem postea longo post tempore sancti regis Stephani Sunad filius Dobuca nepos regis in castro suo iuxta Morisium interfecit; quod castrum nunc Sunad nuncupatur.* Ex obscurissimo hoc loco quidam opinati sunt, (b) Dobucam fuisse filium S. Stephani, Sunadum nepotem. At, quis credat, S. Stephano tam adultum fuisse filium, vt ex eo susceptum nepotem ducendis aduersus

(a) *Cap. XI.*
(b) *Georg. Hauer. Transs. Reg. Per. I. p.* 3. *Prai. diss. de S. dextr. p.* 155.

fus Othumum copiis praeficere potuerit? Nullum tam adulti sancti regis filii vestigium in historicis occurrit; qui contra testantur, filios eius, praeter Emericum, infantes obiisse. Carthuitius id diserte his verbis perhibet: (a) *In filiorum suorum obitu sibi sensit immitere verbera, quos, in ipsis infantiae gradibus, infantes, qui dedit, abstulit.* Suspicor igitur, latiore hic sensu nepotis nomen accipi, quemadmodum Carthuititus (b) Salomonem S. Ladislai fratrem vulgi sensu vocat, qui tantum patruelis eius erat. Sic etiam aliqui Gyulam, auunculum S. Stephani dicunt; licet is non fuerit frater Saroltae, sed tantum eius patrui, Zombor, filius. Huius Gyulae iunioris, a S. Stephano profligati, duos filios Anonymus nominat *Biuiam* et *Bucnam*; (c) alibi *Bue, Bucne*; (d) sub *Bucna Dobuka* tam facile potest latere, quam sub *Biuia Bue*; sub *Sunad* autem *Tsánád.* Nec dubium est, ab Sunado dictum esse Tsanadinum, quod variis modis olim expressum lego: *Sunad* A. C. 1163. *Cenad* A. C. 1178. *Chenad* A. C. 1221. *Canad* A. C. 1226. vt vel hinc videatur colligi posse, nostrum Anonymum vltra seculum XII. quo Sunad scribebatur, non esse remouendum.

A. C. 895.

M 3 XCII.

(a) *Edit. Prat. C. IV. p.* 154.
(b) *Ibid. Cap. V. p.* 164.
(c) *Cap. XXIV.*
(d) *Cap. XXVII.*

A. C.
895.

XXXVII.
Qua fortuna cum hoc GladoHungari pugnarunt?

XCII. Sed, vt in viam reuertamus, ad huius Ohtumi, quem Sunad interfecerat, progenitorem Gladum, qui forte Bulgarorum et Patzinacitarum in Hungaris e Moldauia depellendis socius et adiutor erat, impugnandum, Arpadus eosdem duces, quorum opera Morauos ad Nitriam vicerat, Zuardum, Cadusam, Boitam, cum exercitu misit. (a) Hi, transmisso Tibisco, per duas hebdomades ad Begum *(Beguey)* commorati, tantum longe lateque terrorem sparserunt, vt quicquid inter Marusium et Temesum interiacet, acceptis obsidibus, siue praelio subegerint. Promotis inde castris, iam Temesum traiicere parabant, quum Gladus, excitis vndique Cumanorum, Bulgarorum, Valachorum *(Blacorum)* auxiliis, grandem peditum et equitum exercitum iis opposuit. Quum difficilis vtrique parti transitus esset, Zuardus fratri Cadusae suggessit, vt cum dimidia parte copiarum inferius vadum tentaret. Morem ille fratri gessit, fluuioque traiecto, quin hostis obseruaret, a tergo Gladum adortus est. Vix illic tubae Hungarorum insonuerunt; iam Zuardus quoque fluuium ingressus, occupatisque cum Cadusa hostibus, feliciter transgressus, acerrimum istinc certamen iniuit. Ita hostes, vndique conclusi, *cadebant ante eos*, verba sunt Anonymi, *sicut manipuli post messores, et*

(a) *Anon. Cap. XLIV.*

et in eo bello mortui ſunt duo duces Cumanorum et tres Kenezy Bulgarorum. Per Kenezos principes intelligi, Cl. Bayerus docet, (a) quum *Kneg* dominum ſignificaſſe Slauis; reges olim Seruiae ducesque Lituaniae Kniaziorum, vel Kneziorum titulo delectatos fuiſſe, ſcribit. Rei huius exemplum in Ditmaro habemus, qui de Geiſae, Hungarorum ducis, vxore haec tradit: (b) *Vxor Beleknegini, id eſt, pulcra domina Slauonice dicta, ſupra modum bibebat.* Et fortaſſe, quemadmodum Hungari *Király* a *Kral* dicunt; ita Germani quoque ſuum *König* a *Kneg* deducunt. Non eſt enim dubium, Europaeas linguas ex mutuo commercio multas voces habere communes, interdum nonnihil variatas, quarum tamen eadem radix non difficulter agnoſcatur. Ipſum *Kral* Slauicum a Caroli M. contracto nomine deriuatum quibusdam videtur, vt Cl. Ioannes Szarka teſtatur, (c) cui noſtrum *Király* non tam a *Kral*, quam a *Kyrie Alexi*, ſeu Bela III. detorquere placuit. Sed rurſus in viam.

A. C. 895.

XCIII. Hungari, victoriam adepti, Gladum perſequendo, iuxta Pantsouam (*Ponoucea*) caſtra defixerunt; ſed, vbi Gladum

XXXVIII. Vbi caſtrum Keue, quod ad deditionem compulerunt?

(a) *Petr. coll. T. VIII. p.* 424.
(b) *Ditm. libr. VIII.*
(c) *Coniect. p.* 17.

A. C. 895. dum castri Keue moenibus inclusum delitescere didicerunt; promotis eo copiis, tertio post die castello huic obsidionem admouerunt. Nec multo post, quum Gladus, desperatis rebus suis, per legatos pacem supplex petiisset seque cum arce Keue dedidisset; inde progressi, castellum aliud, Orsoua dictum, occuparunt ibique mensem integrum quieti dederunt. Ex ratione huius itineris apparet, castrum Keue medio quodam inter Pantsouam et Orsouam loco, certe cis Danubium, in Temesiensi hodierno banatu, quondam stetisse. Nec enim prius Zuard et Cadusa Danubium transmisisse leguntur, quam, obsidibus per Boitam ad Arpadum adductis, hanc ab isto facultatem per legatos petiissent ac impetrassent. (a) Quare Timon arcem Keue, quae prouinciae Keuiensi, seu Couiniensi nomen dedit, inter Sauum et Morauam male collocat; (b) ac Innocentii III. litteras, ad Emericum regem datas, A. C. 1204. violente nimis in rem suam trahit et explicat: *Procedens*, inquit pontifex de Leone cardinali, *cum nunciis tuis vsque ad regni terminum, peruenit ad castrum, quod vocatur Keue; vbi, solo Danubio mediante, regnum Vngariae a Bulgarorum prouincia separatur.* Quum enim hic locus manifeste doceat, castrum Keue ad lae-

(a) *Anon. Cap. XLV.*
(b) *Imag. nou. Hung. Cap. III.*

laeuam Danubii ripam esse quaerendum, si Bulgaria vltra Danubium, vt est, collocetur; ait, *Innocentium pro Bulgarorum prouincia Valachiam accepisse.* Quod quam violentum sit; ex iis, quae praecesserunt, quaeue sequuntur, intelligi potest. Missus nempe fuit Leo cardinalis, ad Ioannicium, eorum Bulgarorum, (a) qui vltra Danubium habitabant, regem, ad quem quum iamiam legatus apostolicus transiturus erat, *multis eum cum desiderio exspectantibus ex altera parte*, vt Innocentius loquitur, nuncii regis *transitum fecerunt omnino praecludi.* Ad laeuam igitur Danubii ripam castrum Keue stare debuit, si multi legatum, in eo castro receptum, ex altera parte fluminis eiusdem exspectarunt; si hic posito legato nuncii regii transitum praecluserunt. Iisdem de caussis neque Cl. Praio possum assentiri, quum in Sirmiensibus partibus *quaerendum putat comitatum Kóuiensem*, (b) adiecta hac quoque ratione, quod, *si quando hic comitatus in litteris regiis occurrit, fere cum Bachiensi et Budrugiensi coniungatur.* Atqui vel ideo mihi videtur ad laeuam Danubii ripam collocandus; nec alibi castrum Keue quaerendum, quam circa castrum Ujpalánkam, e cuius regione iam Bulgaria, quondam ad Morauam vsque fluuium porrecta, occurrebat, eamque Danubius dumtaxat a regno Hungariae dirimebat. A. C. 895.

(a) *Rayn. ad* 1204. *n.* 34.
(b) *Diss. de S. Ladisl. p.* 67.

A. C. 896.

mebat. Quare, licet Sirmienſes epiſcopos ſaepe legi de Kő dictos, admittam; an tamen monaſterium Kő, quod epiſcopatui nomen dederit, idem cum caſtro Keue haberi debeat, vel ideo iure dubitari poteſt, quod etiam ad Tibiſcum praepoſitura S. Stephani de Keő, ſeu Kő, cuius titulum hodie gerit RR. D. Simon Faba, E. M. S. Canonicus, extiterit. Sicut igitur a ſacra hac praefectura, ſic a monaſterio laudato, quorum vtrique Kő nomen dedit, caſtrum Keue dici non poſſe puto; quod neutrius ſitus caſtro Keue, prout ab Anonymo ac Innocentio III. deſcribitur, reſpondeat. Parum igitur moror, ſiue *Rév-árok*, ſiue *Kő-árok* reſcribatur illud, quod in litteris fundationis epiſcopatus Quinqueeccleſienſis S. Stephanus *Reo-árók* vocat. (a)

A. C. 896. *Arp.* 8. *Indict.* 14.

XXXIX. Quando Pannoniam primum inuaſerunt?

XCIV. Quum Hungari, ſubacto Glado, ditionem ſuam ad rudera pontis Traiani producunt; quum Zuard et Caduſa, ſuperato Danubio, (b) Bononiam *(Boroni)* Sardicam *(Scereducy)* Philippopolim *(caſtrum Philippi regis)* diripiunt; vſi pernicibus equis, quicquid vſque Dyrrhachium *(Duraſu)* continebatur, torrentis inſtar

(a) *Ap. cl. Prai. diſſ. V. p.* 84.
(b) *Anon. Cap. XLV.*

A. C. 896.

ſtar, percurrunt et eradunt; armorum metu latiſſime circumlato, nulli, niſi qui filios obſides cum ampliſſimis muneribus offerrent, parcunt; acceptam nuper in Moldauia cladem, quod neque Graeci, neque Bulgari, bello tunc impliciti, ſuis auxilium ferre poſſent, magno fenore reddunt; reliqua pars ad Pannoniam ſubigendam, quod ante hanc expeditionem decretum erat, curas omnes conuertit. Iſtud hoc anno factum eſſe, colligimus ex Porphyrogenito, qui de diſſidiis, inter Suatoplugi filios a morte patris exortis, loquutus, ita ſcribit: (a) *Poſt huius Sphendoploci mortem, anno vno in pace exacto, orto deinde diſſidio et bello ciuili, inuadentes Turcae funditus eos exſtirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernam vſque diem incolunt.* Mortuum eſſe Suatoplugum A. C. 894. Metenſes ac Fuldenſes annales cum Reginone teſtantur. Annus igitur ſequens 895. in pace transactus eſt. Anno vero 896. ciuile bellum, inter Suatoplugi filios exortum, opportunitatem Hungaris obtulit, vt conſilia ſua de Pannonia ſubigenda maturarent. Fuldenſes quidem annales haec fratrum diſſidia differunt ad A. C. 898. ſed alia haec diſſidia fuiſſe, quam quorum Porphyrogenitus meminit, poſtea videbimus. Cl. Praius Fuldenſes cum Porphyrogenito conciliari poſ-
ſe

(a) *De adm. imp. C.* 41.

A. C. 896. ſe cenſet, (a) *ſi hic de primordio, illi de exitu fraterni diſſidii* ſumantur; nec aliter Porphyrogeniti teſtimonium accipi poſſe putat, quam, ſi Hungaros, fraternis diſſidiis in rem ſuam vſos, *eam tum Morauiae, nunc vero Hungariae partem; quae inter Granum et Vagum fluuios continetur, ſibi ſubieciſſe; quod autem reliquum eſt, ab Arnulfi morte occupaſſe,* dicamus. Hinc etiam in diſſertationibus ſuis, (b) relata Conſtantini ſententia, qua poſt annum, in pace transactum, inter Suatoplugi filios orta diſſidia ſcribit, quia haec Fuldenſes locant ad A. C. 898. hoc anno magnam Morauiam, hoc eſt, vt illic explicat, *cis Danubianam regni portionem*, ab Hungaris occupatam eſſe ſtatuit. Nos tamen, Conſtantinum preſſius ſequuti, hoc anno cenſemus, aliquam ipſius Pannoniae partem ab Hungaris occupatam, *non quidem, vt dicamus, Morauos iam hoc anno funditus ab Hungaris exſtirpatos,* vt Cl. Gelaſius a S. Catharina iam ante me ſcripſit, (c) *aut vniuerſum Morauiae regnum ab iis occupatum; ſed quod annus hic principium malorum atque excidii fuerit, quo nempe filii Suatopluci inter ſe diſſidentes bellum ciuile occeperunt; et, quo occupata regni parte, Vngaris via aperta eſt, ad tam formidan-*

(a) *Ann. vet. P. III. p.* 334.
(b) *Diſſ. X. p.* 235.
(c) *Ann. P. III. p.* 315.

ladum regnum euertendum. Tres fuiſſe filios Suatoplugo, Porphyrogenitus his verbis innuit: (a) *Morauiae princeps, Sphendoplocus, fortis terribilisque populis finitimis fuit, filiosque habuit tres; et fatis concedens, regionem ſuam in tres partes diuiſit, filiisque ſingulis ſuam portionem tradidit. Maximum natu principem magnum faciens, reliquos vero duos ſub eius poteſtate conſtituens.* Quia nobiliſſima magnae Morauiae portio Pannonia fuit; huic natu maximum filium Suatoplugus praefecerit; et, hoc adhuc ſuperſtite, diſſidia, quorum Conſtantinus meminit, exorta fuerint. Hinc alia fuiſſe diſſidia videntur, de quibus annalium Fuldenſium continuator agit, ad A. C. 898. quum illic diſſenſio duorum tantum fratrum (vno iam mortuo) deſcribatur. Sic igitur Porphyrogenitus etiam cum annalibus Fuldenſibus conciliari poſſe videtur, ſi dicamus, diſſidia primum inter tres fratres exorta fuiſſe, quorum occaſione Hungari Pannoniae partem inuaſerint; primo Suatoplugi filio vel caeſo, vel defuncto, diſſenſionem inter duos fratres, Moymirum et Zentobolchum, vt Fuldenſis eos nominat, inſtauratam eſſe, cuius occaſione duces ſuos Arnulfus in Morauiam immiſerit. (b) Nihil certe laudatus continuator annalium Fuldenſium, quum diſſidii huius

A. C. 896.

(a) *De adm. imp.* C. 41.
(b) *Cont. Fuld. ad A.* 898.

A. C. 896.

huius meminit, de Hungaris, ſeu Morauiam, ſeu Pannoniam inuadentibus, habet; nihil igitur eius teſtimonio refragabimur, ſi cum Porphyrogenito primum diſſidium inter fratres ortum altero poſt patris obitum anno dicamus, eoque Pannoniam ab Hungaris occupari coeptam coniiciamus. Id qua ratione ſit factum, Anonymus ita narrat. (a)

XL. Vbi, transmiſſo Danubio, primum conſtiterunt?

XCV. Transacto quodam in inſula Tsepel temporis interuallo, dux Arpad, cum ſuis optimatibus illinc egreſſus, caſtra promouit vltra Soroksár (*Surcuſár*) ad fluuium Rákos, ſic dictum a cancris, quorum feraciſſimus eſt. Vt rem tanti momenti, quam moliebantur, facilius, vnitis viribus exſequerentur; omnes duces, quorum auſpiciis ante 12. annos Hungari migrationem ex Aſia ſuſceperant, conuenerunt. Adfuit igitur etiam Eleudius ille, Porphyrogenito Leuedius, aut Lebedias dictus, qui cum parte Hungarorum primum ad Chyngilum; poſt Patzinacitarum autem victoriam, in locis Atel Cuſu nuncupatis conſederat; et nunc inde quoque pulſus, nouas in Pannonia, paullo poſt occupanda, terras ad Vértes accipiet. Adfuit et Kundius, perinde nouis agris ad Százhalom ab Arpado donandus; quorum neutrum Anonymus a primo Hungarorum egreſſu huc us-

(a) *Cap. XLVI.*

usque nominauit. Vnde Kundius Eleudi socius fuisse videtur apud eam Hungarorum partem, quam nunc e locis Atel Cusu nuncupatis Patzinacitae depulerant. Iccirco nouas vterque plagas ab Arpado, postquam Pannonia subacta fuit, accepit; iccirco *fugientes*, vt Constantinum loquutum iam saepius audiuimus, (a) *et terram ad sedes collocandas quaerentes, magnam Morauiam ingressi, incolas eius expulerunt, ibique sedes suas posuerunt.* Arpadus ipse cum fugientibus e partibus Bodrogiensibus fugerat; et, postquam in insulam Tsepel, *munitione aquarum Danubii tutam*, (b) se recepisset; equos suos, *longitudine dierum fatigatos* (c) refecisset; victoria de Glado relata, ceteros etiam duces ad ditiones in occidentem promouendas tentandamque Pannoniam euocasset; caute vel tunc timideque progressus, *dum vidisset, quod vndique tutus esset*; (c) nec a Patzinacitis vllum iam periculum impenderet; Danubium cum Hungaris transmisit, locumque, qui transitum praebuit, Magyar-rév (*portum Moger*) vnde forte hodiernum Megyer ad insulam S. Andreae nomen habet, appellauit. Erant tunc in Pannonia Moraui, quos, quod imperio Romano iure fiduciario subiecti fuissent, Anonymus Romanos vo-

A. C. 896.

(a) *De adm. imp. C. 38.*
(b) *Anon. Cap. XLIV.*
(c) *Id. Cap. XLVI.*

A. C. 896.

vocat. Hansizius certe duplicis generis Romanos agnoscit, (a) proprie dictos ac in Italia natos; deinde latius acceptos et quocumque modo Romano iuri subiectos; quales erant Moraui, qui tunc Pannoniam incolebant. Non igitur videtur sollicitanda fides Anonymi nostri, quum hos latiore sensu Romanos in hunc modum vocat: (b) *Transito Danubio, castra metati sunt iuxta Danubium vsque ad aquas calidas superiores; et hoc audito, omnes Romani, per terram Pannoniae habitantes, vitam fuga seruauerunt.* His prae metu Hungarorum fuga dilapsis, Arpadus postero die cum suis proceribus ciuitatem Attilae, quae nunc veteris Budae nomine venit, ingressus, conuiuia plures dies, inter varia laetitiae signa, symponias et cantus, illic celebrauit; cibosque nobilibus in vasis aureis, ceteris in argenteis ministrari iussit. Adeo iam diues e corrasis vndique spoliis euasit!

XLI. An Attilae regia Vetero-Budae fuit?

XCVI. Quod Anonymus Attilae regiam hoc loco constituat, Prisco Rhetori prorsus non aduersatur; nam et ille plures Attilam aedes habuisse, quas pro ratione temporum et itinerum incoluerit, aperte docet, quum de principe regia sic loquitur: (c) *Hic erant Attilae aedes, quae reliquis*

quis

(a) *Germ. S. T.* I. *p.* 77.
(b) *Cap. XLVI.*
(c) *Ed. Ven. p.* 39. *Paris.* 58.

quis omnibus ubicumque locorum eminentiores et praestantiores esse ferebantur. Praestantiores illas aedes Attilae, quas Priscus describit, extra Pannoniam fuisse, colligimus ex iis adiunctis, quae laudatis verbis ita subiicit: *Proxima regiae erat Onegesii domus, et ipsa quoque ambitu ligneo constans; non tamen aeque, ac Attilae, turribus insignis et conspicua, Longo satis interuallo a circuitu domus distabat balneum, quod Onegesius, qui secundum Attilam plurimum apud Scythas opibus et auctoritate valebat, lapidibus ex Poeonia* (sic Graeci Pannoniam passim vocant) *aduectis, aedificauerat. Nec enim apud eos, qui in ea parte Scythiae habitant, vllus est aut lapis, aut arbos, sed materia aliunde aduecta vtuntur.* Ex his adiunctis, quae Priscus, testis oculatus, attingit, principem Attilae regiam ibi collocandam esse, colligimus, vbi lapides et arbores non fuerint; quo tamen ex Pannonia facile conuehi potuerint. Vnde Cl. Praius Timonis sententiam, qui principem Attilae regiam in Moldauia constituit, (a) hoc potissimum argumento reiicit: (b) *Difficile est creditu, lapides, quibus Onegesius haud procul ab aula Attilae balneum sibi strui curauerat, ex Pannonia aduectos fuisse, qui temporis et laboris lucro ex vicinis Transsiluaniae et Valachiae montibus*

A. C. 896.

(a) *Imag. ant. Hung. lib. II. C. 5.*
(b) *Ann. Vet. P. I. p. 130.*

A. C. 896.

tibus aduehi nullo paene negocio poterant. Quare Cl. auctor, *Attilae regiam versus Tibisci superioris oram fuisse*, censet. At ego, hanc quoque Tibisci superioris oram a Pannonia remotiorem fuisse, puto, quam vt inde lapides ad exstruendum Onegesii balneum aduehi debuerint, qui vel Tokaino, vel ex Marmatia maiore temporis et laboris lucro haberi poterant. Quare principem Attilae regiam ad Iászberényium cum Otrokotsio constituo. Nam, si Prisci *Tiphisas*, Iornandis *Tibisias* sine dubio *Tibiscus est*; cis fluuium istum Attilae regia fuit; hunc enim a Prisco prius transmissum fuisse, quam ad Attilae regiam ventum esset, et ipse Priscus non obscure significat, quum ait, *in multos fluuios nauigabiles impegimus, quorum post Istrum maximi sunt Drecon, Tigas, Tiphisas*, et Iornandes aperte confirmat, quum scribit: (a) *ingentia flumina, id est, Tysiam, Tibisiamque et Driccam transeuntes.* Licet igitur Priscus aperte non memoret, se fluuios illos traiecisse, quia tamen eodem modo de Tiphisa, quo de Drecone Tigaque loquitur, et hos ab eo fuisse traiectos admittitur; Iornandes autem, iis temporibus proximus et Prisci Rhetoris operibus integrioribus, quam nos, vsus, disserte docet, Tibisiam quoque, seu Tibiscum, a legatis transmissum esse; dubitari non potest.

(a) *Get. Cap.* 34.

A. C. 896.

poteſt, principem Attilae regiam cis Tibiſcum, et veroſimiliter circa Iáſz-Berényium ſtetiſſe; vbi ſcilicet nec lapis, nec arbos, vt Priſcus ait, erant; haec tamen ex vicina Pannonia non difficulter aduehi poterant. Alterum hoc ei loco, quem Cl. Praius aſſignat, non conuenit; an primum conueniat, icciroo nihil, quod affirmem, habeo, quod incertum mihi ſit, quam Tibiſci ſuperioris oram intelligat. In Marmatia quidem, vbi Tibiſci fontes ſunt, et lapides, et arbores eſſe, ipſe meis oculis vidi. Quod Cl. ſcriptor obiicit: *alioquin, ſi transmiſſo Tibiſco Iáſz-Berinium contenderunt; non ad arctum, ſed ad occidentem profecti fuiſſent, contra quam Priſcus perhibeat;* noſtrae ſententiae non officit. Priſcus enim, priusquam *in fluuios* nauigabiles impegiſſent; adeoque priusquam in noſtra ſententia Tibiſcum traieciſſent; *ad loca magis ad arctum vergentia ſe profectos* eſſe ſcribit; nec iter ſemper verſus arctum continuaſſe; ſed *haud longo viae ſpatio progreſſos alio iter vertiſſe.* Minores autem amnes, quos idem a ſe transmiſſos ait, priusquam ad Attilae regiam veniſſet, etiam in Iazigiam ex Matra non pauci decurrunt; et praeter hos Zagyua fluuius, in plures ramos ſectus, Iáſz-Berényium interluit. Quare nihil eſſe video, cur hic princeps Attilae regia conſtitui non poſſit; praeterquam, quia plures illum aedes habuiſſe, Priſcus perhibet, inter has ea, quam Arpadus non procul ab aquis calidis, quae

A. C. 896.

nunc caesareae dicuntur, reperit, censeri potest.

XLII. Vbi Curzan castrum, a suo nomine dictum, habuit?

XCVII. Hic Arpadus, opipare per 20. dies conuiuatus, multaque tam hospitibus, quam suis popularibus largitus, Kundio, quem hic Cadunem Anonymus appellat, terras ad Százhalom usque (*centum montes*) assignauit; eius autem filio, Curzani, *dedit vnum castrum ad custodiam populi sui. Tunc Curzan castrum illud sub suo proprio nomine iussit appellari, quod nomen vsque in hodiernum diem non est obliuioni traditum.* (a) Hoc ego Curzanis nomen hodieque superesse suspicor in iis aggeribus, qui duobus fere milliaribus infra Gyöngyösinum ab Árok-Szállás, vnde loco huic nomen, inchoati, decem et quinque milliaribus ad Tibiscum procurrunt. Distinguendi hi sunt a minoribus aggeribus, qui supra Pesztinum a Danubio versus Tibiscum 12. milliaribus protenduntur. Hos Hungari *Kis-Árok*; illos *Tsörsz-Király-árka*, vel breuius *Tsörsz-árk* appellant. Maiores istos aggeres Timon existimat, (b) a Curso quodam, Auarum Cagano, dici, qui Tiberio contra Chosroem auxilium tulerit. At Cl. Praius optime negat, (c) hunc Cursum Auarum Caganum fuisse, veroque similius putat, illum

(a) *Anon. Cap. XLVI.*
(b) *Imag. ant. Hung. lib. II. C. VIII.*
(c) *Ann. Vet. P. II. p. 214.*

illum *ex iis Hunnis fuisse, qui Persiae finitimi saepe alias Romanis auxilio contra Persas fuere*. Quum igitur ab illo *Curso* longissimus hic agger nomen accipere non potuerit; a *Cursane* potius, cuius Anonymus hoc loco meminit, haec appellatio repetenda videtur. Castrum quidem illud, an in *Arok-Szállás*, an alibi fuerit, incertum est; verisimile tamen, eius nomen, quod in nullo Hungariae castro hodie reperitur, in iis aggeribus, quos, seu iam olim ab Auaribus pro ringo suo eductos, seu nunc ab Hungaris metu Patzinacitarum paratos, ab Arpado custodiendos accepit, superesse. Concordat nomen Curzanis, quod Anonymus, nostrum *ö*, vel *ü*, *cs*, vel *ts*, nusquam exprimere solitus, iuxta hodiernam ortographiam non *Curz*, sed *Tsürs* scribere debuisset. Plura huius generis exempla, quae corruptam ortographiam redolent, in auctore hoc occurrunt, vt iam alias in vocibus *Gumur*, pro Gömör; *Zobolsu* pro Szabolts cet. vidimus. Nempe nec ortographia, nec pronunciatio primis illis temporibus ad eum modum, quo iam vtimur, exacta fuit. An haec expositio Cl. Kaprinaii voto, quod in Hungaria diplomatica expressit, (a) satisfaciat, ignoro. A. C. 896.

N 3 XCVIII.

(a) P. *II*. *p*. 315.

A. C. 896.

XLIII. An, quae Turotzius de Hunnorum in Pannoniam transitu narrat, Hungaris magis congruunt?

XCVIII. Centum montes, quorum Anonymus meminit, eosdem esse cum Turotzii *Zazalom*, seu *Szász-halom*, quos in transitu Hunnorum in Pannoniam attingit, (a) dubitari vix potest. Vnde mihi suspicio quaedam oritur, an non iste Turotzii locus de Hungarorum potius, quam Hunnorum in Pannoniam transitu sit accipiendus. Certe sicut Anonymus per Susudal et Rutheniam Hungaros; (b) ita Turotzius Hunnos per Susdalos et Ruthenos in Hungariam inducit. (c) Vnde sicut istic, sic illic Hungaros cum Hunnis confudisse hisque tribuisse, quod illis debuisset, videtur. Iam olim viri grauissimi censuerunt, ea, quae Turotzius de Hunnorum in Pannoniam ingressu scribit, maiori parte fabulam olere, quod multa narrationi huic insint, quae partim cum veterum testimoniis, partim inter se non cohaereant. Hinc egregie Cl. Praius ostendit, (d) praelium illud, quod pro Pannonia gerebatur, *vt a patriis scriptoribus refertur, nec rebus, nec tempori, nec personis congruere.* Non tamen omnino conficta penitus, quae de hoc praelio nostri memorant, inde verosimile censet, quod omnes paene domestici, tum etiam externi scriptores mentionem

(a) *Chr. P. I. Cap. XI.*
(b) *Capp. VII. VIII.*
(c) *Chr. P. I. Cap. X.*
(d) *Ann. vet. P. I. p. 76.*

nem illius iniiciant. Desericius quoque veram de Pannonico bello narrationem existimat, siquis eam, a fabellis depuratam, ordini temporique suo restituat. (a) Id quidem vir eruditissimus ad Attilae tempora reuocat; sed mihi videtur, melius ad Arpadum referri posse. Nam si memoria belli huius in chronicon Hungaricum irrepsit ex cantionibus, vt ex Olaho colligitur; (b) non apparet, quomodo Hungari post tantum temporis interuallum, quod inter illos et Hunnos intercessit, ista scire potuerint, vt Cl. Praius obseruat. (c) Si vero de Hungaris, Pannoniam occupantibus, bellum idem accipiatur; eius memoria facilius apud Hungaros conseruari posterisque per cantilenas, quae vicem annalium iis temporibus subibant, communicari poterat. Et ideo fortassis Anonymus, Turotzio cautior, nullam huius belli mentionem facit, quum de transitu Hungarorum in Pannoniam agit, quod nusquam illud apud historicos legerit, sed solum *ex falsis fabulis rusticorum et garrulo cantu ioculatorum*, vt in prologo loquitur, acceperit. Vniuersim autem eiusmodi traditiones, licet fortasse veras, quae historicorum testimonio confirmari nequeant, omittendas censuit, vt alias in simili de Botondio fecit,

A. C. 896.

(a) *De initiis lib. IV. P. II. C. I.*
(b) *In Hung. Cap. II.*
(c) *Ann. vet. P. I. p.* 74.

A. C. 896.

cit ac his verbis innuit: (a) *Ego, quia in nullo codice historiographorum inueni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audiui; ideo ad praesens opus scribere non proposui.* Etsi vero his cantilenis falsa quaedam adiuncta permisceri soleant, vt maiores animorum motus cieantur; plerumque tamen aliquid veri sub iis latet. Quare tanto facilius nobis persuadere possumus, aliquod praelium Hungaros pro Pannonia habuisse, quanto minus est credibile, vel Arnulfum, vel Suatoplugi filios nihil armorum iis opposuisse. Videbant gentem adeo potentem in aduersa Danubii ripa; magnas eius in omnem partem progressiones audiebant; adeone suis eos iuribus indormiuisse credamus, vt ad suos limites custodiendos transitumque Hungarorum in Pannoniam impediendum accincti non steterint? Videamus igitur, num quid ex iis, quae Turotzius de Hunnis habet, Hungaris accommodari melius possit.

XLIV. Qui sub Longobardis, Martino, Detrico, latere possunt?

XCIX. *Incolebant*, inquit, (b) *eisdem temporibus Pannoniam Longobardi, gens aduena, ac Alemanni et Italici cum illis, et tetrarcha quidam Matrinus, vel, vt quibusdam placuit, Martinus nomine, natione Longobardus, de Sabaria oriundus.* Hic errorem in Turotzio cubare, licet de Hun-

(a) *Cap. XLII.*
(b) *Chr. P. I. Cap. XI.*

A. C. 896.

Hunnis acciperetur, nullus est, qui non videat. Quum enim Longobardos Pannoniam occupasse constet A. C. 527. (a) Hunni, qui seculo prius eamdem prouinciam insederunt, eos istinc depellere non poterant. Longobardis igitur, si haec Hungaris aptare velimus, sufficiendi sunt Marahanenses, quos iccirco fortasse Turotzius cum Longobardis confudit, quod et hi Rugilandiam, quae parti hodiernae Morauiae respondet, tum etiam Pannoniam incoluerint. Nam Marahanenses quidem, duce Suatoplugo, Pannoniam occupasse, Hansizius inde colligit, (b) *quod annis abhinc aliquot Arnulfus legatos suos ad Bulgaros mittere terrestri itinere, ob insidias Zuentibaldi, haud potuerit; coactus eos mittere per regnum Brazlauonis, quod inter Drauum et Sauum erat.* Huic Suatoplugo tres filios fuisse, Porphyrogenitus, vt iam vidimus, perhibet, quorum *maximum natu principem magnum fecit; reliquos vero duos sub eius potestate constituit.* (c) Quia duorum tantum nomen annales Francorum exprimunt; forte natu maximus erat Turotzianus ille Matrinus, Macrinus, Martinus, aut potius Marothius, quem idem hic auctor alibi Suatoplugi patrem facit. (d)

(a) *Pagius in crit.*
(b) *Germ. Sacr. T. I. p.* 165.
(c) *De adm. imp. C.* 41.
(d) *Chr. P. I. C. XXIV.*

A. C. 896. *Quum autem*, inquit, *Hungari rursum in Pannoniam redierunt, quemdam principem, nomine Swathepolug, filium Marothy, natione Polonum, Bulgaris, Messianis, tumque in Pannonia - - imperitantem, repererunt. - - - Voluere tamen nonnulli, quod Hungari in secundo ipsorum introitu non Swatepalug, sed Marothum, patrem illius, in Pannonia inuenissent dominantem. - - Iste Marothus eadem tempestate in castro, Wezprein* (MS. habet Wezprem) *denominato, morabatur.* Apparet hinc, auctorem istum aliquid tam de Suatoplugo, quam de Marotho sub primum Hungarorum aduentum accepisse; neque satis vtrumque discernere nouisse, patremque Suatoglugi Marothum, quem filium debebat, fecisse. Si tempora personaeque hae rite discernantur; verum erat, Suatoplugum Pannoniae tunc imperitasse, quum Hungaros aduersus illum Arnulfus euocauit; verum, Marothum, si hic natu maximus Suatoplugi filius erat, in Pannonia tunc dominatum fuisse, quum eam Arpadus primum inuasit; et quia tunc, teste Turotzio, hic Marothus in castro Wezprem morabatur, ideo primum hoc castrum Arpadus ad ictum in Pannonia designauit, vt paullo post ex Anonymo videmus. Ait porro Turotzius, (a) Martinum illum *tum eidem regioni* (Pannoniae) *tum vero Moesiae, Achaiae, vtrique Thraciae, Dalmatiae*

(a) *Chr. P. I. C. XI.*

natiae et Macedoniae, de Romanorum gratia, praefuisse. Haec exaggerata sunt et resecanda; de Marotho modestius, quum eum Bulgaris, Messianis, et Pannonibus imperitasse scribit. Per Messianos hic accipiendos esse Marahanicos et Bohemicos, idem auctor alibi sic indicat: (a) *Quintus Leel est nominatus, qui Messianos, scilicet Bohemicos, de partibus Golgatae expulit.* Quare superius etiam per Moesiam Marahania haec accipi debet, prout eam accepit Piligrinus, datis ad Benedictum VI. litteris, quas suo tempore producemus et Moesiam illam diligentius excutiemus. Abusus igitur auctor Moesiae proprie dictae nomine, perperam Achaiam, Thraciam, Dalmatiam, Macedoniam, ad augendam Martini potentiam, illi coniunxit; quibus resectis, verum erit de Marotho quoque, quem illi Martino sufficiendum innuimus, eum tum Pannoniae, tum vero Moesiae, de Romanorum gratia, praefuisse. *Hic*, pergit Turotzius de hoc duce, *quum immensam multitudinem ignotae gentis intra sui dominii limites penetrasse*, (iam enim occupata Nitria, Vagum quoque fluuium superarunt) *et ad ripam Titiae castra posuisse, manumque in direptionem rerum sui populi extendisse, audiuit; totus contremuit; nec illos sui regiminis cum gente aggredi ausus fuit. Romanorum igitur* (Arnulfi, Romanorum im-

A. C. 896.

(a) *Chr. P. II. C. VII.*

A. C. 896. imperatoris, cui fiduciario iure subiectus erat) *petiuit auxilium. Eadem tempestate Detricus de Verona, natione Alemannus, Romanorum principum de voluntate, omni Germaniae praesidebat.* Hunc Detricum quidam interpretantur fuisse Theodoricum, Ostrogothorum regem; sed, quia hic, natus post Attilae mortem, regnare coepit in Italia post A. C. 488. eo tempore, quo Hunni Pannoniam occuparunt, nec *omni Germaniae praesidebat;* nec in auxilium Longobardorum, qui post annos fere 40. Pannoniam insederunt, euocari poterat. Quum igitur ista neque Theodorico huic, neque Hunnis accommodari possint, si de Hungaris eadem accipere velimus, intelligi potest pro Detrico vel Valfredus, de quo haec annalista Fuldensis: (a) *Post mortem Waltfredi Foro-Iulii marchensis, qui multum fideliter ad imperatorem Veronam contendendo retinuit;* vel Brazlauo, de quo continuator idem: (b) *Imperator Pannoniam cum vrbe Paludarum* (forte Sárvár) *tuendam Braxlauoni, duci suo, in id tempus, commendauit;* vel Leopoldus, cuius ita meminit Fuldensis ex Gentiloto: (c) *Engildico, marchensis Baioariorum, honoribus priuatus est; in cuius locum Luitpoldus, nepos regis, subrogatus est.*

C.

(a) *Ad A. C.* 895. *vel* 896.
(b) *Ibidem.*
(c) *Ad A. C.* 895.

C. *Iste Detricus*, prosequitur Turotzius, *per Romanos in Matrini auxilium delectus est. Quamobrem Detricus, congregato ingenti Germanico Italicoque ac aliarum permixtarum gentium exercitu, descendit in Pannoniam, et in Zazalom* (Száz-halom, seu centum collibus) *castra metatus est. Dehinc ad ciuitatem Potentianam, vbi Matrinus, congregato Longobardorum* (nobis Morauorum) *multitudine, residebat, venit. Erat enim haec ciuitas, vt quidam aiunt, Latinorum, ad litus fluminis Danubii, inter Thetem et Zazalom situata.* Quia Potentiae nullus veterum scriptorum meminit; Mogentianam ei substituendam aliqui censent. Alii tamen Potentianam infra Budam in loco, qui nunc Adony dicitur, constituunt. Sed enim, quia per *Thetem* et *Zazalom* verosimiliter intelligitur *Tétény*, et *Száz-halom*, ac inter haec loca collocatur a Turotzio Potentiana; haec mihi non alibi, quam vbi hodie Hansabék, stetisse videtur. Alioqui remotius est oppidum Adony, quam vt illi congruere possint ea, quae Turotzius ita porro narrat: *Ad quam quum venit Detricus, cum Matrino consiliabantur, si, transito Danubio, Hunnos in illorum descensu et tabernaculis inuadere deberent, vel ad committendum bellum, alium competentem locum eligerent; quisque modus cum tam ignota gente in conflictu esset seruandus. Hac igitur consilii disceptatione inter Detricum et Matrinum diutius protracta, Hunnis, eosdem contrarias ipsis res dispone-*

A. C. 896.

XLV. Vbi circiter Turotzii Potentiana stetit?

re,

A. C. 896. *re, ignotum erat minime; quare magna parte suae gentis ad praelium disposita, ceteris in primaeuo descensu pro custodia rerum remanentibus, venerunt secus Danubium. Quos licet Detricus et Matrinus sibi propinquos esse scirent, non tamen illos propter interstantiam Danubii timebant, quum eos omnino nauium carere scirent suffragio. Ducebant igitur quietas noctes; nec quippiam hostem, tanto flumine a se disiunctum, metuebant. Hunni vero, plurima qui iam flumina, post discessum ipsorum e Scythia, vtrium officio transnatare assueuerant, noctis tenebroso sub silentio, vtribus eisdem inflatis, se illorum nauigio commiserunt. Transnatato itaque infra Sicambriam Danubio in ea parte, vbi nunc villa Kelenfewld locata est, propter quod et eadem hoc vocabulo denominata dicitur, irruerunt tandem hostilem super exercitum, in campo secus ciuitatem Potentianam, quem illa, sua intra moenia, capere non poterat, in tentorio quiescentem. Ingens exuberat vociferatio, caedesque maxima committitur. Nam Matrini et Detrici exercitus, ex subita inuasione attonitus, nedum in sui defensionem armis vti valeret, verum ad quam partem fugere deberet, ignorabat. Perimebantur ergo per Hunnos, velut errabunda pecora, nec illis quaepiam fuga vitam redimebat. Quare omni ea (a) parte Lombardici pariter et Alemannici ceterarumque gentium*

(a) *Ita habet edit. A.* 1488.

tium exercitus, quae (a) *extra muros ciuitatis erat, fugae intenta, et per Hunnos crudeliter trucidata et deleta, Hunni, postquam dies illuxit, in campo Tarnokwlg* (Tárnokvölgy) *descenderunt. Detricus autem, per hanc inuasionem admodum turbatus, vna cum Matrino et residua parte exercitus, quae tum in Potentiana ciuitate, tum vero in castris ad Zazhalom* (a) *constituta erat, irruit super Hunnos. Bellum igitur committitur acerrimum: hinc inde cadunt cadauera mortuorum: magna strages fit parte in vtraque. Solis tandem circa occasum, Hunnis, tum praecedentis noctis insomnio, tum continuis belli laboribus fatigatis, Romanorum exercitus fit superior. Sed quum non minorem, quam Hunni, accepissent stragem, illos fugientes persequutus est minime. Illi quidem fugientes, transnatato rursus Danubio, peruenere ad suos. In hoc praelio Kewe capitaneum interisse, de Hunnis quoque centum et viginti quinque millia; ex Detrici vero et Matrini exercitu, demtis illis, quos nocturna in tentoriis pugna peremit, ducenta et decem millia corruisse antiquae Hungarorum tradunt historiae.* Harum tamen fons videntur fuisse cantilenae, quae quo maiorem apud posteros admirationem mouerent, caesorum vtrimque numerum supra fidem auxerunt et fere Cannensi cladi Romanorum exaequarunt. Vel forte zerus vnus perperam adiectus

A. C. 896.

(a) *Ita habet ead. editio* 1488.

A. C. 896.

iectus pro .12500. et 21000. incredibilem illum caesorum numerum effinxit.

XLVI. Quis exitus tam memorabilis pugnae fuit?

CI. Postquam autem Turotzius, hostilem exercitum, cruenta hac victoria territum, Tulnam se recepisse, Hungarosque reuersos suis parentasse, narrasset; nouam eorum pugnam describit, quae commissa sit ad Kesmawr. Hunc locum Bonfinius Kesmarkensem agrum vocat, (a) quem Cl. Praius inter Sopronium et Kismartonium locari posse, recte negat dubieque mentem suam insinuat, an non *ad Posonium campus ille sit, vbi pagus Kicze visitur.* (b) Mihi, quod pro *Kesmawr* in MS. legatur *Cezumaur*, quasi Cetii murus, videtur fuisse *Zeiselmaur*, oppidum inferioris Austriae, non procul Tulna situm. Id quod adiuncta quoque pugnae confirmant, quae Turotzius in haec verba refert: (c) *Post haec Hunni, siue Hungari, animositate armorumque directione Romani exercitus experta, renouato exercitu, partes Panoniae trans Danubiales inuaserunt; et illis obtentis ac sub iugum redactis, totaque familia in eosdem transducta, versus Tulnam ciuitatem, vbi ipsorum hostes congregati manebant, processerunt. Detricus vero et Matrinus cum omni apparatu Romani exercitus, quem habere poterant, in campo Kesmawr illis*

(a) *Dec. I. Libr. III.*
(b) *Ann. vet. P. I. p.* 73.
(c) *Chr. P. I. C. XII.*

illis occurrerunt. Acri ergo concurſu mutuo ambo hoſtes contrarias irruerunt in turmas. Hunni vero, magis mori, quam pugnae cedere, praeoptantes, Scythica conſuetudine clamores edentes horribiles et tympana pulſantes, omni armorum genere, maxime innumerabilium emiſſione ſagittarum, in hoſtem vtebantur. Turbatis eapropter vndique Romanis agminibus, Hunni maximam in illis caedam efficiebant. Poſt bellum tandem, mane inchoatum et in horam vſque nonam acri certamine continuatum, Romanus exercitus, deuictus, poſt immenſam ſui ſtragem, terga vertit. Quos Hunni inſequentes, in ſortem et vindictam ſuorum, per illos in campo Tarnokwlgie (Tárnok-vôlgye) *occiſorum, acriter perimebant. Cecidit praelio in hoc Matrinus, Hunnorum enſe interfectus; et Detricus, ſagitta in fronte vulneratus, tanti ſanguinis euaſit diluuium.* Hucusque veriſimilia ſcribit; cetera, quibus narrationem claudit, iterum fabulam, e cantilenis depromtam, olent: *cuius tandem,* inquit, *ſagittae truncum ipſe Detricus vrbem ad Romanam, dignitatis imperatoriae in curiam, pro documento certaminis, per ipſum cum Hungaris commiſſi, in fronte detuliſſe et propter hoc immortalitatis nomen vſurpaſſe narratur; Hungarorumque in idiomate halhatatlan Detreh dici meruit praeſentem vſque in diem. Hunc Detricum galeam quamdam habuiſſe, et illam quanto magis deferebat, tanto maiori claritate refulſiſſe, fabulantur.* Non minor in hac galea, quam in ſagitta, A. C. 896.

A. C. 896. Romam in fronte delata, subesse fabula videtur. Ceterum, si per Detricum de Verona Valfredum, ducem prouinciae Foroiuliensis, quae hoc tempore marchia Veronensis appellabatur, intelligamus, etsi fortassis illum Hungari *halhatatlan Valfred* appellauerint, quod grauiter in praelio sauciatus, non statim exstinctus fuerit, non diu tamen eum superuixisse, certum est ex annalibus Fuldensibus, vt supra vidimus. Poterat etiam ita saucius ad Arnulfum imperatorem, qui hoc anno Romam occupauerat, euadere caussamque huic appellationi dare. Si vero Matrinus Suatoplugi maximus natu filius erat, quum eum hoc praelio caesum Turotzius asserat, mirum non est, eumdem annalistam de duorum tantum Suatoplugi filiorum dissidiis agere ad A. C. 898. Huc etiam fortasse reuocari posset bellum illud, de quo chronicon Hildesheimense scribit: (a) *Factum est bellum magnum inter Bauuarios et Vngarios ;* nisi triennio praeoccuparetur. Quamuis, si rite temporum illorum adiuncta considerentur, bellum hoc magnum Hungari vix gerere potuerint eodem anno, quo Bauaris auxilio contra Suatoplugum erant. Nihil igitur vetare videtur, quominus bellum illud in hunc annum retrahamus.

CII.

(a) *Ad A. C.* 893.

A. C. 896.

XLVII. Quomodo Veſzprimium et Ferreum caſtrum Arpadus ſibi ſubiecit?

CII. His e Turotzio per modum coniecturae propoſitis, ad Anonymi narrationem reuertamus, qui ducem Arpadum viceſimo primo, poſtquam Budam ſubiuiſſet, die cum ſuis egreſſum ſcribit, (a) primaque caſtra defixiſſe iuxta Danubium verſus Százhalom (*centum montes*) Hic illa pugna, cuius e Turotzio meminimus, geri potuit, poſtquam ille Hungaros, inſtauratis viribus, Pannoniam inuaſiſſe ſibique ſubiugaſſe refert; Anonymus autem, Arpadum copias bifariam diuiſiſſe partemque verſus caſtrum Baranya (*Borona*) ducibus Eteo et Boita miſiſſe; partem cum Vſubu et Euſee contra Veſprimium (*Bezprem*) ire iuſſiſſe, perhibet. (b) Hi, copiis ad Pakosd (*Pacoztu*) deinde Palotam (*Peytu*) promotis, poſt tridui quietem Veſzprimium acceſſerunt, eoque poſt acre decem dierum certamen expugnato, hoſtes ad limites Germaniae perſequuti, (c) mox armis alio conuerſis, Ferreum caſtrum occuparunt. Hinc, acceptis obſidibus, ad lacum Balaton (*Bolotun*) et Tihony (*Thyon*) progreſſi, ſubiugatis eius orae populis, quarto decimo die Veſzprimium reuerſi ſunt. Miſſi victoriae nuncii cum obſidibus diuerſisque muneribus, Arpadum, in ſilua Turbagyienſi (*Turobag*) venatio-

(a) *Anon. Cap. XLVII.*
(b) *Cap. XLVIII.*
(c) *Cap. XLIX.*

A. C. 896. nibus intentum, inuenerunt, qui de felicibus ducum suorum progressibus certior redditus, solito magis laetatus, Budam rediit epulasque sollemnes agitauit. Nouis autem plagis auctus, nouas pro suo more donationes bene meritis popularibus fecit; (a) et quia terris, quas in Moldauia possederat, Eleudius per Patzinacitas exactus erat, huic siluam Vértes (*Veterus*) dictam, perpetuo iure possidendam addixit. Erat Eleudii filius Szabolts (*Zolsu*) dictus, cuius nepos Tsakius (*Sák*) castrum ad lacum Fertő (*Ferteu*) postea construxit, et inclitae familiae, quae hodieque grandibus patriam meritis implet, appellationem indidit. Vetustatem illustris huius familiae, non minus toga sagoque, quam infulis purpuraque Romana, quodque maius omnibus decoribus est, sanctitate conspicuae, non solum Anonymus semel ac iterum affirmat, quum iam supra dixisset, (b) *Eleud, pater Zobulsu, a quo genus Saac descendit;* hic vero: *Sac, nepos Zobolsu;* sed etiam Turotzius extra dubium omne ponit, quum ita loquitur: (c) *Zobolch vero, alius capitaneus, vnde Chaak oritur generatio, descendisse dicitur in ipso campo et loco, vbi Chakuara nunc iacet desolata.*

A.

(a) *Cap. L.*
(b) *Capp. VI. XX.*
(c) *Chr. P. II. C. IV.*

A. C. 897.

XLVIII. Vtra Sabaria pro S. Martini patria haberi verosimilius potest?

CIII. Arpadus, vbi per hibernum tempus animo cum suis indulsisset; (a) cum tertia parte copiarum Buda prodiit primaque castra iuxta Soskút (*puteum salsum*) posuit. Inde profecti Hungari, *iuxta montem S. Martini castra metati sunt, et de fonte Sabariae tam ipsi, quam eorum animalia biberunt.* Hic Anonymi locus aperte docet, iuxta montem S. Martini Sabariam exstitisse; quumque hic mons a S. Martino nomen habeat, suspicari coepi, annon haec Sabaria fuerit, in qua S. Martinus lucem primam adspexerit. Suspicionem auxit; immo iam in opinionem commutauit Carthuitius, qui haec in vita S. Stephani prodidit: (b) *Quoniam Pannonia beati pontificis Martini natiuitate gloriatur; - - - iuxta fundum sancti praesulis in loco, qui sacer mons dicitur, vbi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignauerat, in titulo ipsius monasterium construere coepit.* Si fundus sancti praesulis iuxta sacrum montem, vbi Sabariam quoque fuisse Belae notarius testatur, erat; vix dubitari potest, hanc Sabariam sancti praesulis locum natalem fuisse. Nam plerumque cuiusuis fundus est, vbi nascitur. Nec alia de caussa hic

 san-

(a) *Anon. Cap. L.*
(b) *Edit. Prat. C. I. p.* 127.

A. C. 897. ſanctus in monte Pannoniae precari ſolitus erat, quam quod eius loco natali vicinus eſſet. Certe iam annos 12. natus, vt in eius vita legitur, eremum concupiuit; captus, credo, loci huius opportunitate, quem precationis cauſſa ſaepius acceſſerat. Id vero factum fuerit, quum adhuc in domo paterna degeret, a qua duodennem longius abiuiſſe, non eſt veroſimile. Nec aliud facile tempus aſſignari poteſt, quo precationis cauſſa huc concedere ſolitus fuerit, quum aetatis anno quinto decimo militiam amplecti coactus, A. C. 351. cum exercitu Conſtantii contra Magnentium tyrannum in Italiam ac ſubinde Galliam profectus, A. C. 353. poſtquam ad portam vrbis Ambianenſis obuio pauperi diſſectam chlamydis ſuae partem impertiuit, natus annos 18. ſacro fonte luſtratus ſit A. C. 354. Biennio poſt baptiſmum in exercitu Iuliani, Galliis praefecti, tranſacto, miſſionem impetrauit ac aetatis anno viceſimo S. Hilarium, Pictauienſem epiſcopum, acceſſit. A. C. 356. Ab hoc in patriam remiſſus, ſi tunc in ſacro hoc monte *precari ſolitus erat*, quum parentes ſuos religioſa ſollicitudine reuiſit et ad Chriſtum adducere ſtuduit; id quoque ſatis oſtendit, eum parentes, adeoque veroſimiliter etiam locum natalem, iuxta montem laudatum habuiſſe; nec alio reſpexiſſe S. Stephanus videtur, quum in eodem monte ſub eius nomine monaſterium conſtruxit,

xit,

xit, quam vt locum, eius vestigiis toties signatum, celebriorem redderet. Haec omnia maius robur accipiunt e duobus diplomatis, quorum fragmenta mecum pro sua humanitate communicauit A. R. ac Clariss. P. Chrysostomus Novák, O. S. B. Theologiae Doctor ac in monte Pannoniae tunc Professor. Horum primo conditur abbatia de Quyzin (Gissing) seu Németújvár A. C. 1157. addiciturque *monasterio S. Martini in sacro monte Pannoniae, ob reuerentiam et sanctitatem ipsius loci, et propter B. Martini patrocinium, cuius natiuitate, in eodem loco habita, Pannonia gloriatur.* Altero Bela IV. fundos eiusdem coenobii recenset; ac vbi villas, monti Pannoniae conterminas, enumerat, subiicit: *Deinde protenditur terrenum eius vsque Sabariam, vbi dicitur natus S. Martinus. - - Inde descendit vsque ad villam Ech* cet. E quibus in vnum collatis non sine verisimilitudine coniici potest, hanc potius Sabariam natales S. Martino dedisse, quam aliam illam, Hungaris *Szombathely* dictam ac in prouincia castri ferrei sitam, quam tamen nuperus scriptor *Sárvár* appellauit ac in comitatum Szaladiensem, errore geminato, transtulit. Sed de his alias vberius. Nunc Arpadus, oculis ex hoc monte per circumpositos agros late circumlatis, ad Pannoniam reliquam sibi subiiciendam animos adiecit. Illinc ergo profectus ad Rabam et Rabtzam (*Rabuceam*) *Sclauorum et Pannoniorum gentes*

A. C. 897.

A. C. 897. *et regna vastauit et eorum regiones occupauit.*

XLIX. Vbi Zoltanus Arpado natus est?

CIV. Postquam Arpadus victrices vndique copias recepisset; Budam cum gaudio reuersus, non multo post, insulam Tsepel, ibique depositam vxorem, reuisit. *Et eodem anno*, scribit Anonymus, (a) *dux Arpad genuit filium, nomine Zulta; et factum est gaudium magnum inter Hungaros; et dux et sui nobiles per plurimos dies faciebant conuiuia magna.* Videtur ab hoc Zulta, quem nos Zoltam, seu Zoltanum dicimus, castrum Solth, infra hanc insulam erectum, appellationem traxisse, quod prouinciae Solthensi nomen indiderit. Eumdem hunc Zultam Zaltam appellat Porphyrogenitus, quum filiorum Arpadi catalogum ita texit: (b) *Sciendum vero, Arpadum, magnum Turciae principem, filios genuisse quatuor; quorum primus Tarkatzus, secundus Ielech, tertius Iutotzas, quartus Zaltas.* Alias etiam Liunticae meminit, sed hoc appellatiuum Leuenthae, seu pugilis, agnomen alicuius ex recensitis filiis fuerit, quorum quidem annales patrii, praeter Zoltanum, nusquam meminerunt. Id quod ea de caussa factum interpretor, quod illi prius, quam principatum supremum obtinuissent, e viuis excesserint, nul-

(a) *Cap. L.*
(b) *De adm. imp. C. XL.*

nullisque facinoribus egregiis apud posteros innotuerint. Et fortassis haec insoliti Hungarorum gaudii, nato Zoltano, caussa fuit, quod, praemortuis iam aliis Arpadi filiis, certus hic paterni principatus heres in lucem prodiuerit, ex quo subinde Toxus, ex isto Geisa, pater S. Stephani, procreatus est.

A. C. 898.

A. C. 898. *Arp.* 10. *Indict.* 1.

L. Quid occasione dissidiorum inter Suatoplugi filios Arpadus egit?

CV. Iam Arpadus omnem ad Arrabonem vsque fluuium Pannoniam subegerat, quum reliqui Suatoplugi filii de paterno regno disceptationes et iurgia periculosissimo tempore susciperent. Cur vero haec dissidia nunc primum in apertum bellum eruperint, ea fuisse caussa videtur, quod, maximo natu, quem Suatoplugus, teste Porphyrogenito, *principem magnum faciens, reliquos duos sub eius potestate constituerat*, (a) ab Hungaris, vt supra coniectauimus, occiso, neuter alteri subesse vellet. *Postea vero*, scribit annalista Fuldensis, (b) *inter duos fratres gentis Marahensium, Moymirum videlicet ac Zentobolchum eorumque populum, dissensio atque discordia grauissima exorta est; ita etiam, vt, si vterque alterum suis viribus insequi atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam.*

(a) *De adm. imp.* C. 41.
(b) *Ad A.* C. 898.

A. C. 898. Arpadus, occasione hac in rem suam vsus alias rursus Marahanensium ditiones inuasit ac in suam potestatem redegit. Atque huc spectare videtur, quod Anonymus in haec verba retulit: (a) *sed et Carinthinorum, Moroanensium fines crebris incursibus diripuerunt, quorum multa millia hominum in ore gladii occiderunt, praesidia subuerterunt, et regiones eorum possederunt, vt, vsque in hodiernum diem, adiuuante domino, potenter et pacifice posteritas eorum detinet.* Haec, ab Anonymo breuiter insinuata, pluribus annis gesta fuisse, vel inde colligitur, quod *crebrorum incursuum* meminerit. Ex aliis igitur auctoribus ita digerenda videntur, vt hoc anno Marahanicam, deinde Carentanicam incursionem collocemus. Quia vero Carentanica haec expeditio cum Italica coniuncta fuit; et Luitprandus de Hungaris, priusquam Italiam inuasissent, haec scribit: (b) *Nam Bulgarorum gentem atque Graecorum tributariam fecerant;* verosimiles euadunt illae Hungarorum procursiones, quas ex Anonymo, certa temporis nota destituti, iam insinuauimus ad A. C. 896. Eas quidem Sigebertus Gemblacensis refert ad A. C. 906. quum ita loquitur: (c) *Hungari victos Graecos sub tributo redigunt;* sed huius chro-

(a) *Cap. L.*
(b) *Libr. II. Cap. IV.*
(c) *Ad A. C. 906.*

chronologiam admodum luxatum esse, nemo nescit. Potior igitur fides hac in re Luitprando, temporibus illis viciniori, scripsit enim seculo X. haberi potest, qui non tantum Bulgaros, sed etiam Graecos sub tributum redactos ab Hungaris asserit, priusquam Italiam vastare coepissent, quod, vt mox videbimus, anno sequenti factum est. A. C. 899.

A. C. 899. *Arpadi* 11. *Indict.* 2.

CVI. Quum Marahanenses hinc Arnulfus per suos duces, inde Arpadus per suos milites premerent; isti tantis hostibus impares, ad fraudes conuersi, cum Hungaris eiusmodi societatem iniuerunt, vt, capitibus ad eorum morem attonsis, illis se miscuerint; illos in vastanda Pannoniae parte, quae, iuribus Arnulfi subiecta, nondum ab Arpado subacta fuit, adiuuerint; illis denique viam ad populandam Carentaniam ac Italiam aperuerint. Haec episcopi Bauariae, litteris ad Leonem IX. anno sequente datis, ita queruntur: (a) *Ipsi* (Marahanenses) *Vngarorum non modicam multitudinem ad se sumserunt, et more eorum, capita suorum pseudo-Christianorum penitus detonderunt, et super nos Christianos immiserunt, atque ipsi superuenerunt; et alios ca-* LI. Quando Carentaniam et Italiam primum euastauit?

pti-

(a) *Ap. Hansiz. G. S. T. I. p.* 177. *Apud Prai. Ann. vet. P. III. p.* 338.

A. C. 899. *ptiuos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame et siti perdiderunt; innumeros vero exsilio deputauerunt, et nobiles viros ac honestas mulieres in seruitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt et omnia aedificia deleuerunt, ita vt in tota Pannonia nostra, maxima prouincia, tantum vna non appareat ecclesia, prouti episcopi, a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt.* Quum iter legatorum per Austriam infra montem Cetium fuerit, quae tunc ad Pannoniam pertinebat; neque mentio fiat cladis ad Anasum ab Hungaris illatae; haec Pannoniae clades ante Bauaricam illam accidit. Vt autem episcopi Boici ferociam Hungarorum mitigarent eosque benigniores in Christianos, longius in ea Pannonia positos, redderent; linteas quasdam vestes iis dono miserunt. Illi, his acceptis, armorum terrorem alio conuerterunt Italiamque vastarunt. *Vngari*, scribit chronista monasterii S. Galli, *Italiam inuaserunt, et Longobardos bello vicerunt.* (a) Similia habet Hepidanus monachus et Marianus Scotus ad eumdem annum. (b) Vnde Cl. Praius Italicam expeditionem, quam in annalibus retulit ad A. C. 900. in dissertationibus collocat ad A. C. 899. so-

(a) *Ad A. C.* 899.
(b) *Ap. Prai. ann. vet. p.* 337.

solumque dubitat, qua primum in Italiam irruperint. (a) A. C. 899.

CVII. Ac primum quidem eorum sententiam reiicit, qui per Pannoniam Interamnensem, nunc occupatam, in Italiam eos procurisse, putant, ostensumque dicit ex Arnulfi praecepto, *Hungaros, illo viuo, nihil siue in inferiorem, seu superiorem Pannoniam tentasse*. Sed pace tanti viri dixerim, in Arnulfi praecepto, quod alio loco recitat, (b) nihil ego video, quo probari possit, Hungaros, Arnulfo viuo, nihil in Pannoniam inferiorem, aut superiorem tentasse. Loca quaedam, Dietmaro, seu Theotmaro donata, quae fere trans Arrabonem erant, eius ditioni subiecta fuisse, quum donarentur, colligi potest; at ab his, dum is viueret, Hungaros manus abstinuisse, nec ibi, nec alibi deinceps ostenditur. Quare, quemadmodum ex Arnulfi praecepto, cuius annus certus assignari non potest, non constat, Pannoniam superiorem ab Hungaris occupatam non fuisse ante A. C. 900. ita, licet nemo Brazlauonem Pannonia Sauia his annis exutum memoret, certo non infertur, ditionem eius ab Hungaris occupatam non fuisse. Certe vix est credibile, Hungaros, quum in Italiam his annis toties procurrerent,

LII. An per Pannoniam Sauiam in Italiam penetrauit?

(a) *Diss. X. p.* 235.
(a) *Diss. VII. p.* 127.

A. C. 899.

rent, longiorem ac magis impeditam ex Carentania, vel Bauaria viam elegiſſe, quum maiora per Pannoniam Sauiam compendia viarum ignorare non poſſent. Et, ſi Brazlauo, cui Pannoniae partem cum vrbe *Paludarum*, ſeu hoc nomine *Szalavár*, quod Cl. Praio, ſeu *Sárvár*, quod mihi placet, intelligatur, Arnulfus tutandam ante triennium crediderat, impedire non potuit, ne Hungari Pannoniam hanc occuparent; non ita metuendus iisdem erat, vt Pannoniam etiam Sauiam tentare non auderent ac etiam ſibi vindicarent. Immo, quia Brazlauo deinceps in hiſtoriis non comparet, videtur vel fato, vel Hungarorum gladio conſumtus eſſe. Sed haec ex dicendis anno ſequenti magis patebunt. Deinde Cl. Praius eorum opinionem refellit, (a) qui per Baioarios in Italiam procurriſſe Hungaros arbitrantur, quod Arnulfo *ſiue metus, ſiue amicitiae cauſſa Hungari multum tribuerint.* At enim nec metus, nec amicitia, ſi quam cum Arnulfo habuerunt, impediuit, quominus, altero ſtatim ab auxiliis Arnulfo contra Suatoplugum latis anno, *factum eſſet bellum magnum inter Bauuarios et Vngarios*, vt alias ex chronico Hildesheimenſi vidimus; quamuis ad aliquem e poſterioribus annis id referendum cenſeamus. Si huius chronici teſtimonium Cl. auctor admittit, vt ſemel ac

ite

(a) *Diſſ.* X. *p.* 236.

iterum innuit; (a) apparet, Hungaros nec amicitiam cum Arnulfo tam religiose seruasse, nec metum eius tantum habuisse, vt eius ditionibus parcerent. Priusquam igitur firmiora mihi momenta producantur; ante mortem Arnulfi Pannonia Hungaros abstinuisse, vix, vt credam, imperare mihi possum.

A. C. 900.

A. C. 900. Arpadi 12. Indict. 3.

CVIII. Hungaris Italiam vastantibus, episcopi Bauariae pacem Marahanensibus obtulerunt, vt ab iis liberi, Longobardiam intrare resque S. Petri defendere contra Hungaros possent. At illi non tantum paci non acquieuerunt, sed etiam nouum iis periculum apud summum sacrorum arbitrum iniquis criminationibus suis crearunt. Nam, vt molestum Germaniae iugum excuterent; a Ioanne IX. multis precibus efflagitarunt, vt suos Morauis antistites daret, ne cum Bauaris, qui Hungaros, cum quibus nefario sacramento per canem et lupum foedus sanxerint, ad Italiam vastandam immiserunt, communione sacrorum iungi debeant. Ioannes Pontifex, Hungarorum in Italiam excursione commotus, fidem paene calumniis Marahanensium Slauorum adhibuit, minacesque litteras ad episcopos Bauariae dedit. Sed hi criminatio-nes

LIII. Marahanenses, an Bauari Hungaris ad hoc bellum auxilio fuerunt?

(a) *Diss. VII. p.* 127. *Diss.* X. *p.* 234.

A. C. 900. nes impias in accusatores retorserunt ac ita diluerunt: (a) *Quod nos praefati Schlaui criminabantur, cum Vngaris fidem catholicam violasse, et per canem, siue lupum, aliasque nefandissimas et ethnicas res sacramenta et pacem egisse; atque vt in Italiam transirent, pecuniam dedisse; si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta nouit, antequam fiant, et coram vobis, qui vicem eius apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur et nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris, longe a nobis positis* (qui Pannoniam, Arnulfo subiectam, incoluerunt) *semper imminebant, et persequutione nimia affligebant; donauimus illis nullius pretiosae pecuniam substantiae, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, et ab eorum persequutione quiesceremus.* Negarunt igitur episcopi, pecuniam vllam a se Hungaris datam; sed tantum vestes linteas; easque non ideo, quod Marahanenses criminabantur, vt Hungaros in Italiam immitterent, sed vt eorum aduersus Christianos feritatem emollirent. Tum criminationibus in accusatores, vt supra vidimus, retortis, quod scilicet ipsi Hungaros in Christianos immiserint eisque se iunxerint; subiunt unt, se tamen pacem cum illis inire voluisse: *quando vero Hungaros*, inquiunt, *Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem*

Schla-

(a) *Ap. Hansiz. et Prai. loc. cit.*

A. C. 900.

Schlauis, teste Deo, multum desiderauimus; promittentes eis Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, et omnia reddere, quae de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, et tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare et res sancti Petri defendere populumque Christianum diuino adiutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus, vt post tanta maleficia haberent beneficia. Et sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persequutores. Suscepit patrocinium Boicorum episcoporum contra Marahanenses Hatto, Moguntinus archiepiscopus, datisque litteris ad Ioannem IX. veniam simul ab eo petiit, quod Arnulfo, 8. Decembris anno superiore defuncto, Ludouicum, eius filium, sine consilio pontificis optimates Germaniae regem elegerint. (a) *Cur hoc sine vestra iussione et permissione factum sit*, inquit, *vestram haud dubitamus latere prudentiam; nulla scilicet alia caussa actum constat, nisi quia, paganis inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum - ita vt nec legati a nostra paruitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio et tempus aduenit, quo nostra epistola vestris obtutibus praesentaretur; rogamus, nostram communem constitu-*

(a) *Ap. Hansiz, G. S. T. I. p.* 179. *Ap. Prai. ann. vet. p.* 339.

A. C. 900. *tionem vestrae dominationis benedictione roborari.* Paganos hos, qui litterarum commercium inter Germaniam ac Italiam impediuerunt, non alios fuisse, quam Hungaros, recte Cl. Praius obseruauit. Et quia Ioannes IX. Augusto mense huius anni mortem obiit; vtraque, tam episcoporum Bauariae, quam Hattonis, epistola hoc anno Romam ad eum dirigi debuit. Vnde rerum, ab Hungaris hoc tempore gestarum, chronologiam fere certam habemus, tutoque procursionem Italicam ad annum superiorem cum chronico monasterii S. Galli, Hepidano monacho, Mariano Scoto designimus; quam si retraheremus ad annum praesentem, difficulter intelligi posset, quomodo tantae res ante mensem Augustum agi potuerint, vt scilicet et Hungari primo vere Longobardiam inuaserint, et Marahanenses Slaui Bauaros, velut ab illis in exitium Italiae missi fuissent, accusauerint; et pontifex legatos suos, Ioannem, Benedictum, Danielem in Marahaniam destinauerit; et post horum aduentum episcopatumque Passauiensem in quinque dioeceses diuisum, litteras ad pontificem iidem Bauariae praesules direxerint; et Hatto Moguntinus, de his criminationibus certior redditus, illorum patrocinium susceperit. Immo quia Hatto scribit, eo tempore, quo Ludouicus Arnulfo patri suffectus est, iter ab Hungaris paganis sic impeditum fuisse, vt legati Romam e Germania mitti non potuerint; patet, Hungaros mense Decem-

cembri, cuius octauam diem supremam Arnulfus habuit, (a) et ineunte anno 900. quo Ludouicus Forchemii rex salutatus est, (b) adhuc in Longobardia fuisse; secus enim Hatto cum veritate scribere non potuisset: *paganis inter nos, et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum.* Patet etiam, Hungaros, priusquam in Italiam irrumperent, Pannoniam, quae tunc ad Cetii montis iuga pertinebat, euastasse; proinde mortem Arnulfi, quo haec facerent, non exspectasse; quum eo tempore, quo hic mortem obiit, iam, vt vidimus, in Italia fuerint. Nam ideo Marahanenses occasionem arripuerunt, episcopos Boicos accusandi, quasi Hungaros, pecuniis datis, in exitium Italiae misissent, quod iis, priusquam Italiam inuaderent, linteas quasdam vestes dederint. Quum autem episcopi respondent, has non ad concitandam, sed mitigandam eorum feritatem a se datas; aperte docent, Christianos, a se longius in Pannonia positos, ab Hungaris iam prius afflictos fuisse, quam in Italiam transirent; docent, ab Hungaris in Pannonia, quae Bauarici iuris erat, omnes sacras aedes euersas esse; docent, Marahanenses cum Hungaris armorum societatem contra Pannoniae Christianos iniuisse. Quare suspectum merito haberi potest illud

A. C. 900.

P 2 Ab-

(a) *Herm. Cont. ad A. C.* 899.
(b) *Regino ad A.* C. 900.

A. C. 900.

Abbatis Vrſpergenſis teſtimonium: (a) *Arnulfus imperator obiit moxque eo anno Hungari, morte illius audita, collecto permagno exercitu, Marauianorum gentem, quam illorum auxilio Arnulfus imp. ſibi ſubdiderat, inuadunt ſibique vindicant.* Quod ex Luitprando Ticinenſi depromtum videtur, qui ſic eamdem rem exprimit: (b) *Primo mortis huius* (Arnulfi) *natique eius ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Marauanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo rex Arnulfus ſubdiderat ſibi vendicant.* Vt enim ab auctore hoc eadem ſerie multa narrantur, quae pluribus annis acta ſunt; ita Conradus Vrſpergenſis, eumdem ſequutus, multa male digerit cum Sigeberto Gemblacenſi, qui pariter res, ab Hungaris aliis et pluribus annis geſtas ita confundit: (c) *Hungarorum gens barbara, quae quibusdam cluſis remota, nec ad meridianam plagam, nec ad occidentalem, exeundi antea habuerat facultatem, per Arnulfum ruptis cluſis emiſſa, quae, Arnulfo viuente, aliquantulum temperauerat rabiei ſuae, modo, eo mortuo, per totam Galliam, Germaniam Italiamque, vt fera tempeſtas, diffunditur.* Vterque horum, vt apparet, ex Luitprando ſua depromſit maleque digeſſit. Nec hi ſatis idonei teſtes ſunt ad conſtituendum tempus, quo Hungari

(a) *Ad A. C.* 899.
(b) *Lib. II. cap. I.*
(c) *Ad A. C.* 903.

gari seu Marahaniam occupauerint, seu Bauariam ac Italiam inuaserint. Notiora haec erant episcopis Boicis et Hattoni Moguntino, quorum testimonio habemus, Hungaros, auxilio Marahanensium, arma Pannoniae, Bauaris obnoxiae, primum intulisse, deinde, quum Italiam illi peterent, hos cum Bauaris nullam pacem componere voluisse. Haec erat caussa, cur Hatto Moguntinus, tutor regius, ita de Marahanensibus, si pertinacius a suis ceruicibus amoliri iugum regium niterentur, ad Ioannem IX. scripserit: (a) *Quod si vestra admonitio illos non correxerit; velint, nolint, Francorum principibus colla submittent.* Et vero, quum nullis seu conditionibus, seu comminationibus Marahanenses ad fidem et quietem reuocari possent; *Baiouuarii*, scribit annalista Fuldensis, (b) *per Boemanniam, ipsis secum assumtis, regnum Marahanorum cuncti per tres hebdomadas deuastantes irruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reuersi sunt.*

A. C. 900.

CIX. Hungari vero, cum ingentibus spoliis ex Italia sub anni huius initium reuersi, postquam vires, ab expeditione longinqua nonnihil attritas, reparassent, ac alios quoque spe praedarum opimarum, quas ex Italia retulerant, ad eamdem expeditio-

LIV. An Hungari duas in Italiam expeditiones susceperunt?

(a) *Ap. Calles. An. Aust. P. I. p.* 224.
(b) *Ad A. C.* 900.

A. C. 900. tionem suscipiendam excitassent; rursus ad spoliandam regionem eamdem arma conuerterunt. Hoc testatur Hermannus Contractus, quum ita scribit: (a) *Vngari, hostes noui, Italiam magna ex parte vastauerunt, et, conserto praelio, victores* (millia) *XX. ex Italis vna die peremerunt.* Hoc annalista Fuldensis, quum iis, quae de Bauaris, Marahaniam vastantibus, antea narrauerat, mox subiicit: (b) *Interim vero Auari, qui dicuntur Vngari, tota deuastata Italia, ita vt, occisis episcopis quampluri-mis, Italici, contra eos depellere molientes, in vno praelio vno die ceciderint XX. millia. Ipsi namque eadem via, qua intrauerunt Pannoniam, et maxima parte deuastantes, regressi sunt.* In hoc igitur itinere videntur reliquas Pannoniae Sauiae partes, quae seu Brazlauoni, seu post eius mortem, aut caedem, Arboni parebant, in suam ditionem redegisse. Nam Pannoniam superiorem ante hunc annum subiugatam fuisse, tam ex iis, quae hactenus diximus, quam quae porro dicentur, intelligitur. Certe Fuldensis continuator, postquam hoc anno factam et paullo post referendam Hungarorum in Bauariam incursionem enarrasset, ita rem omnem claudit: *Vngari - redierunt, vnde venerunt, ad sua in Pannoniam.* Si sua iam in Pannonia

(a) *Ad A. C.* 900.
(b) *Ad A. C.* 900.

nonia habuerunt; non est credibile, hoc eodem anno vastatam eam fuisse. Quis enim facile sibi persuadeat, in regione recens exhausta habitationem eos ita defixisse, vt ex auctumnali procursione reuersi, hiemem cum sua familia traducturi, locum, nupero bello prostratum ac in solitudinem paene conuersum, nec adhuc propter tot huius anni bellicas expeditiones instauratum, in eum finem elegerint? Locus igitur ille de Pannonia Sauia videtur accipiendus ac ita dispungendus et restituendus: *Eadem via, qua intrauerunt, Pannoniam* (Sauiam) *ex maxima parte deuastantes, regressi sunt.* Quum autem geminam eorum in Italiam expeditionem fuisse, colligamus ex auctoribus laudatis; vtraque vastatam fuisse hanc Pannoniae partem, censendum est.

A. C. 900.

CX. Vtriusque huius in Italiam procursionis Luitprandus ita meminit: (a) *Quum nullus esset, qui in orientali ac australi plaga Hungaris resisteret (nam Bulgarorum gentem atque Graecorum tributariam fecerant) ne quid inexpertum his esset, quae sub meridiano atque sub orientali degerent climate, nationes visere satagunt. Immenso itaque innumerabilique collecto exercitu, miseram petunt Italiam. Quumque iuxta fluuium Brennam defixis tentoriolis, immo cento-*

LV. An recte Luitprandus has Hungarorum procursiones adnotauit?

(a) *Lib. II. Cap. 4.*

A. C. 900. *toribus, triduo exploratoribus directis, qui terrae situm gentisque multitudinem, seu raritatem, considerarent; repedantibus nunciis, huiusmodi responsa suscipiunt: planicies haec, nunnullis plena colonis, vno, vt cernitis, ex latere montibus asperrimis atque fertilibus, altero mari cingitur Adriatico: oppida vero tum nonnulla, tum munitissima: gentis quamquam ignoretur imbecillitas, aut fortitudo; immensa tamen conspicitur multitudo. Neque enim hanc tam paucis copiis inuadere hortamur; verum quum nonnullae sint res, quae nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, pugnandi scientia, opes praesertim, quarum desiderio fatigamur, quae hic tot insunt, quot toto in orbe nec vidimus, nec videre sperauimus: nobis tamen consultis (neque enim longum arduumue remeandi iter est, quod decem potest, et eo minus, diebus perfici) reuertamur, quatenus vere; omnibus gentis nostrae collectis, fortissime redeamus; sitque his tum in fortitudine, tum nostra in multitudine terror.* Ex hoc explorandi consultandique modo conicitur, hanc fuisse primam Hungarorum in Italiam expeditionem, eamque cum chronico monasterii S. Galli, Hepidano monacho, Mariano Scoto figendam ad superiorem A. C. 899. Luitprandus tamen in eo corrigendus videtur, quod omnem hanc expeditionem solis explorationibus et consultationibus definiat. Quis enim credat, *immensum et innumerabilem exercitum*. vt ille scribit, nihil ausum fa-

cere,

cere, sine spoliis vllis in Pannoniam reuertisse? Certe tam auctores supra laudati, quam episcopi Boici Hattoque Moguntinus aperte docent, Hungaros et longius in Italiam penetrasse; et damna non pauca Longobardis intulisse. *Nec mora*, subiicit Luitprandus, *his auditis, ad propria reuertuntur, totamque hiemis asperitatem in fabricandis armis, in acuendis spiculis, in docendis iuuenibus belli notitiam, ducunt.* Totam hiemem non domi, sed eius partem in Italia Hungaros exegisse, rursus ex Hattone Moguntino, colligitur; quum enim hieme mortuus sit Arnulfus, hieme suffectus ei Ludouicus; scribere pro hoc tempore de Hungaris ista non potuisset: *paganis inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum*; nisi iam tunc in Italia Hungari fuissent. His vero domum reuersis, impedimento iam sublato, Hatto litteras ad Ioannem IX. dare scribereque potuit: *Tandem occasio et tempus aduenit, quo nostra epistola vestris obtutibus praesentaretur.* Quare pro reditu Hungarorum in Italiam male hiemis exitum Luitprandus his verbis assignauit: *Sol necdum piscis signum deserens, arietis occupabat, quum, immenso atque innumerabili exercitu collecto, Italiam petunt: Aquileiam et Veronam pertranseunt munitissimas ciuitates: et Ticinum, quae nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur, nullis resistentibus, veniunt.* Parum sui memor Luitprandus, quam hic Aquileiam ciuitatem munitissimam appellat,

A. C. 900.

 infra

A. C. 900.

infra fcribit, (a) ab Attila deftructam fuiffe, neque deinceps ad fuam aetatem reftitutam. Quare Muratorius cenfet, (b) Patauium, aut aliam quampiam cinitatem Aquileiae fubftituendam. Semper autem periculofum ac temerarium exercitui, hoftiles terras incurfanti, fuit, munitas a tergo ciuitates, non expugnatas relinquere; quod fuo hic damno Hungari didicerunt.

LVI. Quomodo Hungaris altera procurfio fucceffit?

CXI. Nam, vt Luitprandus profequitur, (c) *Rex Berengarius tam praeclarum nouumque facinus fatis mirari non potuit; antehac enim neque nomen gentis huius audierat.* Ex his quidem inferri poffet, Luitprandum de prima Hungarorum in Italiam irruptione loqui; vix tamen crediderim, tam ignotum Berengario fuiffe nomen gentis adeo vicinae, cuius armis tota iam Pannonia perftrepuit. *Italorum igitur*, pergit Luitprandus, *Tufcorum*, *Volfcorum*, *Camerinorum*, *Spoletinorum quosdam libris*, *alios nunciis directis, omnes tamen in vnum venire praecipit; factusque eft exercitus triplo Hungarorum validior. Quumque fibi Berengarius tot adeffe copias cerneret;* (d) *fuperbiae fpiritu inflatus magisque triumphum de hoftibus multitudini fuae, quam DEO* tri-

(a) *Lib. III. cap.* 2.
(b) *Script. rer. Ital. T. II. p.* 476.
(c) *Lib.* 2. *cap.* 4.
(d) *Ibid. cap.* 5.

tribuens, solus cum paucis quodam in oppidulo degens, voluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox vt Hungari contemplati multitudinem, animo consternati, quid facerent, deliberare non poterant; praeliari penitus formidabant; fugere omnino nequibant. Verum inter vtramque hanc aestuationem fugere magis, quam praeliari iuuat. Persequentibus Christianis, Abduam fluuium natando, ita vt nimia festinatione plurimi submergerentur, transeunt. Hungari denique, consilio non malo accepto, per internuncios Christianos rogant, quatenus, praeda omni cum lucro reddita, ipsi incolumes remeare possent. Quam petitionem Christiani funditus abdicantes, his, proh dolor, insultabant, potiusque vincula, quibus Hungari vincirentur, quam arma, quibus necarentur, exquirunt. Cumque pagani Christianorum animos hoc pacto mulcere nequirent; vetus rati consilium melius, coepta sese liberare fuga satagunt, sicque fugiendo in Veronenses campos perueniunt. Christianorum primi horum iam nouissimos insequuntur; fitque eodem pugnae praeludium, in quo victoriam habuere pagani. Validiore vero propinquante exercitu, fugae non immemores, coeptum iter percurrunt; veneruntque Christicolae cum idololatris iuxta fluuium Brennam. Equi enim nimium defatigati fugiendi copiam negabant Hungaris. Simul igitur vtraeque acies conuenere, memorati tantummodo fluuii alueo separatae. Hungari denique, nimis terrore coacti; omnem supellectilem, captiuos, arma A. C. 900.

omnia

A. C. 900. *omnia, equos, singulis, quibus cum remeare possent, retentis, dare promittunt. Hoc praeterea in honorem suae petitionis adiungunt, vt, si vita tantum comite, datis omnibus, illos remeare permitterent, se numquam Italiam amplius ingressuros, filiis suis obsidibus datis. Verum, heu Christiani, superbiae tumore decepti, minis paganos, ceu iam victos, insequuntur, eisque continuo huiusmodi apologiam remittunt: ,, si contraditum nobis, praesertim a contraditis, iamque canibus mortuis, munus reciperemus, ,, foedusque aliquod iniremus; insanos capite nos sanus iuret Orestes. ,, Hac igitur legatione Hungari desperantes,* (a) *collectis in vnum fortissimis, tali sese mutuo sermone solantur: ,, si hac, quae in praesentiarum cernitur, luce perdita, nihil est, ,, quod deterius prouenire possit hominibus; ,, et quia locus preci nullus, fugiendi spes ,, omnis ablata, colla submittere mori est, ,, quid verendum est nobis, tela inter ipsa ,, ruere, morte mortem inferre? Numquid ,, non fortunae, et non imbecillitati casus ,, deputandus noster? viriliter enim pugnando occumbere, non est mori, sed viuere. ,, Hanc famam tantam, hanc* KLERONOMIAN, *id est, hereditatem, vt a patribus ,, nostris accepimus, etiam relinquamus heredibus. Nobis debemus, nobis saltem ,, credere expertis, qui copiarum paucitate*

,, *non-*

(a) *Ibid.* Cap. 6.

A. C. 900.

„ *nonnumquam plurimos ſtrauimus. Inuali„ dae plebis ſane congregatio plurima ad „ caedem tantum eſt expoſita. Sed et fu„ gientem ſaepiſſime Mars perimit; dimican„ tem fortiter protegit. Hi enim, qui no„ bis ſupplicantibus non miſerentur, ignorant, „ neque mente percipiunt, quia vincere qui„ dem bonum eſt, ſuperuincere nimis inui„ dioſum.* „ *Hac itaque exhortatione vtcumque animos recreati, tres in partes inſidias diſponunt, recta ipſi fluuium tranſeundo hoſtes in medios ruunt. Chriſtianorum enim plurimi, longa propter internuncios exſpectatione defatigati, per caſtra, vt cibo recrearentur, deſcenderant, quos tanta Hungari celeritate confoderunt, vt in gula cibum transfigerent; aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis; eoque illos leuius perimebant, quod ſine equis eos eſſe conſpexerunt. Ad augmentum ſane perditionis Chriſtianorum non parua inter eos erat diſcordia. Nonnulli Hungaris non ſolum pugnam non inferebant; ſed vt proximi caderent, anhelabant; atque hoc ipſi peruerſi peruerſe fecerant, quatenus, dum proximi caderent, ſoli ipſi liberius quaſi regnarent. Qui, dum proximorum neceſſitatibus ſubuenire negligunt eorumque necem diligunt; ipſi propriam incurrunt.* Scindebatur nempe tunc Italia diuerſis in Berengarium et Ludouicum, Boſonis filium, ſtudiis; et hic quidem anno ſuperiore iam ita concluſus a Berengario fuit, vt nonniſi iureiurando pollicitus, ſe non rediturum, ab eo dimiſſus fuerit. Rediuit ta-

men

A. C. 900.

men ex Galliis iterum, anno hoc ab Italis inuitatus; ac post Augustum mensem coronatus est. Videntur scilicet Itali, Berengarii socordia, qui Hungaros e manibus dimiserit grassarique postea per Italiam permiserit, offensi, Ludouico titulum regis obtulisse. Quam vero misera fuerit Italiae conditio post victoriam Hungarorum, ita Luitprandus expingit: *Fugiunt itaque Christiani, saeuiuntque pagani; et qui prius placare muneribus nequibant, supplicantibus postmodum parcere nesciebant. Interfectis denique fugatisque Christianis, omnia Hungari regni loca saeuiendo percurrunt. Neque erat, qui eorum praesentiam, nisi munitissimis forte praestolaretur in locis.*

LVII. Qua parte huius anni bellum istud ab Hungaris gestum fuit?

CXII. Tunc igitur factum fuerit, quod chronicon Nonantulanum in haec verba refert: (a) *Venerunt Vngari in Italia de mense Augusti, indictione III.* (quae respondet huic anno 900.) *VIII. Kal. Octobris* (24. Septembris) *iniunxerunt se Christiani cum eis in bello ad fluuium Brentam; vbi multa millia Christianorum interfecta sunt ab eis; et alios focauere; et venerunt vsque ad Nonantulam* (in Parmensi ditione sitam) *et occidere monachos, et incenderunt monasterium, et codices multos concremauere, atque omnem depopulati sunt locum.* Atque hinc non tantum annum, sed etiam mensem

(a) *Murat. T. I. P. II. p.* 195.

sum incursionis huius certum habemus ipsumque pugnae cruentae diem, 24. Septembris, ediscimus. Cl. Praius chronici huius testimonium itidem affigit ad A. C. 900. (a) de mense tamen Augusto dubitat; *Ioannem enim IX. eo mense defunctum liquet; non est autem credibile, episcopos Baioariae ad defunctum papam litteras, nisi forte de illius morte non compererunt, dedisse.* Fieri quidem et hoc poterat, vt, morte nondum comperta pontificis, eas ad illum litteras episcopi Bauariae dederint; ceterum huc nobis recurrendum non est, qui geminam ab Hungaris expeditionem in Italiam fuisse susceptam cum Luitprando statuimus; alteram in exitu superioris anni, de qua chronicon S. Galli, Hepidanus et Marianus testimonium perhibent; alteram Augusto mense huius anni, quod ex chronico Nonantulano colligitur; ex quo Luitprandus etiam ita corrigendus videtur, vt, prima procursione Hungarorum ad anni huius initium producta, quod ex Hattonis litteris intelligitur, altera non ad veris initium, sed ad mensem Augustum huius etiam anni defigatur. Ita variantes auctorum sententiae, mea quidem opinione, conciliari possunt, quorum alii hanc expeditionem ad A. C. 899. alii narrant ad A. C. 900. Ita post primam expeditionem episcopi Bauariae scripserint ante mensem Augustum,

A. C. 900.

(a) *Ann. vet. P. III. p.* 337.

A. C. 900.

stum, quo tam Ioannis pontificis obitus, quam secundus Hungaroum in Italiam impetus contigit. Ex chronico Nonantulano pariter corrigendus videtur Siccardus episcopus, qui sub exitum seculi XII. ita scrisit: (a) *His temporibus Hungari depopulantur Italiam, scilicet anno* 906. (lege 900.) *VIII. Cal. Octobris; posteaque de anno in annum saepius reuersi sunt et depraedati.* Quum enim eumdem praelii diem designet, eamdem etiam rem narrare colligitur. Annum in Siccardo vitiatum etiam Dandulus, seculi XIV. scriptor, adoptauit, quum Italicam hanc expeditonem ita describit: (b) *Anno DCCCCVI. Hungarorum pagana et crudelissima gens, in Italiam veniens, incendiis et rapinis cuncta deuastans, maximam multitudinem hominum interficiens, nonnullos etiam captiuos reseruauit. Contra quos Berengarius rex direxit exercitum XV.* (Ambrosianus codex melius habet XX) *millium hominum; et pauci ex eis reuersi sunt. Hungari vero pertranseuntes Taruisium, Patauium, Brixiam ceterosque fines, Papiam et Mediolanum venerunt, et vsque ad montem Iob, vel Iouis, depopulantes cuncta.* (c) *Hungari interea, Venetias introgressi cum equis et pelliceis nauibus* (fortassis vtribus) *pri-*

(a) *Murat. T. VII. p.* 582.
(b) *Murat. T. XII. p.* 197. *seu L.* 8. *C.* 9. *parte* 31.
(c) *Ibid. parte* 32.

primam ciuitatem Nouam, fugiente populo, igne concremauerunt; deinde Equilium, Finem, Clugiam, caput aggeris incenderunt litoraque maris depopulauerunt; verum etiam tentantes Riuoaltum et Methamancum ingredi per loca, quae Albiola vocantur, in die passionis SS. apostolorum Petri et Pauli, Petrus dux cum nauali exercitu, DEI protectus auxilio, praedictos Hungaros in fugam vertit. Fuit namque haec persequutio in Italia anno vno continuo. (a) *Rex igitur Berengarius, datis obsidibus ac donis, praedictos Hungaros retrocedere fecit cum omni praeda, quam fecerant.* Cl. Praius in annalibus veteribus (b) hanc Hungarorum in Italiam irruptionem affixit ad A. C. 902. At in dissertationibus chronologiam hanc corrigit et cum Dandulo sentit. (c) Ego vero, quia Dandulus hic primum procursionis Hungarorum in Italiam meminit, hanc ab eo pro prima, quam ex auctoribus supra laudatis ad exitum seculi IX. collocauimus, ex luxata Siccardi chronologia poni censeo. Vix enim Dandulus primam illam adeo memorabilem, si haec ab illa distingueretur, silentio praetermissurus erat, qui leuiores etiam referre diligentius solet. Certe mentio XX. millium, quae tam hic in Ambrosiano codice, quam in

A. C. 900.

(a) *Ibid. parte* 33.
(b) P. *III.* p. 344.
(c) *Diss.* X. *p.* 238.

A. C. 900.

auctoribus supra laudatis occurrit, hanc opinionem confirmat. videtur autem Dandulus parte 32. procursionem aliam Hungarorum, quae post vicenos annos accidit, male cum priore coniunxisse; nam istam quidem Augusto mense fuisse susceptam, ex chronico Nonantulano habemus; suam Dandulus ad exeuntem Iunium affigit.

LVIII. An etiam patrii scriptores belli huius meminerunt?

CXIII. Ex Luitprandi narratione, qua bellum hoc Italicum poeticum in morem depingit, aliqua Turotzius ad describendum Hunnorum in Pannoniam transitum, de quo iam egimus, traduxisse videtur. Certe nomen Longobardorum; numerus caesorum XX. millium (sic enim fere restituendum esse numerum, ab illo supra fidem auctum, alias innuimus) clam praeterea transmissus ab Hungaris fluuius; improuisus eorum in Longobardos impetus; ipse Berengarius, Veronae residere solitus; suspicioni huic fundamentum aliquod praebent; quamuis cetera Pannoniae potius accomodari, quam Italiae, possint. Nempe noui nihil est apud Turotzium, res, diuersis locis et temporibus actas, permiscere maleque confundere. De hac etiam expeditione videntur accipienda, quae, confuso rursum ordine, his verbis alibi refert: (a) *Postquam autem memorata regna deuicerunt, per Forum Iulii vsque in marchiam Longobar-*

(a) *Chron. P. II. C. XXIV.*

bardiae intrauerunt, vbi ciuitatem Paduam igne ac gladio consumserunt. Et hinc intrantes Lombardiam, Linthar, Vercellinae ciuitatis episcopum, imperatoris Caroli (Crassi) *consiliarium fidelissimum, occidentes, ex ipsius ecclesia thesaurum maximum rapuerunt, totamque paene Lombardiam spoliantes, cum maximo spolio in Pannoniam cum victoria redierunt.* Erat Liutuardus ille Carolo III, cognomento Crasso, carissimus, omnium eius consiliorum arbiter et moderator, sed omnibus ob fastum exosus. Huius necem ac Longobardiae cladem Anonymus quoque paullo fusius narrat, sed ad Zoltani tempora male reuocat. *Accepta licentia*, scribit is, (a) *a duce Zulta, cum exercitu Caranthino decreuerunt, et per Forum Iulii in marchiam Lombardiae venerunt, vbi ciuitatem Paduam caedibus et incendiis et gladio et rapinis magnis crudeliter deuastauerunt. Et hinc intrantes Lombardiam, multa mala facere coeperunt, quorum violentiae ac bellnino furori quum terrae incolae, in vnum agmen conglebati, resistere conarentur; tunc innumerabilis multitudo Lombardorum per Hungaros ictibus sagittarum periit, quam plurimis episcopis et comitibus trucidatis. Tunc Lutuardus, episcopus Vercellensis ecclesiae, vir nominatissimus, Caroli minoris, quondam imperatoris, familiarissimus amicus ac fidelissimus consiliarius a secreto, hoc audito,*

A. C. 900.

(a) *Cap. LIII.*

A. C. 900.

dito, assumtis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus vltra, quam aestimari potest, abundabat, quum omnibus votis effugere laboraret eorum cruentam ferocitatem, tunc inscius super Hungaros incidit, et mox ab eis captus, interficitur, et thesaurum, existimationem humanam transcendentem, quem secum ferebat, rapuerunt. Post haec refert caedem Stephani, quem vocat fratrem *Wadonis comitis*, sed rescribendum videtur *Vidonis*, seu *Guidonis comitis*, qui Berengarii potens aemulus ante Hungarorum irruptionem erat.

LIX. Quantam cladem Hungari Bauaris intulerunt?

CXIV. Luitprandus, duabus Hungarorum in Italiam incursionibus enarratis, subiicit: *Illorum sane adeo praeualuerat virtus, quatenus eorum pars quaedam Baioariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniam, quaedam vero depopularetur Italiam.* Ex his, quae pluribus annis acta sunt, primum, quod de Baioaria meminit, continuator annalium Fuldensium ad hunc annum ita refert: (a) *Missos illorum sub dolo ad Baioarios pacem optando, regionem videlicet ad explorandum transmiserunt. Quod, proh dolor, primum malum et cunctis retro transactis diebus inuisum damnum Baiowarici regni contulit. Igitur ex improuiso cum manu valida, maximo exercitu, vltra Anseum* (Anesum) *fluuium, regnum Baiowaricum hostiliter inuaserunt,* ita

(a) *Murat. T. II. p. 576.*

ita vt per quinquaginta milliaria in longum et in transuersum, igne et gladio cuncta caedendo et deuastando iam vna die prostrauerint. Quod comperientes vlteriores Baiowarici, dolore compulsi, e contra festinare disponunt. Sed hoc Hungari praecognoscentes, cum his, quae depraedauerunt, redierunt, vnde venerunt, ad sua in Pannoniam. Interim vero quaedam pars de exercitu illorum de aquilonari parte Danubii fluminis, partem illam deuastando, prorupere. Quod vt Luitpoldo comiti compertum foret, moleste hoc patiendum ferens, contra exisse cum quibusdam primoribus Baiowariorum, vno tantum Euchario (Richario) *Patauiensis sedis episcopo, comitante, vltra Danubium eos insequendum se transposuit. Consertoque illico cum illis praelio, nobiliter dimicatum est, sed nobilius triumphatum. Nam in prima congressione belli tanta DEI gratia Christianis occurrit, vt MCC. gentilium inter occisos, et qui se in Danubio merserunt, peremti inueniantur. . Vix tantum vnum de Christianis occisum in apparatu belli inueniunt. In coelo DEO gratias clamantes ferebant, qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate, bene sperantes in se seruasset. Tandem laeti post tantam victoriam* - - (interruptam hic, in editione Muratorii, narrationem Hansizius ita supplet ex alio monumento) (a) *ad socios, vnde*

A. C. 900.

Q 3

(a) *Germ. S. T. I. p.* 180.

A. C. 900. *vnde venerant, egressi sunt, et citissime in idipsum tempus pro tuitione illorum regni validissimam vrbem in litore Anesi fluminis* (Anesiburgum inde dictum) *muro obposuerunt; quo peracto, vnusquisque redierunt ad sua.* Spoliis igitur graues Hungari, postquam in Pannoniam ex Italia rediissent, in interiorem Bauariam arma transferre decreuerunt. Prior enim excursio, de qua contra Marahanos episcopi Boici per litteras apud Ioannem IX. querebantur, *quamquam ad Baioariae partem quoque pertinuerit*, vt optime Cl. Praius obseruat, (a) *ad Pannoniam tamen, quae ab Arrabone ad Comagenum porrigitur, in primis spectabat.* Nec alia de caussa continuator primum hoc malum vocat, quam quod prior excursio tam procul non pertinuerit. Nunc ergo Bauariam vlteriorem petituri, legatos quosdam praemiserunt, qui per speciem pacis, cum Ludouico firmandae, regionem illam aditumque propius explorarent. Aditu reperto, nulla mora fuit, quin Hungari cum vniuersis repente copiis Anasum transmiserint et quicquid inter Danubium et Aenum fluuios interiacet, per 50000. passuum igne ferroque vastauerint. Non defuerunt, qui putarent, Hungaros, priusquam praedam, ex Italia raptam, in tuto collocarent, in Bauariam irrupisse; (b) sed hos aperte refellit

(a) *Ann. vet. P. III.* 339.
[illegible] *lles. An. Aust. P. I. p.* 221.

fellit laudatus continuator, quum ait: *redierunt, vnde venerunt, ad sua in Pannoniam*; vnde patet, eos in Bauariam non ex Italia, sed ex Pannonia, transiuiſſe; patet etiam, eosdem, vt saepius iam innuimus, habitationem in Pannonia iam ante hunc annum defixiſſe; neque de hac, sed Sauia Pannonia, Hermannum Contractum accipiendum eſſe, quum ſcribit: (a) *Vngarii, hoſtes noui - Pannonias depopulatas occupant.*

A. C. 900.

CXV. Idem hic auctor, illatam fuiſſe cladem illi Hungarorum agmini, quod ab aliis longius auulſum, transmiſſo Danubio, partem aquilonarem populabatur, his verbis docet: (b) *Hungari Baioariam ingrediuntur, et plus mille ex eis occiduntur.* De qua chronicon quoque S. Galli teſtimonium ita perhibet: (c) *Norici cum Hungaris pugnauerunt, et partem ex eis occiderunt.* Tot auctores dubitare nos non ſinunt vel de clade, vel de cladis anno; qua quidem maiorem Bauaris illatam fuiſſe, loca ſacra, paſſim in ſolitudinem verſa, teſtantur. Ex his primos Hungarorum impetus Creminafenſe coenobium ad Cremſam fluuium in Auſtria ſuperiore ſitum, excepit, vbi quinquaginta homines ab iis neci datos eſſe, Bernardus Noricus in haec verba tradit:

LX. Quantam viciſſim a Bauaris acceperunt?

(a) *Ad A. C.* 900.
(b) *Apud Vrſtiſ. ad A. C.* 900.
(c) *Ap. Duchesne T. III. ad A. C.* 900.

A. C. 900.

(a) *Et Hunnis ac Vngaris Wawariam depopulantibus, homines necando - et dicunt nostri seniores, se a suis accepisse, quod quinquaginta personae huius loci ab eisdem Vngaris illo tempore fuerint interfectae.* Eadem procella correptum ac in cineres redactum fuisse S. Floriani monasterium ad Anasum, ex diplomate Ludouici regis colligimus, vbi haec verba habentur: (b) *Moerore confectus episcopus* (Pataujensis Richarius) *sui damnum lamentando interpellans, eo quod, saeuiente, proh dolor, paganorum impugnatione, quaedam pars dioecesis suae, vbi S. Floriani martyris monasterium esse dignoscitur, ex improuiso deuastata est.* Ad sarcienda huius depopulationis damna Ludouicus Anasiburgum, cuius in supplemento Fuldensium annalium mentionem supra vidimus, Richario donauit, diplomate signato *XIV. Kal. Februarii* (19. Ianuarii) *anno Domini DCCCCI. Indict. IV. anno vero regni regis Ludewici I.* Hinc intelligimus, Ludouicum 19. Ianuarii superioris anni nondum fuisse regem a Germaniae proceribus electum; secus enim non primum, sed secundum annum regni sui scribere debuisset; adeoque Hungaros sub initium Ianuarii huius anni 900. nondum ex Italia regressos esse; quum post Arnulfi mortem et ante Ludouici huius electionem Hat-

(a) *Ap. Prai. Ann. vet. p.* 340.
(b) *Ap. Hansiz. G. S. T. I. p.* 181.

Hatto, Moguntinus archiepiſcopus, paganis Hungaris inter Romanos et Germanos in Longobardia conſiſtentibus, iter ad pontificem impeditum fuiſſe, ſcribat. Intelligimus etiam, Anaſiburgum iam anno hoc, quem annalium Fuldenſium continuator indicat, exſtructum fuiſſe; quum ſub initium anni ſequentis 901. Ludouicus mentionem eius his verbis faciat: (a) *Deprecans, vt ciuitatem illam, quam fideles noſtri regni, pro tuitione patriae, vnanimiter contra eorumdem Chriſtiani nominis perſequutorum inſidias, nouiter in ripa Onaſi fluminis, in proprio iam dicti Martyris* (Floriani) *partimque in terra praefecturae terminalis, ſtatuentes conſtruxerunt, ad ſupra dictum ſacro - ſanctum locum - - traderemus.* Ex vrbe hac, ad Anaſum fluuium exſtructa, Cl. Praius arguit, (b) *Hungaros non tantum ſuperiorem Pannoniam ad Cetium vsque montem, ſed aliquam itidem Auſtriae inferioris partem, vltra hunc montem ſitam, eodem impetu ſuam feciſſe. - - Alioqui ad Cetium potius montem, qui Pannoniam ſuperiorem claudebat, naturaque ſua munitus eſt, quam ad Anaſum flumen munimentum Baioarii poſituri erant; niſi, quod infra Anaſum eſt, aut ſponte Hungaris reliquiſſent, aut vaſtum reddidiſſent de induſtria, quo aduerſus Hungarorum incurſiones magis tuti redderentur.*

A. C. 900.

Q 5 CXVI.

(a) *Ibid.*
(b) *Diſſ.* X. *p.* 236. 237.

A. C. 900.

LXI. An cum ipſo Ludouico rege manus conſeruerunt ?

CXVI. Cenſet idem Cl. auctor (a) ea, quae Conradus Vrſpergenſis affigit ad A. C. 901. rectius ad priorem referri poſſe, quo Hungari, per L. paſſuum millia diuagati, Francorum terris vaſtitatem intulerunt. Sic autem Vrſpergenſis hanc eorum irruptionem narrat: (b) *Vngari Baioariam vaſtarunt. Sed Ludouicus, gentis ſuae depopulationem non ferens, magno exercitu coacto, iuxta Lichum fluuium cum eis pugnauit, et plus quam mille ex eis interfecit. Quumque pugna vsque ad horam VII. iam protraheretur, et regis victoria aeſtimaretur; Vngari, callidis poſitis ex aduerſo inſidiis, fugam ſimulant, quos dum regis milites, doli ignari, impetu validiſſimo inſequerentur, omni ex parte prodeunt inſidiae; et quaſi victi ipſi victores interimunt. Rex ipſe e victore ſe victum miratur; fitque non opinatus grauior caſus. Vngari vero vt rabiem perfidiae ſuae ſatiarent; Baioariam, Sueuorum, Francorum regna, percurrunt, cunctaque vaſtando incendunt.* Sed iſta Conradum male digeſſiſſe, vel inde patet, quod plus quam mille Hungarorum caedes ab aliis Leopoldo, non Ludouico tribuatur; nec ſit credibile, Ludouicum octennem manus cum hoſte conſeruiſſe. Quicquid igitur hic de Ludouico narratur, referendum eſt ad A. C. 910. quo Ludouicus ille, iam 18. annos

nos

(a) *Ann. Vet. P. III. p.* 341.
(b) *Ad A. C.* 901.

nos natus, cum Hungaris ad Licum, vt videbimus, conflixit. Quare neque de tributo quicquam certi ſtatui poteſt, de quo Mutius ita loquitur: (a) *Imperator vt pacem conſequi poſſet, dedit priuatim hoſtium ducibus magnam pecuniam; publice magnam etiam dedit; maiorem ſe daturum promiſit; annuum quoque tributum hoſtibus pollicitus eſt; aegreque inducti ſunt, vt redirent domum.* Id totum rectius affigitur ad A. C. 910. cuius anni victoriam, de Bauaris relatam, ita Luitprandus concludit: (b) *Factusque eſt per nonnullos annus populus hic tributarius.* Sigeberti Gemblacenſis auctoritas, qui, narrata Hungarorum de Ludouico victoria, haec ſubiicit: (c) *Hungari ſuperioris anni victoria elati, regnum Ludouici ſub tributo redigunt*, tanta non eſt, vt ex eius chronologia, quam peſſime luxatam omnes agnoſcunt, res iſta definiri poſſit. A. C. 900.

A. C. 901. *Arp.* 13. *Indict.* 4.

CXVII. Quum Marahani, clade ſuperioris anni ſubacti, pacem cum Ludouico Ratisbonae componunt; Hungari, poſtquam a Bauaris nouam ad Anaſum fluuium vrbem aduerſum ſe communitam audiuerunt, aliam ſpoliorum aream ſibi deſignarunt, LXII. Quid in Carentania geſſerunt?

(a) *Germ. chr. L. XII. p.* 90.
(b) *Libr. II. Cap. II.*
(c) *Ad A. C.* 905.

A. C. 901. runt, ac in Carinthiam irruperunt. *Anno DCCCCI.* scribit continuator annalium Fuldensium (a) *generale placitum Ratisbona ciuitate habitum est. Ibi inter alia missi Morauorum, pacem optantes, peruenerunt; quod mox, vt petierunt, complacuit et iuramento firmatum est. - Interdum vero Vngari australem plagam regni illorum, Carantanum deuastando, inuaserunt.* Hic quidem auctor euentum belli reticet; alii tamen victos fuisse Hungaros perhibent. Nam ad eumdem annum Hermannus Contractus ita scribit: (b) *Hungari Carentaniam inuadunt, et in sabbatho commissa pugna occiduntur.* Chronicon S. Pantaleonis et annalista Saxo totidem fere verbis eamdem irruptionem ita referunt: (c) *Vngari Charentaniam inuadunt, et commisso in sabbato paschae praelio, occiduntur.* Sed procursionem illam figunt ad sequentem annum, quo tamen alia Hungaros egisse legimus. Hanc fortassis etiam expeditionem Turotzius intellexit, quum ita scripsit: (d) *Post haec Carinthiam hostiliter adeuntes, vltra castrum Leopach* (forte Labacum) *dux Morauiae* (MS. melius habet Meraniae) *Gottfridus nominatus, et dux Carinthiae, Eberhardus* (Chron. Bud. Bernardus) *nec*

non

(a) *Ap. Hansiz. G. S. T. I. p.* 180.
(b) *Ap. Prai. annl. vet. p.* 340.
(c) *Ap. Callef. An. A. T. I. p.* 225.
(d) *Chr. P. II. Cap.* XXIII.

non Gregorius Aquilegiae patriarcha, ipsis occurrentes, insimul atrociter pugnauerunt. Et quamuis ex Hungaris plures ibi cecidissent; tamen ambos duces Hungari occiderunt; patriarcha tantum per fugam euadente. Abinde spoliata Carinthia, Carniolia et Stiria, cum maxima praeda sunt reuersi. Fatetur igitur Turotzius, Hungaros aliquam in Carentanica procursione cladem accepisse; quia tamen duos hostium duces interfecerunt; tertium in fugam egerunt; victoriam et victoriae fructus illis attribuit. Et haec fortasse caussa fuit; cur Fuldensium continuator euentum belli reticuerit; alii caedis quidem Hungarorum, quam ne Turotzius quidem negat, meminerint; vtra tamen a parte victoria steterit, silentio praetereant. Videtur autem Turotzius nomina ducum corrupisse; nam praeterquam quod Eberhardi loco Bernardus in chronico Budensi legatur; inter patriarchas Aquileienses nusquam Gregorius inuenitur. Hanc dignitatem Leo gessit ab A. C. ad 897. 909. vt Cl. Praius ex Assemano tradit. (a) Alibi tamen Fridericum patriarcham Aquileiensem creatum scribit post A. C. 901. (b) Post hunc sane non video, quomodo Hungarorum gens e Seruia fuerit egressa Pannoniamque Sauiam ingressa, quod tamen sub Friderico patriarcha A. C. 901.

(a) *Ann. vet. p.* 350.
(b) *Diss. X. p.* 235.

A. C. 901. archa factum, ex Aquileiensi chronico nuper vidimus. (a) Si vero patriarchatum Friderici cum Assemano retrahamus ante Leonem; tunc id fieri potuit, quum, Anonymo teste, (b) Lehelius, Bultsus, Botondus, Arpadi duces, per Rasciam et Croatiam progressi, Sauum transmiserunt, sub A. C. 894. Ceterum patriarcham Aquileiensem, quocumque demum nomine vocatus is fuerit, ab Hungaris in fugam actum esse, Dandulus itidem affirmat, ex quo videtur Anonymus Turotzianus ipsos etiam errores adsciuisse, non tamen vicissim, quum Dandulus obierit A. C. 1354. Anonymus autem Turotzianus quadriennio post sua chronica compilare coeperit, scilicet A. C. 1358. Licet autem Dandulus in Croatiam; Turotzius in Carinthiam Hungaros irrupisse narrent; eamdem tamen irruptionem vtrumque describere patet ex aliis adiunctis, quae Dandulus ita proponit: (c) *Hungari, hoc tempore Pannoniam egressi, Morauiam et Bohemiam inuadentes spoliauerunt, interfecto eorum duce* (forte Zoborium, aut Marothum, de quibus alias egimus, intelligit) *Postea Croatiam inuadunt. Vltra castrum Leopoli* (Turotz. Leopach) *Morauiae dux Gottifredus, duxque Hardus* (Turotz. Eberhardus) *cum Aquilegiense patri-*

(a) *Num.* 83.
(b) *Capp. XLII. XLIII.*
(c) *L.* 8. *C.* 10. *P. X.*

triarcha illis occurrunt. In eo praelio vterque dux occiditur; patriarcha vero fuga saluatus est. Exinde spoliata Croatia et Stiria, cum maxima praeda in Pannoniam redeunt, et postea Bulgariam spoliant. Perturbate, more suo, Dandulus haec et quidem ad tempora ducis Vrsi Particiaci refert, qui praefuit ab A. C. 912. ad 932. sed quia hos inter annos nullius Hungarorum in Carinthiam, vel Croatiam excursionis alii scriptores meminerunt; eamdem hic Dandulus, quam laudati chronistae, videtur intelligere. Constat alioqui, Dandulum ad statuendam chronologiam idoneum testem non esse. A. C. 901.

A. C. 902. *Arp.* 14. *Indict.* 5.

CXVIII. Non minoribus tenebris inuoluta sunt, quae scriptores ad hunc annum referunt. Ex iis Hermannus Contractus ita loquitur: (a) *Hungari a Mariis occiduntur*; vel, vt alia scriptoris eiusdem editio, sed ad annum superiorem, habet: *Vngarii Marahenses petunt, pugnaque victi, terga vertunt.* Videntur igitur Hungari, Marahanensibus offensi, quod anno superiori pacem cum Bauaris pepigerint, impetum in eos vertisse; videntur etiam Bauari suis foederatis auxilium aduersus Hungaros tulisse, quum Hepidanus monachus in chronico

LXIII. Quid iterum negocii cum Maraharis habuerunt?

(a) *Ap. Call. An. Au. P. I. p.* 228.

A. C. 902.

nico haec perhibeat: (a) *Agareni* (sic ille Hungaros vocat) *a Baioariis ad prandium* (alii rectius legunt *ad praeliandum*) *vocati, vbi rex eorum Chussol occisus est, et alii quam plurimi cum eo.* Bene Cl. Praius non Chussolem, sed Cusanem, vel vt Anonymus Graecique scribunt, Curzanem, accipiendum hoc loco putat, eumque non recte regem appellari probat. (b) Auentinus, quum de primo Hungarorum cum Morauis bello scriberet, Cusalam; (c) hic vero Cussolem; (d) vtrobique regem Vgrorum eumdem vocat. Sed ibi per Cusalam rectius Cadusam; hic per Cussolem melius Cursanem intelligimus, quorum tamen neuter rex, sed tantum supremus copiarum dux erat. Certe patrii scriptores nec Arpado quidem regis, sed tantum ducis titulum adscribunt; exteri vero hos etiam, quia pleno iure ductores copiarum agebant, reges appellare consueuerunt. Ante hunc annum Arpadi mortem euenisse, Cl. Praius existimat, (e) *quod Graeci scriptores illius deinceps nuspiam mentionem faciant; Francici contra annales Cussalis fere antea meminerint.* Atqui Graeci scriptores Arpadi post bellum, cum Bulgaris gestum, non amplius meminerunt; Auentinus autem Cusalae iam in bel-

(a) *Ibid. Ad A.* C. 902.
(b) *Ann. vet. p.* 343.
(c) *Lib. IV. ad A.* C. 892.
(d) *Ibid. Ad A.* C. 902.
(e) *Ann. vet. p.* 343.

bello Marahanico mentionem iniicit. Si proinde mors Arpadi defigi debeat ad eum annum, quo non iam eius, sed Cusalis mentio habetur, ea decem ab hinc annis euenisset. Bellum enim Bulgaricum Cl. auctor figit ad A. C. 891. Marahanicum autem ad A. C. 892. (a) Nos igitur Arpadi mortem in aliorum silentio cum Anonymo differimus ad A. C. 907. A. C. 903.

A. C. 903. *Arpadi* 15. *Indict.* 6.

CXIX. Nihil apud exteros scriptores, quod Hungari hoc anno gessissent, connotatum reperio. Bellum enim Italicum, quod Cl. Praius anno superiore coeptum, ad huius anni partem protractum fuisse, suspicabatur, (b) alibi non rite huc a se relatum, ingenue fatetur. (c) Luitprandus quidem eo capite, quo Ludouicum, Bosonis filium, oculis orbatum fuisse scribit, Hungarorum in Italiam irruptionem attingit; (d) sed eodem anno rem utramque contigisse, non asserit. Nec ex ordine rerum, ab illo narratarum, alicuius roboris argumentum sumi posse, vel inde colligitur, quod ante Ludouicum oculis orbatum, quam rem aliqui figunt ad A. C. 902. Hungaros ad Meresburgum ab Henrico

LXIV. Vtrum anno 903. nouum Italis bellum intulerunt?

R rico

(a) *Diss.* X. *p.* 233. 234.
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 345.
(c) *Diss.* X. *p.* 238.
(d) *Libr. II. C. II.*

A. C. 903. rico victos narret, (a) quod multo serius euenisse, certum est; quum Henricus Auceps regnare coeperit A. C. 919. Quum igitur Hungari primum in Bauaria, tum in Carentania, demum in Marahania cladem aliquam postremis his annis passi sint; videntur arma contra hostes alios debiliores vertisse eaque gessisse, quae Belae notarius de Menumoroto, post Zoltanum natum subacto, narrat. (b) Nam a Zoltani natiuitate, quam nos collocauimus ad A. C. 897. aliis versus occidentales plagas bellis Hungari distinebantur; quo temporis interuallo Menumorout, dux Bihariensis, decem abhinc annis ab Hungarorum exercitu fugatus, magnaque ditionum parte versus Samusium fluuium multatus, sensim conualescebat. Hoc igitur ad ictum iam destinato, dux Arpad et proceres communi consilio copiis eosdem, Vsubum et Velecum, quibus primam ad illum legationem ante decennium demandauerant, praefecerunt. Postquam isti fluuium Tibiscum transmisissent; *omnes Siculi*, verba sunt Anonymi, *qui primo erant populi Atylae regis, audita fama Vsubu, obuiam pacifici venerunt, et sua sponte filios suos cum diuersis muneribus in obsides dederunt, et ante exercitum Vsubuu in prima acie contra Menumorout pugnaturi coeperunt.* Priusquam euentum ex-

(a) *Libr. II. C. IX.*
(b) *Capp. L. LI.*

expeditionis huius ex Anonymo referamus; de his Siculis, qui sociam Hungaris operam contra Menumorotum iunxerunt, aliqua praemittenda videntur.

A. C. 903.

LXV. Quae Siculorum origo, qui contra Menumorotum auxilio Hungaris venerunt?

CXX. De Siculorum origine Turotzius ita commentatur: (a) *Hi Siculi Hunnorum, prima fronte in Pannoniam intrantium, etiam hac nostra tempestate residui esse, dubitantur per neminem.* Constantem hanc Hungarorum traditionem etiam Anonymus verbis supra laudatis insinuat; quae, licet a plerisque iam in dubium vocetur, mihi tamen non videtur uno quasi halitu difflari posse. Verum est, Turotzium iis adiunctis hanc narrationem vestire, quae fabulam redoleant. *Ridiculum enim illud est*, ut sapienter Cl. Praius obseruat, (b) *eam Hunnorum partem, quum in Transsiluaniam delata esset, metu hostium, ne pro Hunnis agnoscerentur, Siculos se appellasse; quasi vero mutato nomini tantum momenti inesset, vt Gepidis, qui Daciam tum habebant, quine paullum ante cum iis praelio conflixerint, quiduis aliud, quam Hunni, quos sermo, viuendi norma et amictus ab aliis discreuerat, viderentur* Sed enim ista tantum ostendunt, Siculorum origini fabulosa quaedam adiuncta Turotzium admiscuisse; non item eorum opinionem euertunt, qui po-

R 2 pu-

(a) *Chr. P. I. Cap. XXIV.*
(b) *Ann. vet. P. I. p. 179.*

A. C. 903. pulum iſtum ex Attilanis reliquiis ortum, ex conſtanti Hungarorum traditione, docent. Reſectis igitur Turotzianis coniecturis de Siculorum appellatione, quid vetat ipſum originem recipere? Sed Cl. Praio credibile non videtur *exiguum hunc numerum* (3000. virorum) *quum ceteri Hunni, diuulſo in partes Attilano imperio, ad Boryſthenem regnum ſibi ſub Dengizichio* (mallem Irnacho) *conſtituerent, ab reliquo Hunnorum corpore ſe abſtraxiſſe, vt ſponte Gepidarum, qui Hunnorum prius ſerui erant, imperio ſe ſubiicerent.* Verum, ſi, teſte Iornande, (a) *quidam ex Hunnis* (Attilanis) *in parte Illyrici ad caſtrum Martenam ſedes ſibi datas coluere;* neque reliquum Hunnorum corpus ad Boryſthenem ſequi voluere; ſi *Emedzur et Vltzindur, conſanguinei eius* (Irnachi) *in Dacia Ripenſi, Vto Aliuoque potiti ſunt; multique Hunnorum proruentes tunc ſe in Romaniam dederunt,* (b) Romanisque, quos antea tributarios habebant, obnoxii vixerunt; cur idem de Siculis Turotzianis credi non poſſit, non video. Diſtinguit autem Iornandes Hunnos, qui Romaniam petierunt, ab iis, quos in Dacia Ripenſi conſediſſe ſcribit, qua quidem Aurelianam proprie ſumendam eſſe, conſtat; at non ſatis liquet, num Iornandes, non optimus geographus, Traiani Da-

(a) *De reb. Get. C.* 50.
(b) *Id. ibid.*

A. C. 903.

Daciam non intelligat; an non per Vtum Alutam fluuium accipiat. Si hoc est; easdem omnino his Hunnis sedes, quas Turotzius Siculis, assignat. Quo vero pauciores erant, eo minus metuendi Gepidis ab iisque facilius tolerari poterant. His autem emotis, Auares post vnum seculum in easdem sedes successerunt, sub quorum dominatu per duo secula Siculi nostri tutius, quam sub Gepidis, eamdem plagam incolere poterant, quod Auares itidem Hunnico genere prognati fuissent. Neque bellum, quo Carolus M. Auares sub exitum seculi VIII. subegit, vltra Tibiscum pertinuit; neque Siculos alius aliquis hostis, de quo nobis constet, ante Hungarorum aduentum sedibus illis emouit. Non igitur mihi difficile creditu, quod Timoni visum erat, (a) hos, *vtpote non multos et exiguis finibus constrictos inter incursiones variarum gentium in statione permanere quiuisse.* Nec enim tot gentium incursiones, quot ille sibi fingit, in Daciae hac parte post Attilae mortem erant. Nam praeter Gepidas et Auares iis plagis alios ante seculum IX. potitos non legimus. Quae Cl. Praius alio loco pro Patzinacitis, ex quibus tam Cumanos, quam Siculos ortos tradit, adfert, (b) nondum mihi persuadent, Siculos Attilanas reliquias non esse. Non nego,

(a) *Add. ad im. Hung. p. m.* 4.
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 388.

A. C. 903.

manfiſſe Patzinacitas in Moldauia, quoad a Tartaris illinc exigerentur ſub A. C. 1240. ac poſt illorum reditum, *partem Cumanorum in eorum poteſtatem, partem in Hungarorum arbitrium conceſſiſſe*. Largior etiam, *hac occaſione bonam Cumanorum partem in finitimam Tranſſiluaniam abiiſſe montanis plagis ad Alutae Maruſiique fontem occupatis, eam ditionem aduerſus hoſtes tuendam ſuſcepiſſe;* ſed hinc eueniſſe, quod Timon detexit, (a) *ut veteribus Hungaris Szekelyi dicerentur; - - ex quo noſtri poſtea ſcriptores Siculos in Latium detorſerint* (b) perſuadere mihi non poſſum.

LXVI. Vnde hi Székelyiorum appellationem acceperunt?

CXXI. Nam, ſi, fatente Cl. Praio, iam ante Tartarorum irruptionem Andreas II. in diplomate, Saxonibus Tranſſiluanicis dato, Siculorum diſſerte meminit A. C. 1224. (c) eorum quidem appellatio vetuſtior eſſe debet, quam, quum Tranſſiluaniae limites cuſtodiendos, ne Tartari rurſum illac irrumperent, ſuſcepiſſent; et quod hinc conſequitur, hi Siculi, vnde vnde ſic appellentur, ante Tartarorum irruptionem iam Tranſſiluaniam incoluerunt, et a Cumanis, ſiqui poſt Tartarorum abitum in finitimam Tranſſiluaniam abierunt, et montanas plagas aduerſus hoſtes tuendos ſuſ-

(a) *Im. nou. Hung. C. X.*
(b) *Prai. ann. vet. p.* 388.
(c) *Prai. ann. reg. P. I. p.* 227.

susceperunt, distinguebantur. Quare mihi quidem eorum opinio, qui, teste Timone, (a) *Siculos appellatos ex composito vocabulo Hungarico Szek-hely putant*, quod sedis, vel iudicii locum significat, magis arridet; vnde tot hodieque nomina Siculis vsitata suum etymon voci *hely* debent, vt *Vásár-hely*, *Vdvár-hely*. Quod vero subinde limitum custodes Siculi dicti fuerint, vt apparet ex diplomate Belae IV. quod Cl. Praius producit, (b) non sequitur, eamdem vbique gentem pro custodia limitum adhibitam fuisse; sed tantum nomen illius populi, qui praecipuum munus in custodiendis Transsiluaniae limitibus habebat, cum aliis quoque populis, a quibus alii limites custodiebantur, communicatum esse. Sic olim proprium Caesaris et Augusti nomen, ad successores eiusdem dignitatis et muneris propagatum, appellatiuum et commune pluribus euasit. Sic gentile Ruthenorum nomen, quod *Orosz* patria lingua nunc exprimimus, veteres autem abraso s. *Oroz*, ut *Zent* pro *Szent*, scribebant; subinde non tantum Ruthenis satellitibus, sed aliis quoque ianuarum custodibus applicabatur propterea, quod id munus Rutheni potissimum olim obiuerint; vt patet ex libro rationum regiarum Ludouici II. ex quo haec inter cetera Cl. A. C. 903.

(a) *Im. nou. Hung.* C. X.
(b) *Diss. VI. p.* 123.

A. C. 903.

Praius depromit: (c) *Eodem die Ruthenis suae maiestatis, qui tentoria suae maiestatis, in sepultura Iudaeorum distensa, dies et noctes custodiunt, ad vsum ipsorum dati sunt per duos floreni sex.* Sicut igitur géntile Ruthenorum nomen aliis etiam ianuarum custodibus, ita gentile Siculorum nomen aliis limitum custodibus commune serius euasit.

LXVII. Quomodo Hungari, Siculis iuncti, Menumorotum subegerunt

CXXII. Horum Siculorum accessione firmatus exercitus, quem Arpadus contra Menumorotum ire iusserat, magnis animis castro Bihar appropinquabat. (b) Menumorotus, aduentu Hungarorum territus, militibus in castro relictis, ipse cum vxore filiaque sua fugam arripuit ac in siluis Igfaniis delitescere constituit. Interea Hungari, post leuiores cum hostibus velitationes, duodenis diebus continuatas, fossis, quibus castrum praemuniebatur, repletis, iam scalas moenibus applicare volebant, quum praesidiarii, nudatis pedibus egressi, se cum arce dediderunt. Id vbi Menumorotus e suis, fuga dispersis, intellexisset, nunciis ad Vsubum et Velecum missis, oblatisque muneribus amplissimis, eos rogauit, vt sibi legatos ad Arpadum mittere liceret, per quos ei quidem regnum, eius autem filio Zoltano filiam suam in con-

(a) *Diss. VII. p. 132.*
(b) *Anon. Cap. LI.*

connubium offerret. Duces, laudato Menumoroti consilio, facile precibus eius adnuerunt suosque nuncios eius ad Arpadum legatis adiunxerunt. A. C. 904.

A. C. 904. Arp. 16. Indict. 7.

CXXIII. Agebat tunc Arpadus in insula Tsepel, quo quum legati peruenissent mandataque sui ducis exposuissent; pronis auribus et animis auditi sunt. Statim Arpadus, vt Menumoroti filiam eiusdem aetatis esse cum Zoltano, filio suo, comperit, per legatos ducibus suis demandauit, vt eam in vxorem Zoltano futuram (vix enim adhuc octennis erat) acciperent; filios tamen incolarum, ne pacta mutari possint, obsides abducerent; duci vero Menumoroto castrum Bihar in pace colendum dimitterent.' Ad eumdem hunc annum Sigebertus Gemblacensis scribit: *Ludouicus rex, conserto cum Hungaris praelio, miserabiliter vincitur.* Sed hoc quadriennio retrahendum et de Ludouici potius ducibus, quam ipso Ludouico, accipendum esse, iam alias docuimus.

LXVII. Sub quibus conditionibus Arpadus ei pacem concessit?

A. C. 905. Arp. 17. Indict. 8.

CXXIV. Rursus male Sigebertus ad hunc annum notat: *Hungari, superioris anni victoria elati, regnum Ludouici sub tributo redigunt.* Id enim post obitum Arpadi factum postea videbimus. Hic, antequam de-

LXIX. Quem successorem destinauit?

A. C. 906. deccederet, accepta sponsa, Zoltano filio maiorem et honorem et securitatem conciliaturus, fidei sacramentum a proceribus et militibus exegit eumque successorem suum designauit. (a) Nec multo post Menumorotus, rebus humanis exemtus, quia nullum filium habebat, ex pactis nuper initis, amplissimam hereditatem Zoltano, genero suo, reliquit.

A. C. 906. Arp. 18. Indict. 9.

LXX. Quomodo postremam in Saxoniam expeditionem adornauit?

CXXV. Quum iterum Sigebertus hoc anno Graecos ab Hungaris tributarios factos scribit, quod alii tantae rei non meminerint, audiendus non videtur; sed neque Dandulus, in chronologia perinde parum exactus, quum Italicum bellum ad hunc annum figit, quod nos iam alias retrahendum innuimus ad A. C. 900. Id certius est, quod Lambertus Schaffnaburgensis ad hunc annum ita notat: *Vngari vastauerunt Saxoniam.* Sed quum inde spoliis diuites per eam Morauiae partem, quam nondum subiugauerant, ad suos redirent; eodem teste plures ex iis *a Morauis occiduntur.* (b)

A. C. 907. Arp. 19. Indict. 10.

LXXI. Quando diem supremum obiit?

CXXVI. Arpadus, cuius auspiciis Hungari dominationem in his terris firmauerant ar-

(a) *Anon. Cap. LII.*
(b) *Ap. Prai. ann. vet. p.* 345.

armorumque, terrorem latissime sparserant, optime de tota gente meritus, ex hac vita demigrauit. *Post haec*, ait Anonymus, (a) *anno dominicae incarnationis DCCCCVII. dux Arpad migrauit de hoc seculo, qui honorifice sepultus est supra caput vnius parui fluminis, qui descendit per alueum lapideum in ciuitatem Attylae regis; vbi etiam post conuersionem Hungarorum aedificata est ecclesia, quae vocatur Alba, sub honore beatae MARIAE virginis.* Inchoffer ad A. C. 803. et ex eo Ladislaus Turotzius ac Mathias Belius aiunt, hoc loco primam omnium in hac regione sacram aedem in honorem DEI genitricis excitatam fuisse; de qua, monumentis veterum destitutus, nihil, quod affirmem, habeo. Arpadi mortem Cl. Praius defigit ante A. C. 902. (b) Sed quia hanc eius coniecturam, e silentio Graecorum scriptorum et Cussalis in Francicis annalibus mentione petitam, iam illic ostendimus nimium probare; secundum eiusdem regulam, quaestioni huic praemissam, *non video, cur* Anonymi, domestici scriptoris, *auctoritas in aliorum silentio non valeat.* Anonymus hic nuptias Vgeki, patris Almi, collocat ad A. C. 819. Almus igitur, etiamsi mox anno sequenti natus fuisset, vix Arpadum suscepisset ante A. C. 835. nondum ergo septua-

A. C. 907.

ptua-

(a) *Cap. LII.*
(b) *Ann. vet. P. III. p.* 343.

A. C. 907. ptuagenarius fuiſſet A. C. 902. ante quem, ceu ſeptuagenario maiorem, mortuum eſſe Cl. auctor Arpadum ſtatuit. Sed fuerit maior et adultior, num ideo deſerendus eſt Anonymus, poſtquam conſtat, multos etiam vltra hanc aetatem vitam ſuam produxiſſe? Nihil igitur nos cogit ad immutandam hic Anonymi chronologiam.

§. III.

ZOLTANVS, DVX III.

Coepit A. C. 907. deſiit A. C. 947.

A. C. 907. Zolt. 1. Indict. 10.

CXXVII.

I. Quot annos Zoltanus, quum praeeſſe coepit, habuit?

Zoltanum Arpadi filium fuiſſe, non tantum Anonymus, cum ceteris ſcriptoribus patriis, ſed etiam Porphyrogenitus perhibet, quum ita loquitur: (a) *Sciendum vero, Arpadum, magnum Turciae principem, filios genuiſſe quatuor; quorum primus Tarcatzus, ſecundus Ielech, tertius Iutotzas, quartus Zaltas*, vel potius Zultas; Zultam enim eum Anonymus vocat; filiumque Tocſun, quem Porphyrogenitus Taxim appellat, illi tribuit. Nullius, praeterquam Zoltani, ſcriptores patrii meminerunt; quod ad hunc

(a) *De adm. imp.* C. 40.

hunc folum, ceteris praemortuis, fupremus gentis principatus ab Arpado transmiffus fuerit. Zoltanum porro natum Anonymus fcribit, (a) poft vaftatam et occupatam ab Hungaris Pannoniae partem; quod quia verofimiliter oftendimus, altero poft Suatoplugi mortem anno contigiffe, Zoltanus in lucem editus fuerit vel ipfo A. C. 896. quo Pannonia primum ab Hungaris vaftata fuit, vel fequenti, quo dux Arpadus infulam Tsepel repetiit. Cl. Hellius in genealogia primorum Hungaricae ducum Zoltani natiuitatem affigit ad A. C. 894. (b) ea, credo, de cauffa, quod ab Anonymo videatur innui, Zoltanum annos 13. natum fuiffe, quum Arpado patri fucceffiffet A. C. 907. a quo fubducti anni 13. fiftunt nos in A. C. 894. Sed enim nullis monumentis doceri poteft, hoc anno Hungaros in Pannoniam penetraffe; nec Anonymus ait, Zoltanum ftatim, atque patri fucceffit, 13. annos aetatis habuiffe, fed *transactis quibusdam temporibus.* (c) Tempus nempe hic defignat, non quo Zoltanus patri fucceffit; fed quo Hungariae proceres, experti iam antea, tenellam fui Principis aetatem a vicinis hoftibus contemni, nec milites in difciplina debita poffe conferuari, confilium iniuerunt, *quos-* A. C. 907.

dam

(a) *Cap. L.*
(b) *Adium. mem. p.* 243.
(c) *Cap. LIII.*

A. C. 907. *dam rectores regni sub duce praeficiendi*; de quibus ex Porphyrogenito suo loco dicemus. Zoltanum interim, quum Hungaris a morte patris sui praeesse coepisset, non plurium, quam vndecim annorum fuisse, statuimus.

II. An supremo iure defuncto patri successit?

CXXVIII. Arpado defuncto, regimen Monarchicum, quod primum sub Arpado coepit, commutatum et in plures diuisum, Cl. Praius in annalibus veteribus opinabatur, (a) Stiltingum sequutus, qui militarem rem et Politicam apud Hungaros ita fuisse diuisam ab Arpadi morte censebat, vt militaris penes Arpadi posteros, politica penes Gylam et Carchan, veluti iudices, resideret. (b) Sed licet illic errorem Anonymo, quum, Zoltanum Arpado patri successisse scribit, obrepsisse dicat; re tamen melius discussa, tam in vita S. Stephani, (c) quam in dissertationibus, (d) Zoltanum Arpadi successorem agnoscit. Nam, praeterquam quod Anonymus id disserte his verbis affirmet: (e) *Et successit ei filius suus Zulta*; Porphyrogenitus etiam non obscure hoc idem asserit, quum ait: (f) *Ante hunc Arpadum Turcae principem*

(a) *P. III. L. I. p.* 344.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 469.
(c) P. 118.
(d) P. 233.
(e) *Cap. LIII.*
(f) *De adm. imp.* C. *XXXVIII.*

cipem alium nullum vmquam habuerunt, ex cuius etiam posteris ad hunc vsque diem princeps Turciae constituitur. Item alibi: (a) *Habent autem primum ducem exercitus principem e prosapia Arpadae.* Scripsit haec Constantinus, vt iam alias innuimus sub A. C. 950. ad quem quia Turciae principem ex Arpadi posteris constitui solitum fuisse testatur; apparet, etiam Arpado mortuo, non alium, quam eius aut filium, aut nepotem aliquem ab Hungaris suffectum fuisse. Licet igitur Zoltanum ei successisse, clare non dicat; quia tamen eum Anonymus disserte nominat; si hunc supremum fuisse gentis principem a morte patris agnoscamus, Porphyrogenito prorsus non aduersabimur. Nam ille Constantini locus, quo se Stiltingumque Cl. Praius in errorem inductum scribit, ne Constantinus secum ipso pugnare videatur, aliter exponendus est. *Octo vero hae Turcorum gentes*, inquit ille, (a) *principibus suis subiectae non sunt, sed singulae pro fluminibus, quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt, quamcumque partem bello infestari contigerit, ei communiter omni studio et cura suppetias ferre.* Locum quidem hunc electionem Arpadi praecedere Cl. Praius existimat; (b) sed, quia hoc alibi reiecimus, et statum illum, quem Hun-

A. C. 907.

(a) *De adm. imp. Cap.* 40.
(b) *Diss. X. p.* 233.

A. C. 907.

Hungari, Constantini tempore, habebant, indicari docuimus; (a) videtur potius dicendum, electo iam Arpado, boebodorum potestatem imminutam esse; nam penitus antiquatam fuisse dignitatem eorum, vt Cl. Praius vult, (b) dicere non patitur illa Porphyrogeniti sententia, quam paullo post ita subiicit: *Et habet vnaquaeque gens peculiarem principem.* Neque nomen ipsum boebodorum statim abolitum fuisse, rursus ex illo Constantini loco colligimus: (c) *Qui nomine quidem Lebedias appellabatur; dignitate vero, quemadmodum reliqui eius successores, boebodus vocabatur.* Si Lebediae successores boebodi vocabantur; post Arpadum electum neque nomen boebodorum abolitum, neque dignitatem, penitus antiquatam fuisse, sed potestatem tantum ita restrictam dicere possumus, vt singulae quidem gentes suos principes, seu boebodos, habuerint; hi tamen arbitrio supremi principis Arpadi, tum etiam eius posterorum, obnoxii fuerint. Nec enim eadem sententia plus exigit, prout eam Cl. Praius ad verbum reddidit: (d) *Octo autem generationes Turcorum hae ad domesticos principes non subaudiunt.* Domestici hi principes iidem, quos Porphyrogenitus voce

ce

(a) *Num.* 65.
(b) *Diss. de S. dextr. p.* 118.
(c) *De adm. imp. C.* 38.
(d) *Diss. V. p.* 96.

a Russica boebodos appellat, fuerint, singulis tribubus ita praefecti, vt aequalem antea potestatem singuli habuerint, deinde tamen imminutam et Arpado subiectam. Quare sicut post electionem Arpadi boebodos statim fuisse sublatos, ita iudices nouos, Gylan et Carchan, iis statim esse suffectos, ex Constantino doceri non potest; quumque hoc factum Anonymus ob teneram Zoltani aetatem innuat, ad huius principatum eorum institutionem referendam esse censemus. A. C. 907.

CXXIX. Ludouicus, Germaniae rex, postquam Arpadum rebus humanis exemtum audiuit, eius metu solutus, contemta pueri ducis aetatula, bellum Hungaris inferre constituit. Vrebat scilicet illum iactura Pannoniae; meritoque timebat, ne, si hostem adeo vicinum multisque sub Arpado victoriis clarum in damna sua porro crescere sineret, breui post non tantum Austria, sed etiam Bauaria ceterisque prouinciis exueretur. Quia hoc belli consilium pronis omnium ordinum animis acceptum est, habito delectu, non tantum proceres, sed etiam antistites certatim ad S. Florianum confluxerunt, vbi Ludouicum cum suis XV. Cal. Iulii (17. Iunii) constitisse, diploma, Burchardo, Passauiensium episcopo, datum eodem die, testatur. (a) Apparet igitur, bellum hoc illatum Hun-

III. Qua fortuna Hungari cum Bauaris conflixerunt?

(a) *Ap. Hund. T. I. p. 199.*

A. C. 907. Hungaris fuiſſe poſt medium Iunii; ſed, an praelium V. idus (9.) Auguſti ſit commiſſum, vt Auentinus vult, eius ludicra fides ſuſpectum redderet, niſi caeſorum ab Hungarorum indicem ita referret, vt narrationem hanc non e ſuo cerebro procudiſſe, ſed e ſinceris fontibus hauſiſſe videatur. Is ergo, copiis trifariam diuiſis, ait, (a) Ludouicum Anaſiburgi ſubſtitiſſe; Luitpoldum, Auſtriaci limitis ducem, aquilonari; meridionali vero Danubii ripa Theodomarum, Salisburgenſem archiepiſcopum, cum epiſcopis et monachorum antiſtitibus Vratislauiam vſque proceſſiſſe. Per hanc Vratislauiam, non vrbem Sileſiae, quae procul a Danubio diſtat, intelligi, clarum eſt. Forte, quia haec Germanis Breslau, Poſonium vero Presburg dicitur, ſicut Breslau cum Presburg confudit, ita Vratislauiam pro Poſonio poſuit. Tertiam exercitus partem Sigardus, Senonum princeps, per Danubium nauibus promouit, vt omni parte impetiti Hungari facilius opprimerentur. Sed hi quoque, licet dolorem, ex Arpadi morte hauſtum, vix digeſſerint, pro ſalute ſua mox arma corripiunt: aliquot equites ad laceſſendas Bauarorum legiones praemittunt: mox ceteri conſequuti, agmen epiſcoporum, velut aciem perrupturi, pernicibus equis impetunt: ingentem ſagittarum imbrem infundunt: Boios

(a) *Libr. IV. p. 480.*

ibus ſpiculis, quae corneis arcubus eiaculabantur, obruunt rurſusque cedunt. Libet cetera, quoniam Hungarorum pugnandi morem, ab aliis quoque ſcriptoribus eodem ſenſu deſcriptum, exhibent, Auentini verbis reddere. *Rurſus*, inquit, *quum procul abeſſe credebantur, aderant; eadem velocitate et ſequebantur, et fugiebant: dum te viciſſe putares, in diſcrimine maximo eras. Eminus ſagitta Vgri inimicos petebant; nec enim aperto Marte, pedeſtri praelio, acie congredi, enſe cominus pugnare, vrbes obſidere, oppida oppugnare, caſtella expugnare tum nouerant; ſed nunc cedendo, nunc vrgendo, inſidiiſque dimicare ſoliti erant. Et tantus in illis dolus, tanta velocitas, tanta peritia militiae inerat, vt abſentes, an praeſentes, fugitantes, an inſtantes; pacem ſimulantes, an bellum gerentes, pernicioſiores eſſent, in incerto haberetur. Dum igitur vaſto impetu aduolant, rurſus verſo equo inſtant, vtroque modo ſpicula ſpargunt, tela ingerunt, vndique Boios feſſos inuadunt, ſuperant, ſternunt, caedunt V. idus Auguſti; noctuque clamculum Danubium tranant: Luitpoldum, legatum Ludouici, Eyſengrinum, epularum magiſtrum, cum omnibus copiis, cum XV. dynaſtis, in caſtris trucidant. Poſtridie, hoc eſt, III. id. Aug. eos, qui ad naues erant, facile, absque labore, metu perterritos ſimili ſtrage adficiunt. Tres dies continenter, irato coelo, pugnatum: maxima pars nobilitatis Boiariae periit: vulgus promiſcuum ſine numero occiſum.* Initium hoc

A. C. 907.

A. C. 907.

fuit malorum, quae longa ſerie Hungari ſub Zoltano deinceps Germanis intulerunt. De die certaminis iccirco Calleſius dubitat, (a) quod Auentinus Vtonem, epiſcopum Friſingenſem, V. id. Auguſti caeſum eſſe ſcribat, quem catalogi Friſingenſes inter defunctos 30. Iunii notant; dubium tamen nullum eſt de victoria Hungarorum, caeſisque pluribus epiſcopis et optimatibus, quos Auentinus recenſet. Id enim etiam continuator Reginonis in haec verba confirmat: (b) *Bauari, cum Hungaris congreſſi, multa caede proſtrati ſunt, in qua congreſſione Luitpaldus dux occiſus eſt.* Idem Hermannus Contractus, Marianus Scotus ad hunc annum, Otto Friſingenſis, (c) aliique narrant. Idem chronicon Salisburgenſe: *Ditmarus*, inquit, *archiepiſcopus, Otto et Zacharias epiſcopi in bello Vngarico occiſi ſunt.* Chronicon quidem Admontenſe haec refert ad annum priorem his verbis: *Ditmarus* (idem cum Auentini Theodomaro) *Salzburgenſis epiſcopus, occiditur ab Vngaris cum Vtone et Zacharia aliisque duobus epiſcopis;* ſed corrigendum eſt ex accuratioribus chronologis, qui haec figunt ad A. C. 907. Vnde Conradus etiam Vrſpergenſis, Hepidanus monachus, chronicon S. Galli, dum cladem hanc Baua-

(a) *Ann. Auſt. P. I. p.* 233.
(b) *Ad A. C.* 907.
(c) *Lib. IV. cap. XV.*

garorum ad sequentem annum differunt, emendandi sunt. Ista quidem, quae hi postremi tradunt, Cl. Praius ad nouam Hungarorum in Bauaria incursionem applicat; (a) sed ipse modus loquendi satis indicat, huius anni cladem ab iisdem intelligi. Sic enim chronicon S. Galli loquitur: *Baioariorum omnis exercitus ab Hungaris occiditur.* Quis autem credat, Bauaros post acceptam anno superiore cladem internecinam, nouum anno hoc exercitum conscripsisse Hungarisque rursum opposuisse? Nisi forte dicamus, Hungaros, clade partis exercitus, quam Dietmarus ad meridionalem Danubii ripam ductabat, contentos, domum cum spoliis rediisse; partem aliam exercitus, cui Leopoldus, Austriae praefectus, ad septemtrionalem ripam praefuit, illaesam hoc anno mansisse. Certe plures affirmant, vt videbimus, Leopoldum hunc anno sequente caesum fuisse. Quare male fortassis Auentinus, a continuatore Reginonis deceptus, alterius huius exercitus cladem coniunxit.

A. C. 907.

CXXX. Illud quoque, quod Sigebertus ad hunc annum scribit: *Vngari Bulgaros victos tributarios faciunt*, ob confusam in hoc auctore chronologiam aliorumque silentium, ab Assemano merito reiicitur. (b)

IV. An et Bulgaros eodem anno vicerunt, et Morauiam occuparunt

S 3 Nec

(a) *Ann. vet. P. III. p. 347.*
(b) *Orig. eccl. Slau. T. III.*

A. C. 9c8.

Nec illud mihi probatur, quod Cl. Praius de regno Marahanorum, ab Hungaris occupato, coniectat. Nam etiamsi Moymirum, Marahanorum principem, bello huic interfuisse caesumque daremus; Morauiam tamen ad Hungaros deuolutam esse, vix hinc inferri posse, censemus. Quicquid enim scriptores de regno Marahanorum ab Hungaris subiugato narrant, id totum ad ea tempora reuocari potest, quibus primum quidem plagas Vaganas, deinde Transdanubianas occuparunt. Nam omne, quod Marahanici iuris olim erat, Hungaros sibi subiecisse, nullus, quod sciam, auctorum tradit. Licet igitur Pessina finem regni Marahanorum ad sequentem annum collocet; (a) Inde non sequitur, illud ab Hungaris totum occupatum esse; quum nullus ditionis Hungaricae limites, vt postea videbimus, tam procul versus septemtrionem producat.

A. C. 908. Zolt. 2. Induct. 11.

V. An eo tempore, quo Saxoniam et Thuringiam vastarunt, Leopoldum interfecerunt

CXXXI. Postquam Hungari victoria superioris anni satis ostenderunt, suam cum Arpado virtutem bellicam extinctam non esse; indignati, a Bauaris, nulla per sex annos iniuria lacessitis, vltro sibi bellum illatum fuisse, rursus in arma prouolarunt, ac instauratis per hiemem viribus, alias Ger-

(a) *In Mart. Morau. L. 2. C. 7.*

Germaniae plagas ad praedam destinarunt. A. C. 908.
Hungari, scribit Hermannus Contractus, (a) *Saxoniam et Thuringiam vastant: Luitpoldus occiditur.* Idem ad eumdem hunc annum totidem fere verbis referunt Marianus Scotus et Lambertus Schaffnaburgensis, nisi quod ille Burchardum quoque, ducem Thuringorum, ab Hungaris occisum addat; hic Luitpoldum ducem Thuringorum vocet, et Burchardum, alterum Thuringorum ducem, ab iisdem caesum anno sequenti narret. Videtur autem male tam illum, quem Austriae praefectum alii vocant, Thuringorum ducem facere, quam istius caedem ab illo seiungere; quum anno sequenti non in Thuringiam, sed in Alemanniam Hungari procurrerint. Quia vero hi tres auctores Luitpoldi, seu Leopoldi, mortem ad hunc annum affigunt; suspicari licet, vt supra iam insinuaui, Hungaros vnam tantum exercitus Germanici partem, cui Dietmarus praefuit, anno superiore vicisse; alteram autem, quam Leopoldus regebat, hoc anno fudisse. viamque sibi, his prostratis, in Saxoniam et Thuringiam victores aperuisse. Quicquid de Leopoldo sit; id non tantum ex Hermanno, Mariano, Lamberto, sed etiam ex Reginonis continuatore, qui Leopoldi caedem ad annum superiorem retulit, constat, hoc anno Saxoniam et Thuringiam ab

(a) *Ad A. C.* 908.

A. C. 909. Hungaris vaſtatam eſſe. *Hungari*, ſcribit is, (a) *iterum terminos transgreſſi, Saxoniam et Thuringiam vaſtauerunt.* Cetera belli huius adiuncta nullus annaliſtarum exponit.

A. C. 909. *Zolt.* 3. *Induct.* 12.

VI. An Alemannia vaſtata, quosdam iudices et duces conſtituerunt?

CXXXII. Idem continuator alteram Hungarorum expeditionem pauciſſimis rurſum verbis abſoluit: (b) *Vngari*, inquit, *Alemanniam ingreſſi ſunt.* Hermannus Contractus non minus quidem breuiter, euentum tamen excurſionis etiam inſinuat: (b) *Vngari Alemanniam vaſtant.* Eamdem Alemanniae vaſtationem alii quoque chroniſtae referunt; aliqui tamen pugnam etiam, cum Bauaris initam, adiungunt; ſed eam alii melius ſeparant ac ad annum ſequentem collocant. Ludouicus nempe, tot cladibus prouinciarum ſuarum continenter acceptis permotus, ne tota Germania deinceps vno velut incendio conflagraret, edicto ſeueriſſimo ſanxit, vt, quum Hungari rurſus Franconiae minarentur, omnes arma ſumerent, quibus per aetatem et vires liceret, niſi reſtim et infelicem arborem experiri velint. Hungari, quum maiores, ac alias, apparatus a Ludouico fieri non neſcirent; ipſi quoque maioribus ſtu-

(a) *Ad A. C.* 908.
(b) *Ad A. C.* 909.

ſtudiis ad bellum apparandum incumbunt. Experti vero per triennium, nec domi iuſtitiam adminiſtrari, nec belli diſciplinam militarem obſeruari propter tenellam principis aetatem, prout oporteret, poſſe; quosdam e communi conſilio conſtituendos duxerunt, qui partim dirimendis litibus, partim propulſandis hoſtibus operam vicaria poteſtate Zoltano nauarent. *Transactis quibusdam temporibus*, inquit Anonymus, (a) *dux Zulta quum eſſet tredecim annorum, omnes primates regni ſui communi conſilio et pari voluntate quosdam rectores regni ſub duce praefecerunt, qui moderamine iuris conſuetudinis diſſidentium lites contentionesque ſopirent; alios autem conſtituerunt ductores exercitus, cum quibus diuerſa regna vaſtarent.* Ex his apparet, non ſtatim, ac Zoltanus principatum a morte patris adeptus eſt, iudices dirimendis litibus, ductores moderandis militibus conſtitutos eſſe; ſed, *transactis quibusdam temporibus*, et *quum Zulta tredecim annorum eſſet*; apparet etiam, non ſtatim Zoltanum, ac Arpado patri ſucceſſit, tredecim annos habuiſſe; ſed transactis quibusdam temporibus, ſeu, iuxta noſtrum calculum, hoc anno, qui tertius erat ab obitu patris; apparet denique, non eſſe commutatum ab Arpadi morte regimen monarchicum, quod Stiltingus exiſtimauit; A. C. 909.

(a) *Cap. LIII.*

A. C. 909.

quum Hungari *quosdam rectores regni sub duce*, seu duci subiectos, *praefecerint*.

VII. Quid per Porphyrogeniti Gylam et Carchan intelligendum?

CXXXIII. Atque hoc illud est, quod Porphyrogenitus in haec verba scribit: (a) *Habent autem primum ducem exercitus principem e prosapia Arpadae, cum quo duo alii Gylas et Carchan, qui iudicum vicem obtinent.* Schwartzius existimat, (b) in his iacta fuisse fundamenta praecipuorum in Hungaria magistratuum; nam Gylas, quasi *gyûlés*, quod nobis conuentum et comitia significat, indicare videtur praesidem comitiorum, qui palatinus esse consueuit; ex Carchan autem, a *kár*, quod nobis damnum est, dicto, damnorum reparandorum iudicem ortum censet, cui iudicis curiae munus hodie respondet. Horum iudicum institutionem Cl. Praius nimium occupare videtur, quum, postquam Arpadum ad supremi principis dignitatem euectum narrasset, ita differit: (c) *Abhinc boebodorum dignitate antiquata et abolito nomine, suprema in omnes potestas ad vnum Arpadum traducta est, adiectis duobus iudicibus, gyla et carcha, qui ex illius arbitrio lites dirimerent.* Sed iam ex Porphyrogenito supra docuimus, (d) non statim post electionem Arpadi

(a) *De adm. imp.* C. 40.
(b) *In Samuel. p.* 45.
(c) *Diss. V. p.* 93.
(d) *Num.* 128.

padi boebodorum dignitatem antiquatam, nec nomen abolitum esse, quod quamuis nec ante, nec post electum Arpadum in patriis scriptoribus reperiatur, illud tamen, quod huic dignitati respondet, ducis nempe titulus, etiam deinceps in duce Gyula, duce Cupa ceterisque mansit. Et quia Constantinus tempus, quo gylas et carchas instituti fuerint, non determinat; in eius silentio valere censemus auctoritatem Anonymi, qui nouorum iudicum institutionem ad Zoltani tertium decimum aetatis annum cum magna verisimilitudine refert, ac inter eos censet Lehelum (*Lelu*) Bultsum (*Bulsuu*) Botondium (*Bonton*) e quibus Lehel gylas; Bultsu carchas; Botond dux copiarum esse poterat. Bultsum sane Porphyrogenitus aetate sua carchan fuisse his verbis perhibet: (a) *Tebelesque* (nepos Arpadi) *moriens filium reliquit Termatzum, qui nuper in gratiam rediit cum Bultzo, tertio principe et carcha Turciae. Bultzus autem hic carchas filius est Cale carcha; estque Cale nomen proprium, quum carchas sit dignitas; quemadmodum et gylas, quae tamen maior est, quum carchas.* An tamen hic *Bultzus* idem sit cum Anonymi *Bulsuu*, quod et nominis affinitas, et ipsa dignitas suadere videtur, ideo dubitari potest, quod Bultzi patrem Porphyrogenitus *Calen* vocet; Anonymus vero suum Bulsuum filium

A. C. 909.

(a) *De adm. imp.* C. 40.

A. C. 909. lium *Bogar* (a) vel *Bogat* (b) appellet, nisi fortassis ab alterutro corruptum illud patris seu Bultzi, seu Bulsui nomen censeamus. Si tamen Cale, Bultzi pater, iam ante filium carchas, vt Porphyrogenitus innuere videtur, erat; serius Anonymi Bulsuu, si tamen idem cum Porphyrogeniti Bultzo sit, eamdem dignitatem adeptus, nunc non tam inter iudices, quam duces ab Anonymo nominatus, censeri debet. Certe mox Anonymus subiungit, eum copias in Italiam infudisse; quod quamuis nos ad exitum seculi superioris retraxerimus; vel inde tamen coniicitur, Anonymum illi ducis potius, quam iudicis et carchae partes tribuisse. Cl. Praius charchae dignitatem adhuc tempore S. Ladislai durasse suspicatur, ex eiusdem regis decreti 3. cap. 2. his verbis expresso: *Quod a tempore regis Andreae et ducis Belae, et a descriptione iudicis, Sarchas nomine* - - quibus ista subiungit: (c) *Littera s. nobis valet ch. quomodo forte carchas olim scriptum fuerit.* Dubium tamen est, an non Sarchas proprium illius iudicis, cuius decretum meminit, nomen fuerit, quod in margine Darchas ab aliis legi notatur.

A. C.

(a) *Cap.* XXXIX.
(b) *Cap. LIII.*
(c) *Diss. V. p.* 93.

A. C. 910. Zolt. 4. Indict. 13.

A. C. 910.

VIII. Vbi quaue fortuna bellum cum Ludouico gestum?

CXXXIV. Vbi Hungari, constitutis domi iudicibus, qui iustitiam, et ducibus, qui bellum administrarent, ne quid resp. detrimenti per aetatem Zoltani totiesque susceptam in exteras prouincias expeditionem pateretur, sapienter prouiderunt; coactis, quas Germanis opponerent, copiis, priusquam illi se mouerent, in alieno solo theatrum belli constituendum rati, magnis passibus Augustam, vbi hostes colligi nouerant, properarunt. Plerique chronistae, qui bellum istud ad hunc annum referunt, (a) more suo paucis id expediunt; omnes tamen vno consensu victoriam Hungaris attribuunt. Ex his continuator Reginonis aliquam nobis luculam pandit, ad ea, quae Luitprandus fusius sine certa temporis nota de bello Bauarico narrat, anno huic alliganda, quum locum certaminis ita designat: *Franci in confinio Bauariae et Franciae, Hungaris congressi, miserabiliter aut victi, aut fugati sunt.* Atque hinc Callesius colligit, (b) Franciam orientalem, siue Franconiam, ad Danubium vsque tunc pertigisse locumque pugnae huius non procul Augusta fuisse. Iam vero, quia Luitprau-

(a) *Hermannus Contractus, Lambertus Schafnab. chronicon S. Galli, continuator Reginonis.*

(b) *Ann. Austr. P. I. p. 235.*

A. C. 910. prandus hanc eamdem certaminis aream designat; idem bellum narrare censéndus est, licet illud Arnulfi morti subiiciat; quia scilicet, quicquid Hungari cum Ludouico gesserunt, vna serie, proponere voluit. Primum enim bellum ad Anasum fere Hungari cum Ludouico gesserunt, neque iusto tunc certamine conflixerunt. Alterum, quod ipsis improuisum accidit, in Hungariae paene limitibus ad Danubium represserunt. Neutrum igitur Luitprandus intelligit, quum ad Augustam ab Hungaris cum Ludouico pugnatum esse scribit. Quare, resectis iis, quae post Arnulfi mortem ab Hungaris acta narrat, cetera de tertio bello, quod hoc anno Hungari cum Bauaris gesserunt, accipienda sunt. Sic autem Luitprandus, postquam Hungarorum populationes attigisset, rem totam omnium fusissime persequitur: (a) *Ludouicus itaque rex, gentis suae depopulationem illorumque intelligens crudelitatem, suorum omnium animos hac formidine inflammat, vt, si bello eodem quemquam, quod tunc acturus esset, deesse contingeret; laqueo procul dubio vitam finiret. Innumerabilis denique illa gentis pessimae collectio copiis huius obuiam properare festinat. Nec videas sitientem animam ardentius haustum laticis gelidi, quam praelii diem, gentem hanc crudelem appetere. Neque enim haud aliud, quam dimicasse iuuat.*

Vt

(a) *Libr. II. Cap. I.*

Vt autem ex libro, qui de origine Hungarorum inſcribitur (hic iam intercidit) *didici, horum matres mox pueris editis ferro acutiſſimo faciem ſecant; ſcilicet, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam ſubire coguntur. Dant huic aſſertioni fidem vulnera, quae pro deficientium dolore propinquorum viuorum corporibus infliguntur.* Bene Cl. Praius obſeruat, (a) ex his, velut per rimam, Marcellinum, aut Sidonium, nec non Iornandem tralucere; nam quae hic de Hungaris attinguntur, ab iſtis de Hunnis perhibentur. Liber igitur ille, *de origine Hungarorum inſcriptus*, ex his concinnatus fuerit. Sed ad Luitprandi narrationem redeamus. *Iam iam*, inquit, *rex Ludouicus, collecta multitudine, Auguſtam venerat, quae eſt in Sueuorum, Baioariorum, ſiue orientalium Francorum confinio ciuitas, quum inſperata magis, non autem optata, gentis huius nunciatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemanni ſecus fluminis campos, Martio operi capacitate ſua aptos, vtraeque acies conuenere.* Male hic Luitprandus Lemanum pro Leco, ſeu Lico flumine, quod Auguſtam alluit, poſuit. *Prius itaque*, pergit ille, (b) *ac Titan croceum linqueret aurora cubile; Hungarorum gens, necis ſitiens, belli auida, hos videlicet Chriſtianos adhuc opprimit oſcitantes.* A. C. 910.

Non-

(a) *Diſſ. IV. p.* 75.
(b) *Lib. II. Cap. II.*

A. C. 910. *Nonnullos namque spicula, priusquam clamores, euigilarunt. Citius enim ab eis spiritus recessit, quam somnus. Grauis itaque hinc inde oritur pugna. Versi terga, seu in fugam Hungari, directis acriter belis, id est, telis, plurimos sternunt. - Alios vero, cubilibus confossos, neque strepitus, neque vulnera excitarunt. - - Iam descendens septimam Phoebus occupauerat horam, et serenus adhuc Ludouici partibus Mars fauebat; quum Turci, sicut non incallidi, positis ex aduerso insidiis, fugam simulant. Quos dum regis populus, doli ignarus, impetu validissimo insequeretur, omni ex parte prodeunt insidiae, quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum esse miratur; fitque illi non opinatus grauior casus. Videres equidem saltus, agros, passim cadaueribus stratos, riuos et flumina, sanguine permixta, rubere. Tunc hinnitus equorum clangorque tubarum, et fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari. Hungari praeterea, compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensa nece propriae non satisfecere nequitiae; sed vt rabiem perfidiae satiarent, Boioariorum, Sueuorum, Francorum omnia deflagrando regna percurrerunt. Nec quisquam erat, qui horum praesentiam, nisi labore non paruo, natura munitissimis praestolaretur in locis; factusque est per nonnullos annos populus hic tributarius.* Huc igitur traducenda sunt, quae iam ex Mutio notauimus ad A. C. 900. *Imperator. vt pacem consequi posset; dedit*

dedit priuatim hostium ducibus magnam pecuniam; publice magnam etiam dedit; maiorem se daturum promisit; annuum quoque tributum hostibus pollicitus est; aegreque inducti sunt, vt redirent domum. Huc etiam collocandum est illud Sigeberti: (a) *Hungari regnum Ludouici sub tributo redigunt.* Perinde hic auctor errauit tam anno superiore, quum scripsit: *Hungaris etiam Italiam depopulantibus rex Berengarius, bello congressus, miserabiliter vincitur;* quam anno sequente, quum inquit; *Hungari Germaniam vexant.* Illud enim ad A. C. 900. hoc referendum iam vidimus ad praesentem A. C. 910. A. C. 910.

CXXXV. Ex iis, quae Luitprandus recensuit, multa Conradum Vrspergensem fuisse mutuatum, ipsa verba, quibus vtitur, produnt. Ea, quae Leopoldus in prima Hungarorum in Bauariam irruptione gessit, Ludouico tribuit, et cum iis, quae nunc e Luitprando retulimus ac e continuatore Reginonis ad hunc annum affiximus, male confundit. Verba quidem eius iam supra reddidimus; vt tamen appareat, quid ex Luitprando hauserit, ea repetere iuuat: *Vngari*, inquit, (b) *Baioariam vastarunt. Sed Ludouicus, gentis suae depopulationem non ferens, magno exercitu coacto, iuxta Li-* IX. An Conradus Vrsp. ex Luitprando sua de hoc bello mutuatus?

T *chum*

(a) *Ad A.* C. 905.
(b) *Ad A.* C. 901.

A. C. 910. *chum fluuium cum eis pugnauit, et plus quam mille ex eis interfecit. Quumque pugna vsque ad horam VII. iam protraheretur et regis victoria aestimaretur, Vngari, callidis positis ex aduerso insidiis, fugam simulant, quos dum regis milites, doli ignari, impetu validissimo insequerentur, omni ex parte prodeunt insidiae; et quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum miratur; fitque non opinatus grauior casus. Vngari vero vt rabiem perfidiae suae satiarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum regna percurrunt, cunctaque vastando incendunt.* Haec, vt quiuis agnoscere poteſt, e Luitprando depromta, perperam à Conrado figuntur A. C. 901. quo Ludouicum, nouem annos natum, praelio, quemadmodum is vult, interfuiſſe, quis credat? Melius igitur, vt ex continuatore Reginonis docuimus, ea referuntur ad hunc annum, quo Ludouicus octauum decimum aetatis annum agebat. Atque hoc idem bellum etiam Anonymus noſter paucis ita refert: (a) *Francos quoque orientales in confinio Franconiae et Bauariae, multis millibus eorum caeſis, ictibus sagittarum in turpem fugam conuerterunt, et omnia bona eorum accipientes, ad ducem Zultam in Hungariam reuerſi ſunt.*

A.

(a) *Cap. LIV.*

A. C. 911. Zolt. 5. Indict. 14.

CXXXVI. Postquam Ludouicus, e Germaniae visceribus exercitum Hungaricum emoturus, auro quietem mercatus, pacem annuo tributo redemisset; ex animi angore, mense Iunio defunctus, (a) quod Carolingicam in Germania stirpem in tumulum secum traxerit, morte sua viam Germaniae proceribus aperuit, ad Conradum Franconem, quem aetas et rerum vsus ad Hungaros retundendos idoneum fore pollicebatur, primum liberis suffragiis eligendum. Hungari, seu prioris expeditionis laboribus attriti, seu pactionibus cum Ludouico sancitis, standum rati, hoc anno quieuisse videntur. Nam quod Lambertus Schaffnaburgensis scribit: (b) *Hungari vastauerunt Franciam*; licet idem etiam Conradus Vrspergensis innuat; ad superiorem annum vel ideo referendum videtur; quod accuratiores annalistae huius rei non meminerint.

A. C. 911. X. An Lambertus Schaffn. de clade, Franconibus post Augustanam illata, audiendus?

A. C. 912. Zolt. 6. Indict. 15.

CXXXVII. Nouam Hungarorum in Bauariam et Alemanniam excursionem Hermannus Contractus his verbis insinuat: (c)

XI. Quantam cladem Hungari, cum spoliis ex Alemannia reduces, acceperunt

 Vn-

(a) *Grebn. hist. vn.* T. II. p. 398.
(b) *Ad A.* C. 911.
(c) *Ad A.* C. 912.

A. C. 912. *Vngari a Baioariis et Alemannis iuxta flumen Ine occiduntur.* Sed eam ceteri chronistae locant ad sequentem annum. Hepidanus, licet eumdem annum narrationi suae praefigat; aliquam tamen temporis notam addit, ex quae caedes ista Hungarorum ad hunc annum figi debet; sic enim ille: (a) *Eodem anno nix immanis cadens id. Apr. ebdomadem paschae perdurauit.* Quum enim pascha A. C. 912. in prid. id. Apr. sequente vero A. C. 913. in 28. Martii inciderit; apparet, in A. C. 912. esse referenda, quae porro de Hungaris ita narrat: *Agareni Alemanniam intrauerunt. Erchanger et Pertholt, frater eius, et Vodalrichus comes, auxiliante illis nepote eorum Arnolfo, optimo duce Baioariorum, totum exercitium eorum iuxta Ine* (Aenum) *fluuium penitus occiderunt, nisi XXX. viros.* Cladem Hungaris in procursione hac illatam fuisse, nec domestici scriptores inficiantur, e quibus Anonymus eiusdem ita meminit: (b) *Dum inde victores reuerterentur; ex insidiis Saxonum magna strage perierunt; qui autem ex ipsis euaserunt, ad propria redierunt.* Turotzius eamdem ita nonnihil vberius attingit: (c) *In confinio Bauariae vltra castrum Abach* (vel *Aspach* oppidum inter Ipsam et Anasum, vel quia hoc non est in confinibus Ba-

(a) *Ad A. C. 913.*
(b) *Cap. LV.*
(c) *Chr. P. II. C. XXIV.*

Bauariae, verosimilius illud *Aschpach*, quod infra Passauium ad Aenum fl. Veigelius collocat) *citra Danubium Alemannorum exercitus ipsos in reditu oneratos inuaserunt ex abrupto; quos Hungari in fugam turpiter conuerterunt, caesis multis millibus ex eisdem. In quo quidem conflictu ex Hungaris tria millia virorum perierunt.* Ita hic cladem Hungaris illatam non dissimulat; sed non inultos eam accepisse, simul testatur. Exteri contra nihil de suis, solum de Hungaris caesis, loquuntur; perinde, quasi hi, licet spoliis impediti, nec arma strinxissent, nec vllum ex hostibus strauissent suumque his iugulum hauriendum vltro praebuissent. Fidem igitur superat, quod iam ante me Callesius obseruauit, (a) Hungaros, vt chronicon vniuersitatis Viennensis tradit, post id praelium vltra Leitham, seu Litaham amnem, Austriae limitem, reiectos fuisse. Hoc sane nullus veterum annalistarum affirmat. Sic enim illi de hac suorum victoria scribunt: (b) *Hungari partes Alemanniae vastauerunt; et iuxta In fluuium a Bauaris et Alemannis occisi sunt.* (c) *Vngari Alemanniam vastant; sed a Baioaris et Alemannis maxima caede sternuntur.* (d) *Vngari in Alemanniam, quibus per Bauariam redeuntibus*

A. C. 912.

 Ar-

(b) *Ann. Austr.* P. I. p. 237.
(b) *Contin. Regin. ad A. C.* 913.
(c) *Mar. Scotus ad A. C.* 913.
(d) *Chron. S. Galli ad A. C.* 913.

A. C. 913. *Arnolfus, filius Luipoldi, et Arthanger cum Pernthaldo et Adaltico cum eis pugnauerunt, et eos superarunt.* (a) *Hungari, Berengario confoederati, Alemanniam vastant; et a Baioariis et Alemannis grauiter caeduntur.* Nihil hic de Hungaris ad Leitam reiectis, nec de solis 30. viris superstitibus relictis. Vel igitur paruus hic procurrentium exercitus fuerit, vel non omnis, praeter 30. viros, concisus.

A. C. 913. Zolt. 7. Indict. 1.

XII. Quantas propterea poenas ab Alemannis repetierunt? CXXXVIII. Non fuisse Hungaris internecinam cladem illatam, nec eos ad Leitam vsque fluuium retrusos, patuit ex procursione, qua caedem suorum vlturi, magnam Alemanniae vastitatem rursus intulerunt, ac, nemine resistente, libere praedam omnem reuexerunt. Hanc expeditionem Hermannus Contractus paucis hisce verbis absoluit: (b) *Hungari Alemanniam depopulantur.* Haec quidem Cl. Praius censet in annum sequentem reiicienda, (c) *propterea, quod omnes consentiunt anno 913. Hungaros a Baioariis et Alemannis profligatos esse.* Atqui iam supra vidimus, Hermannum Contractum eam cladem ad annum isto superiorem fixisse, docuimusque, Hepi-

(a) *Sigeb. Gembl. ad A. C. 915.*
(b) *Ad A. C. 913.*
(c) *Ann. vet. P. III. p. 348.*

pidanum monachum ex nota temporis, quam addit, corrigendum, quem ceteri, qui annum male praefixum cum ea nota contenderent, temere sequuti fuerint.

A. C. 914.

A. C. 914. *Zolt.* 8. *Indict.* 2.

CXXXIX. Magis dubitari potest de Sigeberti Gemblacensis chronologia, qui fugam Arnulfi, Bauariae ducis, ad hunc annum ita collocat: *Arnoldus* (Arnulfus) *ad Hungaros cum uxore et filiis fugiens, usque ad mortem regis* (Conradi) *ibi mansit.* Nam continuator Reginonis Arnulfi rebellionem narrat ad A. C. 917. Quia tamen chronicon Salisburgense haec eadem ad hunc annum ita refert: (a) *Arnoldus dux, regi rebellans, in Vngariam pellitur;* Sigebertus, licet in chronologia minus alias accuratus, hic erroris condemnari vix potest. Quare, quum idem chronicon Salisburgense, rursus Arnulfum per Salisburgensem agrum in Bauariam regressum ac a Conrado Ratisbonae circumsessum fuisse scribat; (b) de secunda hac Arnulfi rebellione secundaque post obsidionem solutam ad Hungaros fuga ceteri scriptores accipi possunt. Huius fugae meminit etiam Luitprandus in haec verba: (c) *Arnoldus autem*

XIII. Quo tempore Arnulfus, Bauariae dux, ad Hungaros fugit?

(a) *Ap. Call. An. Aust. P. I. p.* 239.
(b) *Ad A. C.* 916.
(c) *Libr. II. C. VII.*

A. C. 915.

tem, nimio eius terrore coactus, cum vxore et filiis ad Hungaros fugit; fuitque ibidem, quoad vitalis aura Conradi regis rexerat artus.

A. C. 915. *Zolt.* 9. *Indict.* 3.

XIV. An iterum Alemannia cladem ab Hungaris accepit?

CXL. Receperunt Hungari suum antea hostem, nunc supplicem Arnulfum; eiusque fortassis vsi consilio, nouum Alemannis bellum intulerunt ac totam prouinciam igne ferroque deuastarunt. *Totam*, inquit continuator Reginonis, (a) *Alemanniam igne et gladio vastauerunt.* Ita dolorem, quem ex Alemannica clade nuper acceperant, iteratis incursionibus ac depopulationibus vlciscebantur.

A. C. 916. *Zolt.* 10. *Indict.* 4.

XV. Quo successu Hungari Thuringiam et Saxoniam inuaserunt?

CXLI. Quum vix iam in Alemannia, quod Hungari haurirent, esset; belli molem in Saxoniam et Thuringiam verterunt; et quicquid obuiam erat, ad monasterium vsque Fuldense, penitus eraserunt. Idem enim continuator haec prioribus subiungit: (b) *Sed Thuringiam et Saxoniam peruaserunt, et vsque ad Fuldam monasterium peruenerunt DCCCCXVI.* Hoc fortasse monasterium Turotzius intellexit, quum loco non

(a) *Ad A.* C. 915.
(b) *Ad A.* C. 916.

A. C. 917.

non suo scripsit: (a) *Ipsi vero exinde reuersi, tali fortuna eis occurrente, monasterium de Vlta* (Fulda) *combusserunt.* Chronicon etiam Corbeiense, licet ad annum sequentem, hanc irruptionem videtur attingere; quum haec notat: (b) *Hunni vastant monasterium et omnia in vicinia.* Sigebertus etiam ad sequentem annum idem ita refert: *Hungari, Alemanniam totam deuastantes, vsque Fuldam peruenerunt.* Hermannus quidem Contractus ad hunc annum non Thuringiam et Saxoniam, sed Alemanniam fuisse vastatam ita perhibet: *Hungari totam Alemanniam igne et gladio vastant.* Sed videtur ea, quae continuator Reginonis in suos annos optime digessit, male confudisse; nisi prioris anni procursionem vel in huius anni principium productam, vel Alsaticam, quae sequetur, cum haec coniunctam fuisse, dicamus.

A. C. 917. *Zolt.* 11. *Indict.* 5.

XVI. Cur in ipsam Alsatiam et Lotaringiam irruperunt?

CXLII. Mirum videri potest, quomodo Hungari tot excursiones in diuersas Germaniae prouincias facere potuerint, nisi constaret, Germaniam iisdem temporibus intestinis bellis distractam fuisse. Ita doctissimus Hansizius et miratur, et ratiocinatur: (c) *Incredibile est*, inquit, *memoratu*; *qui* ve-

(a) *Chr. P. II. C. XXV.*
(b) *Ap. Leibn. Scr. Brunsu. T. II.*
(c) *Germ. Sacr. T. I. p.* 187.

A. C. 917. *veternus eam aetatem ceperit; aut supplicium potius diuinum, quo seu obcaecati animis, seu trepidatione confusi, quum annuas propemodum clades ab incurrentibus* (Hungaris) *experirentur; quum in ipsis Germaniae visceribus pro libidine volitaret hostis, in annum sequentem rediturus; tamen torperent, velut deuotae ferro barbaro victimae. Nihil fere in chronicis per annos istos legere est, quam Hungarorum irruptiones.* His deinde, prout ex annalistis iam exhibuimus, recensitis, subiicit: *Sed scilicet dissidia intestina Conradum regem ab hostibus extraneis auertere. Nam quoadusque progenies Carolingica habenas Germaniae flectebat; ab officio non valde discedebant praefecti. Conrado postmodum aliunde assumto, reuerentiam exuere, praefecturam in dominatum vertere, aut ingratiis regis arripere. Primum Erchangerus cum fratre Burchardo Alemanniam inuaserunt. Saxones et Thuringi cum duce suo Henrico nihilo meliores. Arnolfus quoque in Bauaria tumebat, regium nomen, quod sub Carolingis erat, reuocare contendens.* His igitur Germaniae procerum discordiis in rem suam vsi Hungari, remotiores iam plagas ad praedam descripserunt: per Alemanniam in ipsam Alsatiam irruperunt: Basileam, nunc Heluetorum vrbem amplissimam, funditus diruerunt: magnam denique Lotaringiae partem euastarunt. Tam exteri, quam patrii scriptores hanc Hungarorum excursionem breuiter attingunt. Hermannus Contractus, qui procursionem Aleman-

mannicam ad superiorem annum retulit, de hac ita scribit: (a) *Vngarii peruasa, vt coeperunt, Alemannia, Basileam vrbem destruunt; indeque Alsatia vastata, Lotharii regnum, multa mala facientes, inuadunt.* Continuator Reginonis idem ita breuius exprimit: (b) *Hungari per Alemanniam in Alsatiam et vsque ad fines Lothariensis regni peruenerunt.* Chronicon Augiense totidem fere verbis ad eumdem hunc annum: *Vngari per Alemanniam in Alsatiam et vsque ad fines Lotharii regni venerunt.* Sigebertus autem Gemblacensis ad annum sequentem: *Hungari per Alemanniam in Alsatiam et vsque ad Lotharingiam perueniunt.* Anonymus noster plurium annorum expeditiones cum hac ita coniungit: (c) *Felix igitur Hungarorum embola, multa periculorum experientia iam securior et exercitatior, de ipsa continua exercitatione praeliorum viribus et potentia praestantior, totam Bauariam et Alemanniam ac Saxoniam et regnum Lothariense, igne et gladio consumserunt, et Erchangenum* (Erchangerum) *atque Bertuldum, duces eorum, decollauerunt.* In eamdem fere sententiam Turotzius: (d) *Rheno*, inquit, *transpassato, Lotharingensem ducatum igne et gladio vastauerunt. Vbi circa Strasburg,*

A. C. 917.

(a) *Ad A. C.* 917.
(b) *Ad A. C.* 917.
(c) *Cap. LV.*
(d) *Chr. P. II. C. XXV.*

A. C. 918.

burg, quae in Latino dicitur Argentina, in quodam praelio Erhardum (MS. habet Erchardum, verius Erchangerum) *ducem Lotharingiae, et Bertoldum ducem Brabantiae, qui ei venerat in auxilium, captiuantes decollauerunt.* Erchangerum quidem et Bertoldum, fratres germanos, quod Conrado rebelles Alemanniam sibi vindicauerint, 12. kal. Februarii, seu 21. Ianuarii, capite plexos fuisse, Hermannus Contractus ad hunc annum tradit; at quia hoc, Conrado iubente, factum est; mirum, quomodo nostri scriptores, eos ab Hungaris caesos fuisse, perhibeant. Quae hic Turotzio Cl. Praius exponit, (a) ipsi quoque partim iam correximus, partim correcturi sumus.

A. C. 918. Zolt. 12. Indict. 6.

XVII. Quomodo Basileam euerterunt?

CXLIII. Quia quidam auctores, vt Conradus Vrspergensis et Marianus Scotus apud Cl. Praium; (b) itemque chronicon Virtzburgense Basileae ruinam ad hunc annum ita figit: (c) *Basilea ab Hungaris destruitur XII. Calendas Februarii;* videntur Hungari non tantum anno superiore, quod ex auctoribus ibidem laudatis vidimus, sed etiam isto, trans Rhenum aliquamdiu populationem circumtulisse, dum tandem Ba-

(a) *Ann. vet. P. III. p.* 349.
(b) *Ann. vet. p.* 349.
(c) *Ap. eum. diss. X. p.* 238.

Basileam 21. Ianuarii destruxissent. Vix enim est credibile, eos hiberno tempore domo tam mature mouisse, vt ad Basileam mense Ianuario iam constiterint. Hunc in medium saepe scriptores inter se conciliari possunt, quum eamdem rem non ad eumdem annum perhibent. Nam alii quidem initium; exitum expeditionis alii notant, quae nonnumquam in alium annum excurrit. Hungaros enim, frigoribus assuetos, ingruente hieme, non semper expeditionem interrupisse, sed rigente quoque gelu, quum domo longius abessent, continuasse, verosimile fit ex iis, quae supra disseruimus ad A. C. 899. et 900. Has expeditiones Hungari, quamdiu Conradus in Germania rerum potiebatur ac intestinis motibus distrahebatur, impune his annis frequentarunt; at, Conrado sub anni huius exitum, 23. Decembris, e viuis sublato, (a) non parem sub Henrico fortunam semper experientur. A. C. 919.

A. C. 919. *Zolt.* 13. *Indict.* 7.

CXLIV. Arnulfus, Bauariae dux, qui metu Conradi hactenus in Hungaria se continuerat, eius audita morte Henricique Saxonis electione, Bauariam suam repetiit regiumque titulum rursus ambiuit. *Eodem tempore*, scribit annalista Saxo, (b) *ab Vngaria* XVIII. Cuius gratia Bauariae pepercerunt?

(a) *Mar. Scot. ad A.* C. 918.
(b) *Ad A.* C. 919.

A. C. 919. *garia cum uxore ac filiis rediens, non solum honorifice a Bauaris susceptus, sed etiam, vt rex fieret, est vehementer exoratus.* Postquam Luitprandus iisdem fere verbis eamdem rem narrasset, ac subinde pacem inter Henricum regem et Arnulfum ducem, conciliatam retulisset; (a) de Hungaris, Saxoniam inuadentibus, haec subiungit: (b) *Per idem tempus, dum Conradi regis interitum atque Henrici in regno successionem Hungarii audirent; tali sese mutuo sermone sunt aggressi: Rex forte nouus nouis vti legibus cupit. Copiis igitur collectis non minimis, ascendamus scrutemurque, debita vtrum Henricus rex velit tributa persoluere. Quod si non, vt credimus, regibus dissentit a ceteris* (Ludouico, Conrado) *regnum eius caede atque immensis depopulemur incendiis: non Baioariorum, sed Saxonum, vbi rex ipse est, primo fines occupemus, vt, si forte, quod non speramus, congregare exercitum velit, neque de Lotharingia, neque de Sueuia, neque de Baioaria, ei mature possit occurrere.* Huic Hungarorum deliberationi Luitprandus cladem Merseburgensem subiicit; sed quia haec serius accidit, videtur is vel duas res male coniunxisse, vel hanc deliberationem oratorio potius, quam historico stilo, locoque non suo, conscripsisse. Ceterum Arnulfi, sui prius hospitis, gratia,

(a) *Lib. II. Cap. VII.*
(b) *Ibid. cap. VIII.*

tia, quamdiu superstes erat, ita Hungari Bauariae pepercerunt, vt etiam, quum in Franciam et Alemanniam deinceps irrumperent, illibatos eius fines seruarent. A. C. 920.

A. C. 920. Zolt. 14. Indict. 8.

CXLV. Hungari, seu quod annuo tributo deliniti fuerint, seu quod id Arnulfo dandum duxerint, a Germanis ad Italos impetum deinde verterunt. *Introierunt*, inquit chronicon Lupi Protospatae, (a) *Vngari*, *id est*, *Vnni*, *in Italiam mense Februarii*. Sed quas illic res patrauerint, inde quidem erui non potest. Forsasse huc illud pertinet, quod Luitprandus in haec verba commemorat: (b) *Hungarorum interea rabies*, *quia per Saxones*, *Francos*, *Suevos*, *Baioarios* (per pacta) *nequibant*; *totam per Italiam*, *nullis resistentibus*, *dilatatur*. *Verum*, *quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat*, *amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat*. Fuit haec amicitia Hungarorum admodum necessaria Berengario, qui hoc tempore suis inuisus de regno periclitabatur. Ea quidem, quae hoc loco Luitprandus de Hungaris memorat, subiungit iis, quae de Ludouico luminibus orbato narrauit. Id quod incertum, quo potissimum anno contige-

XIX. Quo deinceps impetum verterunt?

(a) *Ad A. C. 920.*
(b) *Lib. II. cap. XI.*

A. C. 921. tigerit; (a) nam etsi Sigonius, oculos Ludouico huic erutos censeat A. C. 902. hoc tamen Regino refert ad A. C. 904. Marianus Scotus ad A. C. 905. Sigebertus Gemblacensis ad A. C. 915. sed, quamuis annus excaecati Ludouici certus esset; ex ordine tamen rerum, a Luitprando narratarum, erui certi nihil posset, vt alias ostendimus. Alios igitur vt ea, quae narrat, in annos suos digeramus, in subsidium vocare debemus.

A. C. 921. Zolt. 15. Indict. 9.

XX. Quando sub Dursac et Bogat Italiam incursarunt? CXLVI. Eam Hungarorum in Italiam incursionem, quam Luitprandus alibi refert, ad hunc annum figendam esse, colligimus ex chronico Flodoardi, qui Berengarium ab optimatibus suis destitutum et Rudolffum ab eisdem in regnum admissum esse, tradit ad sequentem annum. (b) Hoc igitur anno consilia cudi debebant, quae laudatus Luitprandus ita proponit: (c) *Quo tempore Rudolfus, rex superbissimus, Burgundionibus imperabat; cui in augmentum potentiae hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum ducis Burchardi filiam, nomine Bertham, sibi coniugio copularet.* Ex Hermanno Contracto constat, hunc Burchardum Alemanniae

(a) *Hadr. Vales. apud Murat. T. II. p. 384*
(b) *Murat. T. II. p. 384.*
(c) *Libr. II. C. XVI.*

piae ducem factum A. C. 918. sequenti cum Rudolfo bellum habuisse; matrimonium igitur post illum annum coniicimus conciliatum esse. Quare, postquam Itali his nuptiis auctam eius potentiam intellexissent; eumdem hoc anno contra Berengarium euocare constituerint. *Igitur Italienses*, pergit Luitprandus, *nunciis directis, hunc ad se venire, Berengarium vero expellere petunt. Inter agendum autem contigit, Hungaros Veronam, his ignorantibus, aduenisse, quorum duo reges, Dursac et Bugat, amicissimi Berengario fuerant.* Sub Bugato Bogatum, sub Dursaco Tosum, quod apud Anonymum illi coniungatur, (a) Cl. Praius latere censet; (b) ratusque, hanc alteram fuisse Hungarorum in Italiam excursionem, eam cum Pagio collocat ad A. C. 902. *quod Luitprandus*, inquit, *eo anno irruptionem hanc euenisse scribat, quo Ludouicus, Bosonis filius, oculis orbatus est; quod ad annum DCCCCII. chonographi paene omnes consignant.* Iam supra vidimus, hanc Ludouici calamitatem ad alios ab aliis annos consignari. Deinde non hanc, sed eam, quam anno superiore commemorauimus, irruptionem Hungarorum excaecationi Ludouici Luitprandus subiicit. Certe hanc, qua de nobis sermo nunc est, iis adiunctis vestit, vt retrahi vix possit ad A. C. 902.

A. C. 921.

(a) *Cap. LIII.*
(b) *Ann. vet. P. III. p. 344.*

A. C. 921. quo nondum hic Rudolfus, qui contra Berengarium euocabatur, Burchardi, Sueuorum ducis, gener esse poterat; nec proinde haec eius potentia, hoc matrimonio firmata, proceres Italos impellere, vt eum, Berengario reiecto, sibi regem optarent. Et tamen Luitprandus, quum Italiae proceres in montibus Brixianis id consilium agitarent, Hungaros Veronam aduenisse, precibus Berengarii persuasos in coniuratos impetum fecisse, his verbis testatur: *Adelbertus denique marchio, atque Odelricus, comes palatii, Giselbertus etiam comes, pluresque alii, dum in montem Brixianae ciuitatis, quae quinquaginta milliariis a Verona distat, conuenticula ob Berengarii deiectionem haberent; rogauit Berengarius Hungaros, vt, si se amarent, super inimicos suos irruerent. Hi vero, vt erant necis auidi, bellandi cupidi, a Berengario mox praeduce accepto, per ignotas vias a tergo hos vsque adueniunt, tantaque illos celeritate confodiunt, vt nec induendi sumendique arma spatium haberent. Captis igitur caesisque multis, Odelricus, palatii comes, qui se viriliter defenderat, occiditur. Adelbertus autem marchio* (ciuitatis Eporediae) *vt erat vir non bellicosus, sed sagacitatis mirae nimiaeque calliditatis, dum irruere Hungaros vndique cerneret, essetque illi omnis spes fugiendi ablata; baltheum armillasque aureas omnemque pretiosum apparatum proiecit, vilibusque se militis induit vestimentis, ne ab Hungaris, quis esset, dignosceretur. Captus igitur sciscitatus-*

que,

A. C. 921.

que, quis esset, militis cuiusdam militem se esse, respondit; rogauitque, se ad vicinum castellum duci, vocabulo Calcinaria, in quo parentes, qui eum redimerent, se habere asserebat. Ductus igitur, quia non agnitus, vilissimo pretio comparatur. - - (a) *Gilebertus* (Giselbertum supra vocauit) *autem, quia agnitus, flagellatur, seminudusque vinctus ante Berengarii regis praesentiam ducitur.* Haec Hungari hac irruptione, Berengarii caussa, patrarunt. Narrat porro Luitprandus, quomodo Berengarius Giselbertum, ab Hungaris captum, incolumem dimiserit; hic autem oblitus accepti beneficii, Rudolfum in Italiam contra Berengarium adduxerit. Quod quia Flodoardus, qui hoc tempore floruit ac aetatis suae chronicon ab A. C. 919. ad 966. perduxit, factum perhibet ad A. C. 922. Sigonius autem ad A. C. 921. alterutro haec irruptio Hungarorum, quae Rudolfi transitum in Italiam praecesserat, euenit. Quid postea Rudolfus, Ticini coronatus, egerit; qua fortuna cum Berengario conflixerit; quam grauis subinde suis euaserit; quomodo demum Berengarius a Veronensibus, auctore Flamberto, caesus fuerit; quia nullam in his Hungari partem habuerunt, referre hoc loco nihil interest. Satis erit ex Luitprando suo tempore narrare, quid Hungari, post Berengarii caedem, in Italia rursum egerint.

(a) *Libr. II. C. XVII.*

A. C. 922.

A. C. 922. Zolt. 16. Indict. 10.

XXI. Cur a Dalemin- ciis euocati

CXLVII. Sigebertus Gemblacensis ad hunc annum Hungaros, Franciam, Alsatiam, Alemanniam Saxoniamque populatos, cum Henrico iuxta Meresburch praelio congressos ac internecione paene deletos esse, perperam scribit. Nam haec aliis ac pluribus annis gesta fuisse, postea videbimus. Nunc vero, Hungaris, vt vidimus, Italiam vastantibus, Henricus Auceps, ocium ab iis nactus, aduersus Slauos Hauellos, inter Oderam et Albim positos, felicibus armis decertabat; iamque Dalemincios, qui hodiernae Misniae partem eo tempore colebant, bello petere constituit; quum hi, periculo tam propinquo territi, Hungarorum opem implorarunt. *Dalamanti vero*, scribit Vitichindus, (a) auctor synchronus, *impetum illius ferre non valentes, conduxerunt aduersus eum Auares, quos modo Vngaros vocamus, gentem bello asperrimam.* Non esse mirum Muratorius monet, (b) *Auarum appellatione Hungaros* a nonnullis scriptoribus *designari, qui et eiusdem essent originis, et easdem, quas ante Auares, ad Histrum sedes colerent.* Hinc etiam annalista Fuldensis eosdem Hungaros etiam Auares appellare solet.

A.

(a) *Libr. I.*
(b) *Script. rer. Ital. T. II. p.* 393.

A. C. 923.

XXII. Cur bis Saxoniam depopulati?

CXLVIII. Hungari, nihil cunctati, per Bohemiam, cui tunc S. Venceslaus, exauctorata matre Drahomira, praefuit, copias, ad Henricum repellendum pares, Dalemínciis submittunt, quae, Saxoniam ingressae, praedam ingentem in Daleminciam intulerunt. Alter interea Hungarorum exercitus eodem aduenit; qui, spoliis aliorum inspectis, inuidia ductus, bellum eorum amicis comminabatur, quod ad tantae praedae spem assumtus non fuisset. Sic igitur conuentum est, vt, ipsis Saxoniam incursantibus, alter interim exercitus, in Dalemincia quiesceret. *Igitur exercitus Vngarorum*, verba sunt Vitichindi, *a Sclauis conductus, multa strage in Saxonia facta, et infinita capta praeda, in Dalamanciam reuersi obuium inuenerunt alium exercitum Vngarorum, qui comminati sunt, bellum inferre amicis eorum, eo quod auxilia eorum spreuissent, dum illos ad tantam praedam duxissent. Vnde factum est, vt secundo vastaretur Saxonia ab Vngaris; et priori exercitu in Dalamancia secundum exspectante, ipsa quoque in tantam penuriae miseriam ducta sit, vt aliis nationibus eo anno, relicto proprio solo, pro annona seruirent.* Haec coniicienda videbantur in hunc annum, quo nulla Hungaros alia procursione distentos inuenio. Nam quod Cl. Praius ex Augiensi chronico refert, quoue hiatum ad hunc annum expleri posse mo-

 net,

A. C. 924.

net., (a) ad annos posteriores esse reiiciendum, ex aliis auctoribus, qui rem eamdem melius in sua tempora distribuisse videntur, ostendemus.

A. C. 924. Zolt. 18. Indict. 12.

XXIII. Quomodo Papiam incenderunt?

CXLIX. Hungari, quia Dalemincios in tantas rerum, ad vitam tolerandam necessariarum, angustias adduxerunt, vt, sedibus mutatis, aliis pro victu seruire cogerentur, videntur longiorem in eorum regione moram traxisse secundamque procursionem in Saxoniam hoc anno suscepisse, in quem chronicon Corbeiense haec notat: *Hunni rursus irruptionem faciunt, vastantes omnem Saxoniam.* Ipsa deinde loci vicinitate permoti fuerint ad Franconiam quoque carpendam; nam et hoc ab iis factum fuisse, continuator Reginonis ita perhibet: (b) *Hungari orientalem Franconiam vastauerunt.* Hungaris istic praedas agentibus, interea Berengarius in Italia fraude Flamberti caesus est. *Rege Berengario defuncto,* cuius mortem Sigonius ad superiorem; Flodoardus ad hunc annum figit, *atque Rodulfo absente,* scribit Luitprandus, (c) *Hungarorum rabies, Salardo duce, totam per Italiam dilatatur; adeo vt muros Papiensis ciui-*

(a) *Diss. X. p.* 238.
(b) *Ad A. C.* 924.
(c) *Libr. III. Cap. I.*

ciuitatis vallo circumdaret, ac defixis per gyrum tentoriis, exeundi aditum ciuibus prohiberet, qui, quum his viribus resistere non possent, peccatis promerentibus, - - vsta est infelix, olim formosa, Papia, anno dominicae incarnationis DCCCCXXIV. IV. idus Martii, indictione XII. feria VI. hora III. Incidit autem hoc anno, quo littera dominicalis post bissextilem erat C. dies Veneris in 12. Martii, seu IV. id. Martii. Quare tam minutim expressae temporis notae dubium omne tollunt de hac Hungarorum excursione, quam in Italiam hoc anno, Salardo duce, susceperunt. In hoc Salardo Porphyrogeniti Zaltam, Anonymi Zultam, nostrum Zoltanum, Arpadi filium et successorem, latere, bene Cl. Praius suspicatur. (a) Quemadmodum enim alia nomina Hungarorum exteri scriptores passim corruperunt; ita per oscitantiam e Zulta, Zalta, Zalda, facile Zalard et Salard formari potuit. Hunc ducem eodem modo Sigebertus vocat; sed ex Luitprando corrigendus est, quum haec ad annum sequentem ita collocat: (b) *Hungari, Salardo duce, Italiam peruagantes, Papiam obsident et incendunt.* Eamdem Hungarorum expeditionem Flodoardi chronicon prolixius ita describit: (c) *Vngari, ductu Berengarii, quem Longobardi expulerunt, I-* A. C. 924.

(a) *Diss. X. p. 238.*
(b) *Ad A. C. 925.*
(c) *Ap. Cl. Prai. L. cit.*

A. C. 924. *taliam depopulantur.* Hoc accipiendum est de priore procursione; nam istam, caeso iam Berengario, susceptam fuisse, Luitprandus testatur. *Papiam quoque*, pergit Flodoardus, *vrbem populosissimam atque opulentissimam igne succendunt; vbi opes periere innumerabiles; ecclesiae XLIII. succensae; vrbis ipsius episcopus cum episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumoque necatur; atque ex illa paene innumerabili multitudine CC. tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis vrbis incensae, quos inter cineres legerunt, argenti modios octo deferunt Hungaris, vitam murosque ciuitatis vacuae redimentes. His expletis, Hungari, per abrupta transeuntes Alpium iuga, veniunt in Galliam; quos Rodulphus, Cisalpinae Galliae rex, et Hugo Viennensis inter angustias collium Alpinorum claudunt; inde inopinato per deuia montis euadentes, Gothiam* (Septimaniam) *impetunt.* De his mox ita subiungit: *Vngari, qui Gothiam vastabant, pestem quamdam perpessi, capitum inflatione et dissenteria paene cuncti, paucis euadentibus, nunciantur esse consumti.* Alius igitur Hungarorum exercitus fuerit, a quo chronicon Corbeiense Saxoniam, continuator Reginonis orientalem Franciam hoc anno vastatam scribunt. Certe nouum Hungaris non erat, diuisis etiam trifariam eodem tempore copiis, prouincias, a se longo spatio discretas, incursare. Quia vero vix has iniurias ociosis oculis Henricus spectauerit; huc referri posse videtur, quod apud Ditmarum

rum in haec verba legimus : (a) *Rex autem Auares, saepe numero insurgentes, expulit; et quum in vno dierum hos impari congressu laedere tentaret, victus in vrbem, quae Bichin vocatur, fugit.* A. C. 925.

A. C. 925. *Zolt.* 19. *Indict.* 13.

CL. Nondum Hungaris e memoria clades effluxit, quam tredecim abhinc annis ex Alemannia cum spoliis reduces acceperunt. Eam igitur, semel, iterum ac tertio iam euastatam, rursus ad praedam designarunt ac populationem ad lacum vsque Podamicum protulerunt. Erat huic vicinum S. Galli coenobium, in quo Viborada, virgo Deo deuota, Hungarorum manibus occubuit. *Vngariis*, inquit Hermannus Contractus, (b) *iam Alemanniam vastando peruagantibus et ad coenobium quoque S. Galli peruenientibus, Wiborada, virgo inclusa, fracta cella, a quodam ex eis peremta et martyrio coronata.* Pluribus eamdem rem Hartmannus, scriptor coaeuus, exsequitur; et quia tam tempus, quam modum excursionis Hungarorum exhibet, ex eo quaedam huc traducenda videntur. Scribit igitur, (c) vno prius anno Viboradam virginem diuinitus didicisse *saeuam gentem Hun-* XXIV. Vbi S. Viboradam interfecerunt?

V 5 *ga-*

(a) *Libr. I.*
(b) *Ad A. C.* 925.
(c) *Act. SS. Maii T. I. ad* 2. *eiusdem mensis.*

A. C. 925. *garorum anno futuro in Kalendis Maii, aliis terris peruagatis et deuastatis, ad monasterium S. Galli peruenturam, et in eadem reuelatione ostensum est illi, quod per martyrii gloriam, ipsis paganis eam vulnerantibus, et certaminis praemia in coelesti beatitudine percipere deberet. Quum illius anni circulus vergeretur, et tempus Maii mensis, sanctae virgini per visionem ostensum, appropinquaret; subito, fama terras peruolante, nunciatur, paganos tota prouincia Baioariorum esse diffusos. Sed corda hominum, peccatis exigentibus, quominus exitium euadere possent, quum dura semper essent ad credendum, iterum atque iterum fama percrebrescente de aduentu paganorum, antea credere noluerunt, quam saeuiens interitus gladio imminente hanc etiam prouinciam ad lacum Potamicum gens barbara circumsepsit; plures et innumeros occidit; cuncta villarum officia circumquaque ignis incendio deuastauit. Interea vesanus quidam et DEO odibilis, adscitis sibi similibus sociis, ad S. Magni basilicam vna properant, igneque supposito, quum mansiunculam S. virginis exurere vellent, diuina virtute flammae restinctae sunt. Quumque effectum peruersae voluntatis se non posse perficere cernerent; circumeuntes aediculam, aditum, quo intrare potuissent, quaerunt. Et non inuenientes, duo ex illis ascenderunt super tectum, et disiectis tegulis, incidunt obstacula quaeque; factoque foramine, se immittentes, sanctam virginem ante altariolum stantem et [illegible]is precibus DEO omnipotenti se commen-*

mendantem spoliauerunt vestibus; sicque omni tegmine, praeter cilicium, ablato, libratis ascipolis, tria capiti vulnera - infligunt, et seminecem relinquentes discesserunt. Similia Cl. Praius etiam ex Hepidano recitat; (a) tum etiam Hungarorum in Italiam excursionem, duce Salardo susceptam, commemorat; sed eam ad superiorem annum referendam esse, iam alibi docet. (b) Si porro S. Vrsulam, ab Hunnis pro Christo caesam, Hungari peculiari cultu venerantur; digna haec quoque sancta foret, quam, a paganis maioribus suis coelo transmissam, posteri, melioribus studiis acti, singulari veneratione prosequantur.

A. C. 926.

A. C. 926. *Zolt.* 20. *Indict.* 14.

XXV. Cur et quando nouenales inducias cum Henrico pepigerunt?

CLI. Quod Augiense chronicon refert ad A. C. 923. (c) id hoc anno factum esse, discimus ex Hermanno Contracto, qui remotissimas Hungarorum excursiones ita narrat: (d) *Vngarii, vastata Alamannia, totam Franciam, Alsatiam atque Galliam, igne et gladio saeuientes, percurrunt. Burchardus dux occiditur.* Totidem fere verbis Augiense chronicon rem eamdem perhibet: *Vngari*, inquit, *totam Franciam, Al-*

(a) *Ann. vet. p.* 352.
(b) *Diss. X. p.* 238.
(c) *Ap. Prai. diss. X. p.* 238.
(d) *Ad A. C.* 926.

A. C. 926. *Alſatiam, Galliam atque Alemanniam igne et gladio vaſtauerunt; et Burghardus dux occiditur.* Non eſt igitur dubium, quin eadem ab vtroque Hungarorum expeditio deſcribatur; vix etiam dubitari poteſt, quin melius Hermannus ad hunc annum, quam Augienſe chronicon eam retulerit ad A. C. 923. quo Burchardus nondum occiſus, erat, vt ex Luitprando colligitur. (a) Et profecto Hermannum iſta rectius ad hunc annum collocaſſe, docet charta contractus inter S. Maximini monachos et nobiles quosdam viros in haec verba: (b) *Anno autem DCCCCXXVI. - depopulantibus Agarenis paene totum regnum Belgice Gallie, ſtuduit vnusquisqne diligenter tuta loca perquirere.* Huc igitur etiam eorum pars referri debet, quae Sigebertus narrat ad A. C. 922. Minus certa ſunt, quae de Saxonia vaſtata duceque Hungarorum intercepto quidam auctores produnt. Nam huius quidem captiuitatem induciasque nouennales annaliſta Saxo refert ad A. C. 924. ad quem etiam Sigebertus ita ſcribit: *Rex Henricus pacem cum Hungaris in nouem annis firmat.* Conradus Vrſpergenſis eamdem rem notat ad A. C. 925. optime tamen Cl. Praius haec protrudere videtur ad A. C. 926. Nam quum anno hoc ab Hungaris vaſtatam eſſe Sueuiam, Franconiam, Al-

(a) *Libr. III. Cap. IV.*
(b) *Ap. Prai. diſſ. V. p.* 103.

Alsatiam et Galliam constet; vix est credibile, pacem ab iis tam cito violatam fuisse, si haec anno superiore conclusa fuit. De nouennalibus autem his induciis, verosimilius, vt diximus, anno hoc initis, iuuat audire Vitichindum, testem locupletissimum: (a) *Quantam*, inquit, *stragem fecerint illis diebus, aut quanta monasteria succenderint; melius iudicamus silere, quam calamitates nostras verbis quoque iterare. Rex autem erat in praesidio vrbis, quae dicitur Werlarn* (in Vestfalia) *Nam rudi adhuc militi et bello publico insueto contra tam saeuam gentem non credebat. Contigit autem quemdam ex principibus Vngarorum capi vinctumque ad regem duci. Vngari vero ipsum in tantum dilexere, vt pro redemtione illius innumera auri et argenti pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem; tandemque obtinuit, vt, reddito captiuo cum aliis muneribus, ad nouem annos pax confirmaretur.* Bene Cl. Praius coniicit ex ipsa sollicitudine, quam Hungari de redimendo hoc principe praesetulerunt, eum verosimiliter ipsum Zoltanum fuisse. A. C. 927.

A. C. 927. Zolt. 21. Indict. 15.

CLII. **Recepto** principe suo, paceque Henrico **data**, quae Germaniam seruauit, Hungari, licet alias praedis agendis assueti, lon- XXVI. Quid interea Henricus contra Hungaros moliebatur

(a) *Libr. I.*

A. C. 928.

longo tempore quieuerunt. Henricus igitur totum hoc pacis tempus, ad bellum cum Hungaris felicius porro gerendum, vtiliter impendit: contra consuetas eorum incursiones multas vrbes arcesque condidit, recensitis militibus agrariis, in his vrbibus nonum quemque posuit: ceteros agrum colere tertiamque frugum partem nono submittere iussit: pro nobilibus Germaniae hastiludia, decursiones equestres ac perpetuum armorum exercitium instituit, vt ludicris hisce velitationibus, praeliis cum hoste committendis assuescerent ac praeluderent. *Heinricus*, inquit annalista Saxo, (a) *post pactum pacis, ab Vngariis acceptae, in munienda patria contra barbaras nationes mira prudentia inuigilans, ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in vrbibus habitare fecit. - Concilia, conuentus et conuiuia in vrbibus voluit celebrari, quibus exstruendis die et nocte operam dabat.* Eadem Vitichindus de prouidentia Henrici narrat. (b) Sic ille tempore pacis de bello cogitauit.

A. C. 928. *Zolt.* 22. *Indict.* I.

XXVII. Quibus sociis Hungari contra Bulgaros iungebantur?

CLIII. Quamuis admodum ardua Hungaris acciderit ea pacis conditio, qua Germaniae prouinciis abstinere cogebantur; ea tamen

(a) *Ad A. C.* 927.
(b) *Libr. I. p.* 639.

men ſtandum rati, nihil inimicum in Henrici ditiones, vt conuentum erat, attentarunt. Ne vero, bellis gerendis aſſueti, ocio torpeſcerent, in orientem ab occidente conuerſi, nouas illic praedas ſibi deſcripſerunt. Occaſionem rei gerendae mors Simeonis, Bulgariae regis, obtulit, quam continuator Theophanis ad anni ſuperioris indictionem ita narrat: (a) *Maii menſis vigeſima ſeptima, indictione quinta decima, Symeon, Bulgarorum princeps, aduerſus Chrobatos expeditione ſuſcepta, conſertaque cum illis pugna, victus ipſe, ſuas omnes penitus copias amiſit.* Non multo poſt, eumdem *Simeonem in Bulgaria fatis conceſſiſſe,* ſcribit; quod etiam Cedrenus iisdem fere verbis tradit. (b) Quare vix poteſt dubitari, Simeonem, licet incertum, qua die, ſuperiore tamen anno curas humanas poſuiſſe. Carolus Du Fresne mortuum perhibet Simeonem (c) *XXVII. Maii, indictione V. (non XV. vti habet Scylitzes) anno Chriſti DCCCCXXXII.* Atqui 27. Maii Simeon primum expeditionem ſuſcepit; deinde victus a Croatis, copias amiſit; demum in Bulgariam reuerſus, fatis conceſſit; non igitur obiit 27. Maii. Nec etiam video, cur indictio XV. quam et Cedrenus, et Theophanis continuator habent,

A. C. 928.

(a) Ed. *Ven.* p. 191. *Par.* p. 255.
(b) Ed. *V.* p. 490. *Par.* 625.
(c) Edit. *Poſon.* p. 98.

A. C. 928. bent, in V. mutari debeat. Oblitus fui Cl. auctor, quum de nuptiis Petri loquitur, indictionem XV. iungit cum A. C. 932. quum in hunc incidat indictio V. contra vero XV. in A. C. 927. quo Simeonem decessisse statuendum est, dum argumenta, quae testimonia Graecorum euertant, producantur. Cl. Stritterus in Bulgaricis (a) mortem Simeonis figit quidem ad indictionem XV. sed quae respondeat A. C. 941. Tam procul autem eam differri non posse, patet ex iis, quae refert ad A. C. 933. (b) quo Petrus, Simeonis filius, iam Bulgariae praefuit; adeoque pater eius prius decedere debuit. Eius igitur morte vulgata, Hungari, tempus adesse rati, quo cladem, olim ab Simeone hoc illatam, vlciscerentur, in Bulgaros arma vertere constituerunt; et quia cum Seruiis et Croatis in eamdem expeditionem conspirarunt, dum vltro citroque nuncii commearent ac apparatus ad tantum bellum fierent; facile prior annus abierit et in hunc profectio dilata fuerit. *Vicinae igitur gentes,* ait Cedrenus, *Turci, Serui, Chrobatae atque alii, audita Simeonis morte, Bulgaros bello petere statuebant.* Sed, quod dolendum, neque hic, nec alii Graeci scriptores euentum belli consignarunt. Certe non est credibile

(a) *Mem. pop. T. II. p. 446. et p. 609.*
(b) *Ibid. p. 614.*

dibile, hanc armorum societatem, inter fortissimas gentes initam, in fumum abiisse. A. C. 929.

A. C. 929. Zolt. 23. Indict. 2.

CLIV. Quia nusquam leguntur Hungari, hoc anno quidpiam egisse, res domi suas interea curauerint limitesque regni firmauerint; quos vltra fluuium Anasum eos hoc tempore produxisse, Hansizius docet. (a) Quia vero limites Hungaricae ditionis Anonymus quoque sub Zoltano describit; postulare hic locus videtur, vt eosdem tam ex illo, quam ex Constantino Porphyrogenito diligentius excutiamus. Vt porro certiore vestigio hac in re procedamus; operae pretium est, totam Constantini sententiam, qua Turcorum, postremum a Patzinacitis profligatorum, sedes designat, istuc traducere: (b) *A quibus sane*, scilicet a Patzinacitis, *pulsi Turcae et profugientes, sedes posuerunt illic, vbi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt, inter quae pons Traiani imperatoris ad initia Turciae, et Belegrada, quae trium dierum itinere ab ipso ponte distat, vbi turris est sancti et magni Constantini imperatoris; et rursus ad cursum fluminis exstat Sirmium, quod Belegrada abest duorum dierum itinere.* Quum igitur ad ini-

XXVIII. Quam procul Hungaria hoc tempore porrigebatur?

X

(a) *Gem. Sacr. T. I. p.* 188.
(b) *De adm. imp.* C. 40.

A. C. 929. initia Turciae pons Traiani fuerit; sedes, quas Patzinacitae, Turcis eiectis, in locis Atel Cusu nuncupatis occuparunt, vltra hunc pontem erant; adeoque sententia nostra de locis Atel Cusu nuncupatis in Moldauia quaerendis, ac Patzinacitis in Transsiluaniam non ingressis, firmatur, magisque firmabitur, vbi Patzinaciae limites ex eodem Porphyrogenito descripserimus. Etsi vero Constantinus clare satis non explicet, an Traiani pons orientalem Turciae limitem ita constituerit, vt ad eum ipse quoque pertinuerit; de Belgrado tamen et Sirmio clarius exprimit, has vrbes in eo loco, quem Turcae suo tempore habebant, positas ac proinde ditionis Hungaricae fuisse. *Inde magna Morauia baptismo carens, quam Turcae deuastarunt, cuiusque princeps olim fuit Sphendoplocus.* Quia Constantinus adiungit Sirmio Morauiam magnam; liquet, per eam intelligi Pannoniam, olim Suatoplugo subiectam, quae baptismo caruit non eo tempore, quo Suatoplugus ei praefuit, quum Moraui iam antea Christi fidem susceperint; sed tunc, quum Hungari, Constantini tempore nondum ad Christum adducti, magnam hanc Morauiam, seu Pannoniam, incoluerunt. Postquam Porphyrogenitus his monumentis et cognominibus ditionem Hungaricam, cis Danubium positam, designasset; quid vltra Danubium obtinuerint ac possederint, per fluuios, quos accolebant, ita declarat: *Vlteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina*

nunc

nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeses est; alterum Tutes; tertium Moreses; quartum Crysus; quintum Titza. Hi fluuii hodieque suum nomen, nonnihil variatum, retinent; nam per Timesem, Temesium; per Moresem, Marusium; per Crysum, Chrysium; per Titzam, Tibiscum, Hungaris Tiszam, intelligi, nemo dubitat. Per Tutem Cl. Praius insinuat (a) accipi posse *Tutum*, Cumaniae maioris fluuium, vel Tutouam, Tutum a Petropolitanis dictum; sed, quod is Seretho misceatur, *in hunc modum*, ait, *Tutes Constantini vltra Turciae initia protrudendus esset. Sunt quoque*, subiicit, *qui in loco Tutes malint substituere Alutam, ob qualemcumque nominis similitudinem.* Haec certe non multo minor est inter Tutem et Alutam, quam inter Moresem ac Marusium; si proinde hunc illi respondere concedimus, non video, cur Alutam quoque Tuti substituere nequeamus. Nam *Tur* quidem, exilis fluuius, vel potius riuus, nec is perennis, vt ab incolis Turensibus exquisiui, vix Constantino cognitus, quum exiguo terrae spatio decurrat, idoneus ad designandas Turcorum sedes non erat. Nec Tutouam nomine Tutis accipi posse, bene Cl. Praius obseruat. Quum enim hic influat in Serethum, quem Porphyrogenitus Patzinacitarum, in locis Atel Cusu nuncupatis

A. C. 929.

(a) *Diss. V. p.* 82.

A. C. 929. confidentium, fluuiis adnumerat; hunc in modum initia Turciae procul a ponte Traiani protruderentur. Verum quidem est, etiam Alutam vltra pontem Traiani Danubio misceri; si tamen illas tantum plagas, quas Aluta non in Valachia, sed in Transsiluania hodierna permeat, ab Hungaris infessas dicamus, limites, a Porphyrogenito Patzinacitis constitutos, non transgrediemur.

XXIX. Quanto spatio Hungari a Patzinacitis dirimebantur?

CLV. Hos ille iam alias per fluuios Moldauiae designauit; et rursum, quum dixit: *Ab inferioribus vero partibus Danubii ex opposito Distrae procurrit Patzinacia; eaque extenditur ad Sarkel vsque, quod Chazarorum oppidum est*, satis indicauit, procul ab Aluta Patzinaciae terminum esse quaerendum. Quum enim ab inferioribus Danubii partibus incipiat e regione Distrae, seu Dorostoli; hic quidem locus ab Alutae confluente versus orientem tanto spatio dirimitur, quanto Traiani pons indidem versus occidentem, interuallo nempe horarum circiter 24. Nam si chartis accuratissimis Koeleri fidem habemus; pons Traiani iacet intra gradum 45*tum* et 46*tum*; Aluta Danubio miscetur intra 47*mum* et 48*uum*; Dorostero, seu Dorostolum intra 49*num* et 50*mum*, vbique medio propemodum intercepto gradu. Quare duobus paene gradibus et Dorostolum versus orientem, et Traiani pons versus occidentem ab Alutae confluente dimouetur; passim au-

autem vni gradui horae 12. assignantur. Dum ergo Porphyrogenitus alibi scribit, distare Patzinaciam a Turcia dierum quatuor itinere, videtur hoc spatium, quod inter Alutam et Distram intercipitur, intelligere, quod a neutris habitatum fuerit, vel propter mutuum metum, vel propter arduos montes, equestribus procursionibus, quibus assueuerant, incommodos. Quamuis autem e Porphyrogenito constet, eius aetate hos hac parte Turcarum et Patzinacitarum limites fuisse; credibile tamen non est, hoc spatium ita vacuum mansisse, vt a nullo populo habitaretur. Suspicor igitur, quia regio haec etiam nunc Valachiae respondet, Valachos a Turcis, qui planioribus locis delectabantur, in haec montana tum retrusos esse, quum Tuhutum, Geloo victo, superiores Vltrasiluaniae plagas insedit. Valachos istos Romanarum coloniarum, in Daciam a Traiano deductarum, reliquias esse, colligitur tam ex Aurelio Victore, (a) quam ex vocibus, quae Romanam linguam sapiunt, apud illos vsitatis et a Cl. Praio relatis. (b) Ideo se hodieque *Rumuni*, *Rumeni*, seu Romanos, idiomate patrio vocant. Quare frustra sunt, qui Valachos ex Bulgaris ortos opinantur; licet enim voces quasdam Bulgaricas et Slauicas suae permistas habeant; id tamen partim ideo factum est, quod in

A. C. 929.

(a) *Libr. de caess.*
(b) *Diss. VII. p.* 159. 160. 161.

A. C. 929.

Moldauia, in quam etiam propagati iam sunt, Russis et Polonis; in Valachia Rasciis et Bulgaris vicini, quaedam ex eorum linguis adoptauerint; partim, quod Bulgari, quos Hungari pepulerant, iis accesserint, vel eorum nonnulli, qui cum Patzinacitis Turcos e locis Atel Cusu nuncupatis eiecerant, illis se permiscuerint ac ex mutuo hoc commercio quaedam ex Bulgarica Valachicae linguae voces adhaeserint. Mutuum hoc commercium caussa subinde fuit, vt aliqui Graecorum scriptorum etiam Bulgaros, trans Istrum positos, Valachos appellauerint; alii duplicem Bulgariam, trans, et cis Istrianam, agnouerint. Hos Valachos aliqui cum Patzinacitis propterea confunduut, quod in Moldauiam etiam, quam Patzinacitae, Turcis exactis, occupauerant, se sensim insinuauerint, illisque per multas expeditiones bellicas attritis, ita serius inualuerint, vt reges nostri Moldauiam quoque, sibi postea subiectam, maiorem Valachiam in publicis litteris vocauerint.

XXX. Quomodo Hungaris Orientem versus Bulgari, versus Septemtrionem Patzinacitae confines erant?

CLVI. Postquam Constantinus Hungariae fluuios, vt vidimus, recensuisset; eiusdem terminos exactius ita designat: (a) *Confines autem Turcis sunt orientem versus Bulgari; vbi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat: septemtrionem versus Pazzinacitae:*

(a) *De adm. imp.* C. 40.

tae: *ad occidentem Franci : ad meridiem Chrobati.* Quia versus orientem Bulgaros a Turcis Danubius separauit; apparet, Bulgariam magis, quam hodie, versus occidentem procurrisse; nec enim aliter medius inter Bulgaros et Turcos, ad quorum initia Traiani pons erat, Danubius fluere potuisset; neque video, quomodo Turci Bulgaros ad orientem, nisi hunc hibernum intelligamus, habere potuerint. Certe Patzinacitae, quorum limes *ex opposito Distrae procurrit*, ad orientem aestiuum Turcis esse, verius dici poterant; sed nempe hi Turcis confines non erant, a quibus itinere quatuor dierum, vt iam ex Constantino docuimus, distabant. Qui vero versus septemtrionem Patzinacitae Turcis obtendebantur, hi quidem itinere quatuor dierum ab iis distare minime poterant; nec enim *confines Turcis*, quatuor dierum interuallo disiunctis, a Porphyrogenito cum veritate dici potuissent. Vt igitur Constantinus secum ipso concilietur, dum Patzinacitas a Turcis quatuor dierum itinere distare dicit, et tamen eosdem his ad septemtrionem confines facit; videndum est, quas ille sedes alio loco Patzinacitis assignet. (a) Omnem primum Patzinacitarum gentem in octo themata partitus, *primum est*, inquit, *Ertem: secundum Tzur: tertium Gyla: quartum Culpe: quintum Charoboe:*

A. C. 929.

(a) *De adm. imp.* C. 37.

A. C. 929. *boe: sextum Talmat: septimum Chopon: octauum Tzopon.* Ex his tria tantum priora themata, Cancar (seu *Kankar*, brachii virilis) ob singularem fortitudinem ac nobilitatem, appellabantur, quorum alterum, *Tzur* dictum, vltra Borysthenem cum quarto *Culpee*, sexto *Talmat*, octauo *Tzopon*, ita consedit, vt Vziam, et Chazariam itinere dierum quinque, Alaniam dierum sex, Mordiam dierum decem dissitam habuerit, valdeque propinqua Chersoni, sed magis etiam vicina Bosphoro haec Patzinaciae pars fuerit. Quatuor reliqua themata cis Borysthenem ita se diuiserunt, vt *Ertem*, et inter Kankar, et inter themata primum, tributariis pagis Russiae; quintum vero thema, *Charoboe* dictum, ipsi Russiae conterminum esset; vtrumque Danaprim inter et Danastrim, seu Borysthenem et Tyram, in hodierna Podolia, consisteret; neque plus, quam vno die, seu primum, seu quintum a Russia distaret. Cis Tyram, seu Niester fluuium duo tantum themata Daciam, et vel ideo non totam, occuparunt. Ex his septimum inter themata, *Chopon* appellatum, Bulgaris finitimum; tertium autem, quod etiam Kankaris adnumeratur, *Gyla*, Turciae proximum fuisse, Constantinus scribit. Proximum Turciae si fuit thema Gyla; hac quidem parte quatuor dierum itinere vix a Turcia distare Patzinacia potuit. Sic igitur existimo: thema *Chopon*, vel ex nomine principis composita voce, *Giazichopon*,

pon, e regione Dorostoli Bulgaris ita finitimum, a Turcis ita remotum fuit, vt hac parte Patzinacia distaret a Turcia diebus quatuor, a Bulgaria dimidium vnius diei, quod Porphyrogenitus perhibet. Confines autem Turcis versus septemtrionem esse poterant duae, Kankar dictae, Patzinacitarum tribus: *Ertem*, et *Gyla*; haec cis, illa trans Tyram fluuium. De prima sic Constantinus scribit: *Iabdiertim*, alias Ertem, *thema conterminum est tributariis pagis Russiae regionis, puta Vltinis, Derbleninis, Lenzeninis, reliquisque Sclauis*; hos autem pagos Bayerus ad Tyram flumen vltra Haliciam extendit; cis Haliciam igitur Ertemii Patzinacitae iuxta Tyram consederint. Quia tamen ista quoque distantia maior videtur, quam vt Ertemii stricte confines Turcis dici possint; hoc proprie de Gylanis, quos Turciae proximos alibi Constantinus facit, intelligendum censeo. Hos quidem Cl. Praius hodiernam Transsiluaniam obtinuisse contendit; (a) at, quum Porphyrogenitus Patzinacitarum locum, quem, pulsis extremum Turcis, occuparunt, per fluuios Moldauiae; Turcarum contra locum, quem, eiecti postremum a Patzinacitis, insederant, per fluuios Transsiluaniae plerosque, scilicet Alutam, Marusium et Chrysium, illic ortos, A. C. 929.

(a) *Ann. vet. P. III. p.* 325. *Diss. VI. p.* 109.

A. C. 929.

designet; et, quemadmodum initia Turciae non procul a ponte Traiani; sic initium Patzinaciae versus Danubium e regione Dorostoli constituat; existimo, verosimilius dici posse, Gylanos Patzinacitas a Serethi fontibus ita per Moldauiam diffusos fuisse, vt Turcis ad septemtrionem confines essent. Ipse Cl. Praius Transsiluanos a Patzinacitis, seu Bessis, distinguere videtur, quum Transsiluanos a S. Stephano monitos e Carthuitio narrat, (a) vt adversus Bessos, seu Patzinacitas, se suaque tutarentur. Tuhutum igitur, vt ex Anonymo vidimus, Transsiluaniam occupauit; qui, postquam in ea regione, Siculis etiam adiunctis, ditionem suam firmasset; ac arduis inter Vltrasiluaniam et Moldauiam montibus satis tutus, omnes Patzinacitarum conatus, siqui primum, eiectis e Moldauia Turcis, erant, elisisset; pacem subinde cum cognata vicinaque gente composuerit. Nec alia de caussa Horkam, eius filium, suo filio Gylae, seu Gyulae nomen imposuisse suspicor, quam quod ex tribu Gyla, seu Gyula coniugem acceperit, ex eaque hunc filium sustulerit. Sed hoc intra coniecturam.

XXXI. Quomodo Hungari Francos ad occidentem; Croatas ad meridiem conterminos habebant?

CLVII. Descriptis ex Porphyrogenito Turciae limitibus orientalibus et septemtrionalibus, de Francis, quos ad occidentem Tur-

(a) *Diss. VII. p.* 168.

Turcis confines facit, nulla videtur esse difficultas, postquam ipse Constantinus, quos per Francos intelligat, semel ac iterum explicat. *Germanos*, inquit, (a) *qui iam Franci vocantur.* Et alibi: (b) *Otto, magnus rex Franciae, quae et Saxonia.* Germanos igitur, ad quos occidentis imperium, a Francis instauratum, transiit, per Francos istos accipiendos esse, dubium non est. At maior est difficultas de Chrobatis, seu Croatis, quos ad meridiem Turciam terminare perhibet. Hos ille scribit, olim vltra montes Carpathicos in Polonia, Silesia, Bohemiaque coluisse. *Chrobati vero*, inquit, (b) *tunc habitabant vltra Bagibariam.* Eam enim Carpathicorum montium partem corrupta hac voce designari, non dubito, quam ab incolis Aruensibus *Babagoram* appellari nuper in peregrinatione mea, qua montem hunc tam in Silesia, quam in Hungaria circuibam, intellexi. Istinc Chroatas ait Constantinus egressos fuisse ac Dalmatiam Auaribus eripuisse, Heraclio rerum potiente, qui decesserat A. C. 641. Subinde vero ditionem suam eosdem etiam in Pannoniam promouisse, his verbis testatur: (c) *At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quaedam secessit, et Illyricum atque Pannoniam* (vtique

A. C. 929.

(a) *De adm. imp.* C. 25.
(b) *Ibid.* C. 30.
(c) *Ibid.*

A. C. 929. que Sauiam) *occupauit ; habebantque ipsi etiam principem supremum , qui ad Chrobatiae tantum principem amicitiae ergo legationem mittebat.* Totam tamen Pannoniam Sauiam ab his Croatis occupatam esse, negat RR. Kercselichius; (a) miraturque, Cl. Assemanum contendere, Pannoniam Sauiam ab his Chrobatis Sclauis Sclauoniae nomen accepisse, quum potius Croatae nomen Slauorum accepisse dicendi sint a Slauis, qui iam ante Croatarum aduentum eas terras obtinuerint. Censet igitur laudatus auctor, (b) partem dumtaxat Pannoniae Sauiae Croatas Slauis, veteribus incolis, eripuisse; partem his reliquisse, quae sola hodie Sclauonia dicatur; olim autem etiam eam Pannoniae Sauiae partem, quae Croatia iam audit, Sclauoniae nomen obtinuisse. (c) Quicquid sit de huius Sclauoniae seu nomine, seu limite, quem ad inferiores Stiriae Carnioliaeque partes extendit, ex Porphyrogenito certum est, eius aetate iam occupatam a Croatis fuisse Pannoniae Sauiae partem; id tamen incertum maneret, vtrum hos Chrobatos Turcis ad meridiem conterminos esse velit, an mediterraneos, aut maritimos, nisi ex alio Constantini loco lucis aliquid emicaret. Postquam enim eodem, quo paullum ante vi-

(a) *Not. prael. p.* 47. 48. 52.
(b) *Ibid. p.* 51.
(c) *Ibid. p.* 77.

vidimus, modo Turcis ad occasum Francos, ad septentrionem Patzinacitas conterminos esse dixisset; *ad meridiem*, subiicit, (a) *magna Morauia, siue Sphendoploci regio, quae omnino a Turcis vastata est, et ab ipsis iam obtinetur.* Sed enim hic quoque locus explicatu difficilis est. Nam quomodo magnam Morauiam ad meridiem conterminam Turci habere poterant, si, quum haec Constantinus scriberet, eam reipsa iam obtinuerunt, aut si hanc non obtinuerunt, neque Franciam ad occasum conterminam habere poterant; haec enim ad occasum magnae Morauiae praetendebatur. Quare dicendum est, Constantinum haec non tantum diuerso tempore, sed etiam pro diuerso tempore scripsisse. Habebant nempe Turci magnam Morauiam ad meridiem conterminam, antequam sedes in ea posuissent; postquam autem eam primum deuastarunt, tum etiam occuparunt; non eam, sed Croatiam ad meridiem conterminam habuerunt; quod iis verbis, quae paullo post Constantinus subiungit, indicari videtur: *Chrobati vero ad montes Turcis adiacent.* Per hos enim verosimilius non illi Chrobati, qui trans montes Carpathicos ad septemtrionem Turcis adiacebant; sed illi, quos alias ad meridiem Turcis confines facit, accipiendi sunt; adeoque non Interamnenses, nec mediterranei Croatae, sed maritimi, qui Ia- A. C. 929.

pi-

(a) *De adm. imp.* C. 13.

A. C. 929.

pidiae montibus, Alpibus et Adriatico mari concludebantur, Hungaris ad meridiem confines, ex mente Constantini, dicendi videntur. Godofredus Schwartzius, quum initia Christianae religionis inter Hungaros a Graecis repetere conatur, ita hac de re differit: (a) *Montes intellexit Constantinus Seruiae illos, quorum iugum infra Belgradum adsurgens, perpetuo nexu in infimam vsque Bulgariam excurrit. Quapropter alio Constantinus loco Bulgaros Turcis ad orientem collocat.* Sed, quaeso, vir erudite, si bona fide rem agis, adde, quae Constantinus loco huic addit: *Confines autem Turcis sunt orientem versus Bulgari; vbi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat.* His, vt opus erat, adiectis, apparet, quam parum coniectura tua menti Constantini congruat. Non igitur tam procul extendendi montes, ad quos *Chrobati Turcis adiacent.*

XXXII. Quos limites Hungaris Anonymus constituit?

CLVIII. Exploratis Hungariae limitibus, quos aetate Porphyrogeniti habuit, vtrum Anonymus in iisdem designandis cum eodem Constantino consentiat, aut quantum dissentiat, excutere iuuerit. Hos ille tempore Zoltani, qui coaeuus Porphyrogenito fuit, ita delineat: (b) *Dux vero Zulta, post reuersionem militum suorum, fixit me-*

(a) *Cap. III. §. 26.*
(b) *Cap. LVII.*

metas regni Hungariae; ex parte Graecorum vsque ad portam Wacil et vsque ad terram Racy; ab occidente vsque ad mare, vbi est Spaletina ciuitas; et ex parte Teutonicorum vsque ad pontem Guncil; et in eisdem partibus dedit castrum construere Ruthenis, qui cum Almo duce, auo suo, in Pannoniam venerant, et in eodem confinio vltra lutum Musun collocauit etiam Bissenos non paucos habitare pro defensione regni sui, vt ne aliquando in posterum furibundi Teutonici propter iniuriam sibi illatam fines Hungarorum deuastare possent; ex parte vero Boemorum fixit metas vsque ad fluuium Morroa sub tali conditione, vt dux eorum annuatim tributa persolueret duci Hungariae; et eodem modo ex parte Polonorum vsque ad montem Tatur, sicut primo fecerat regni metam Borsu, filius Bunger. Portam Vacil, vel Vazil semel ac iterum Anonymus alibi quoque nominat; primum quidem, quum Bulgariae ducem ad Albam ciuitatem cum Hungaris ducibus Lehel, Bulsu, Botond, pacem conposuisse narrat: (a) *Deinde egressi*, inquit, *vsque ad portam Wazil iuerunt, et ex hinc egressi, terram Racy subiugauerunt.* Deinde vero, quum aliam expeditionem Zuard et Cadusa ducum his verbis exponit: (b) *Ipsi coeperunt equitare vltra portam Wacil; et castrum Philippi regis*

A. C. 929.

(a) *Cap. XLII.*
(b) *Cap. XLV.*

A. C. 929. *gis ceperunt.* Ex vtriusque procursionis ratione patet, portam Vazil non procul Rascia, nec procul Philippopoli, quae castro Philippi regis designatur, quaerendam esse; quumque Petancius in dissertatione de itineribus aggrediendi Turcam, Vasiglizam montem Rhodopen vocet; (a) videtur porta Vazil ad radices montis Rhodopes et Haemi, non procul Sophia, fuisse. Certe Seuterus portam Traiani collocat ad Haemum inter Sophiam et Philippopolim; et videtur Vazil ex Graeco Basileus, seu Vasileus, quo rex, seu princeps, qualis etiam Traianus erat, significatur, vel contractum, vel corruptum esse. Cl. Hellius portam Vazil ad Kolubram fluuium in eo fere loco, vbi nunc Valjaua visitur, collocat; cui magis itineris ratio, quam Anonymus describit, congruit, quam seu Vasillo Transalpino, seu Vosilo Croatico, cuius RR. Kercselichius meminit. (b) Videntur igitur limites Hungarorum ad orientem secundum Morauam fluuium ad angustias vsque montium, vbi porta Vazil, porrecti fuisse; sicque facilius intelligimus, qua ratione Bulgari versus orientem ex Porphyrogenito Turcis confines fuerint; cur item Morauam ad orientem, Morauam Bulgariae, veteres appellauerint; quia scilicet olim hucusque Hungarorum ditio pertinuit,

(a) *Script. H. ed. Tirn. p.* 349.
(b) *Not. Prael. p.* 88.

tinuit, et aliquo spatio, quod inter ostia Morauae Traianique pontem intercedit, a Turcis Istro fluuio Bulgaria dirimebatur. Ita noster Anonymus ex Constantino, Constantinus ex Anonymo lumen aliquod accipit; et quum ipse Constantinus in designandis orientalibus Turciae limitibus obscure loquatur; cum Anonymo, quin ei vis inferatur, conciliari posse videtur. Porro populis, a porta Vazil ad terram vsque Rasciae ditioni Hungaricae clientelari iure subiectis, Spalatum ad occidentem, vt Anonymus vult, obiiciebatur; indeque limites occidentales ad Teutonicos vsque, quos Constantinus Francos appellat, extendebantur.

A. C. 929.

XXXIII. Quid per pontem Guncil intelligit?

CLIX. Obscurum autem est, quid Anonymus per *pontem Guncil*, vbi metam Hungaris versus Teutonicos defigit, accipiat; nisi forte Glunicum, quod supra Stiram ad Anasum fluuium iacet, intelligat. Nam si fontem Gunzii fluminis, vt Cl. Hellius exponit, hoc nomine sumamus, angustiores Hungariae limites, quam eos eius aetatis auctores describant, faciemus. Ipse profecto Belae notarius alio loco ditionem Hungarorum longius extendit, quum ita scribit: (a) *Sed et Carinthinorum Moroanensium fines crebris incursibus diripuerunt, quorum multa millia hominum in ore gladii occi-*

(a) *Cap. L.*

A. C. 929. *occiderunt, praesidia subuerterunt et regiones eorum possederunt, vt vsque in hodiernum diem, adiuuante domino, potenter et pacifice posteritas eorum detinet.* Quare si Giinzii fluuii fontem Anonymus intelligit, videtur illos tantum limites hac parte definire, intra quos ipsi Hungari, non item populi, Hungarorum iuribus obnoxii, comprehendebantur; quamuis vltra hos quoque fontes ac limites Hungari quidam in praesidiis ad subiectos Austriacos, vt ex Aloldo mox videbimus, in officio continendos, commorati fuerint et ad reliquam Austriam populandam saepius excurrerint. Sic enim Aloldus, paene synchronus, de Geisa loquitur: (a) *Interim tamen Osterrichiam, a maioribus suis ex maxima parte occupatam, non dimisit; sed constanter retinuit. Neque suos, ibi commorantes, prohibere valuit ab excursibus et praedis, ad quas ad reliquam adhuc terram australem saepe quasi ex insidiis excurrerunt.* Inter maiores Geisae non tantum Toxus pater, sed etiam auus Zoltanus includi debet; sub hoc igitur Austriae pars maxima iam ab Hungaris occupata fuit. Certe Mellicense castrum etiam post cladem Augustanam tamdiu retinuerunt, donec Leopoldus Illustris eos illinc exegisset omnesque terras ad Comagenum vsque montem, seu Cetium, sibi subiecisset, vt rursus ex Aloldo discimus, qui de laudato

(a) *Ad A. C.* 972.

dato Leopoldo haec perhibet: (a) *Medilikum, praecipuum barbarorum nidum, cum multis et fortibus militibus aggressus, grauiter eum locum impugnauit ac tandem expugnauit feliciter, Vngaris expulsis et longe a prouincia repulsis.* Austriam vero reliquam cis montem Cetium adhuc tempore S. Stephani Hungarici iuris fuisse, colligimus e chronico MS. Garstensi, quod ita habet: (b) *Adalbertus marchio, qui marchiam orientalem Vngaris primo abstulit.* Quare post victoriam Hungarorum sub Arpado de Bauaris relatam A. C. 900. recte Cl. Praium arguisse iam ad hunc annum innuimus: Hungaros aliquam inferioris Austriae partem eodem impetu suam fecisse; secus enim ad Cetium potius montem, natura sua munitum, quam ad Anasum flumen munimentum Bauari Hungaris opposuissent. Et si Mellicium tamdiu subiectum Hungaris mansit, *id aliter fieri vix potuit*, vt Callesius obseruat (c) *quam vt Austriae eam partem omnem, quae ad montem Cetium protenditur, sua sub potestate habuerint: alioquin Vngari, per annos* 35. (plures) *vno castro conclusi, aut fame confici, aut imminuto sensim praesidiario milite, ad extrema deduci dudum debuissent.* Non pari difficultate laborant alii Hungaricae ditionis limites, quos

A. C. 929.

(a) *Ad A. C.* 979.
(b) *Ad A. C.* 1042.
(c) *Ann. Aust. P. I. p.* 272.

A. C. 929.

quos Anonymus sub eodem Zoltano describit ex parte Bohemorum ad fluuium Morauam; ex parte Polonorum ad montem Tatram. Hinc vtrumque Morauam, alterum olim Margum, ad orientem; alterum Marum dictum, ad occidentem, Hungariae terminum fuisse, coniicio.

XXXIV. Quid magnae Morauiae; quid inferioris Pannoniae nomine venit?

CLX. Vnus idemque fluuius, olim Marus, deinde Moraua dictus, appellationem eidem prouinciae, prius Marahaniae, deinde Morauiae dedit; et haec quidem magna dici coeperat, postquam Suatoplugus Pannoniae partem eidem adiunxit ac huic quoque Morauiae nomen indidit. (a) Non tamen omnem Pannoniam Suatoplugo paruisse, colligitur ex annalibus Francicis; (b) qui postquam narrassent occupatam a Suatoplugo Pannoniam A. C. 873. Bratislaum, seu Brazlauonem, inferioris Pannoniae ducem, in eius partes abscessisse referunt; sed hunc ad officium postea rediisse cum inferiore Pannonia tradunt. A. C. 885. Patet igitur inferiorem Pannoniam Suatoplugo subiectam non fuisse. Quid vero huius nomine veniat, ex annalibus Fuldensibus intelligimus, qui sic habent ad A. C. 884. (c) *Veniente Brazlauorum* (Brazlauone Slauorum) *duce, qui in id tem-*

(a) *Hansiz. G. S. T. I. p.* 165.
(b) *Ap. Hans. T. II. p.* 139.
(c) *Murat. T. II. p.* 571.

tempus regnum inter Drauo et Sauo flumina tenuit. Illam igitur haec aetas Pannoniam inferiorem vocauit, quae Sauo Drauoque comprehendebatur. Neque tamen omnem hanc Pannoniam Sauiam Brazlauo tenuit; sed eam dumtaxat, quam eius auus Priuina Ludouici beneficio consequutus est. De hac Anonymus de conuers. Carent ita scribit: (a) *Praestitit rex Priuinae aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluuium, qui dicitur Sana* (Sauam legendum aliqui putant) *Tunc coepit ibi habitare et munimen aedificare in quodam nemore et palu Sellede fluminis, et circum quaque populos congregare ac multum ampliari in terra illa.* Terram Priuinae donatam, Hansitzius existimat, partes inferioris Stiriae, Zagoriensis item et Varasdinensis prouinciae; castrum autem, ab illo constructum, intra Cilleiam et Petouium collocat, quod tunc Mosburgum, a palude dictum, hodierno fortasse Marburgo respondet. Quia vero Priuinam Morauum fuisse Nitriaeque habitasse constat ex eodem Anonymo; suspicor illum, postquam a Moymaro, duce Morauorum, pulsus sub A. C. 828. inferiorem a Ludouico Pannoniam incolendam accepit, eoque populos circumquaque congregauit; non paucos ibidem Morauos, qui partim ipsum sequebantur, partim deinceps euocabantur, collocasse hosque huic quoque Pannoniae parti Mora-

A. C. 929.

(a) *Ap. Call. An. Au. P. I. p.* 179.

A. C. 929. rauiae nomen adiecisse. Sed id vtcumque sit, idem Anonymus testatur, Priuinam a Morauis subinde caesum eique filium Hezilonem suffectum: *Anno*, inquit, 865. *in castro Hezilonis, nouiter Moseburch vocato, quod illi successit, moriente patre suo Priuina, quem Moraui occiderunt.* Heziloni subinde Brazlauo filius, de quo supra, successit; eamdemque Pannoniae Sauiae partem, quam pater et auus obtinuerant, regendam suscepit: *Brazlauonem*, scribit Hermannus Contractus, (a) *qui inter Drauum et Sauum fluuios Pannoniae praefuit, nihilominus se tradentem accepit.* Quam procul autem huius Brazlauonis ditio versus orientem intra Sauum et Drauum se porrexerit; incertum est; ex itinere tamen Arnulfi legatorum, ad Bulgaros missorum, aliquid erui potest, quod annales Fuldenses ita referunt: (b) *Missi autem propter insidias Zuentibaldi ducis terrestre iter non valentes habere, de regno Brazlauonis per fluuium Odogra vsque ad Gulpam, dein per fluentes Sauae fluminis nauigio in Bulgaria perducti.* Videtur igitur regnum Suatoplugi Drauum; regnum autem Brazlauonis hac parte fluuium Odogram attigisse, quem RR. Kercselichus ait, (c) nunc Odram dici, pluuioque caelo campos sic inundare, vt non-

(a) *Ad A. C.* 884.
(b) *Ad A. C.* 892.
(c) *Not. prael. p.* 78. 79.

nonnisi nauium beneficio transiri valeat; demum infra pagum cognominem in Culpam, seu Colapim; hunc autem infra Sisciam in Sauum influere. Brazlauonem Arnulfo fidum perstitisse, rursus ex annalibus Fuldensibus ediscimus, qui haec perhibent ad A. C. 895. vel vt alii volunt, A. C. 896. *Imperator Pannoniam cum vrbe Paludarum tuendam Brazlauoni, duci suo, in id tempus commendauit.* Quas autem partes Arnulfus in Pannonia possederit, ex eius praecepto, quod Cl. Praius recitat, (a) vtcumque colligitur: *Ad Rapam* (Rabam) *ad Sabariam ciuitatem et ecclesiam - - ad Mosepurch abbatiam, vbi sanctus Adrianus, martyr Christi, quiescit - - ad Salapingen curtem - - ecclesiam ad Quartana, ecclesiam ad Gensi, ad V. ecclesias.* Pleraque quidem ista nomina satis se produnt, indicioque sunt, *Pannoniam ab Arrabone vsque ad Drauum in Arnulfi ditione fuisse*, quod loco laudato Cl. Praius obseruat; ab hac tamen Pannonia, dum Arnulfus viueret, Hungaros manus abstinuisse, quod ille vult, ex eodem praecepto colligi non potest; immo contrarium ex epistola Boicorum episcoporum alibi iam ostendimus.

A. C. 989.

CLXI. Quamuis autem Brazlauo Pannoniam tutandam aduersus Hungaros acceperit, immotamque fidem Arnulfo seruauerit; pro-

XXXV. An ante S. Stephanum Pannonia Sauia iuris Hungarici fuit?

(a) *Diss. VII. p.* 127.

A. C. 989. prohibere tamen viribus suis non potuit, quominus Hungari Pannoniam omnem occupauerint. Id quo potissimum anno, quoue modo contigerit, partim ex Anonymo, partim ex aliis scriptoribus iam supra docuimus. Nunc, vt omnis circa Hungariae limites quaestio terminetur, hoc loco decidendum videtur, an Hungari Pannoniam etiam Sauiam sui iuris ante S. Stephanum fecerint. Ritterus apud RR. Kercselichium id in haec verba negat: (a) *Stephanus autem, idem primus Vngariae rex, nihil iuris nihilque dominii aut proprietatis vltra flumen Drauae in Sclauonia habuit.* At illum quidem aperte refellunt litterae fundationis S. Stephani, quibus episcopatus Quinqueecclesiensis limites extendit ad *Kwarok, sicut incipiens a Danobyo super Zauum fluuium terminatur*, vt apud Cl. Praium legitur. (b) Haec profecto satis indicant, S. Stephanum aliquid iuris etiam vltra Drauum fluuium ad Sauum vsque habuisse; nec enim in alieno fundo sanctus rex episcopatui limites assignasset. Huius autem iuris primum fundamentum eruitur ex Anonymo nostro, qui, postquam dixisset, (c) Arpadi duces *totam Croatiam sibi subiugasse*; capite sequenti haec addit: *Bulsuu, Lelu et Botond hinc egressi, siluam,* *quae*

(a) *Not. prael. p.* 101.
(b) *Hier. Hung. P. I. p.* 225.
(c) *Cap. XLII.*

quae dicitur Peturgoz (hodie Petroua-gora) *iuxta fluuium Culpe castra metati sunt, et transito fluuio illo, vsque ad fluuium Zoua* (Sauum) *castrum Zabrag ceperunt; et hinc equitantes castrum Posaga et castrum Vlcau* (Vukovarinum) *ceperunt*. Sed haec *temporariam potius procursionem, quam aditam iure armorum possessionem* indicare, Cl. Praius existimat, (a) RR. vero Kercselichius censet, (b) Hungaros dominatum Croatiae non retinuisse, sed tantum armorum societatem cum Croatis iniuisse, condendique sibi regni modum, occasionem, exemplum iis praebuisse. Descripti tamen a S. Stephano limites episcopatus Quinqueecclesiensis vltra Drauum fluuium, ius etiam ac dominatum in ea regione, non solam amicitiam et armorum societatem, nec solam temporariam procursionem, sed aditam etiam possessionem arguere videntur. Nec aliam esse caussam existimo, cur Hungari, quum arma victricia late per Germaniam, Galliam, Italiam, Graeciam circumferrent, ab his Slauis Croatisque semper abstinuerint, quam quod hos suis alioqui iuribus obnoxios habuerint. Hanc etiam caussam fuisse puto, cur Muncimirus, qui Croatiae sub id tempus, quo Hungaros eam subiugasse laudatus Anonymus scribit, praefuit, epocham Franciae regum, quod ab eius

A. C. 929.

(a) *Diss. V. p.* 84.
(b) *Not. prael. p.* 94.

A. C. 929. patre Tirpimiro factum est, suo diplomati non praeposuerit, quod eorum iugo per Hungaros exemtus, his deinde subiectus fuerit. Attritis autem per cladem Augustanam Hungarorum viribus A. C. 955. Videntur Croatae mediterranei maritimique se Graecis subiecisse; constat enim Dircislaum regis titulum vsurpasse iam A. C. 994. suoque diplomati Graecorum impp. nomina praefixisse A. C. 1000. (a) Prioris igitur subiectionis ratione Hungariae limites Anonymus vsque Spalatum extendit; Porphyrogenitus autem Chrobatos ad meridiem confines iisdem facit; quia scilicet eos tantum limites, intra quos ipsi Turci, non illis subiecti populi, continebantur, descripsit. Ceterum ex huius etiam purpurati scriptoris testimonio constat, Hungaros iam eius aetate Pannoniam Sauiam incoluisse; sic enim ille: (b) *Et habitant quidem trans Danubium flumen Turcae in terra Morauiae; atque etiam vlterius inter Danubium et Sauum fluuios.* Agnoscit igitur etiam Cl. Praius ad Sauum vsque iam hoc tempore ditionem Hungarorum porrectam fuisse, sed quam procul hac parte pertinuerit, dubitat; nec audiendum censet Anonymum, qui non modo Croatiam omnem subiugatam, verum id quoque, quod inter Sauum Drauumque ad Zagrabiam

(a) *Lucius l. 2. C. 8. p. m.* 127.
(b) *De adm. imp. C.* 42.

biam interiacet, occupatum a nostris scribit. (a) Caussam, cur ita sentiat, adfert, quod *constet, eam Sclauoniae partem, quae supra Posegam vrbem aduersis Sauo Drauoque tenditur, a D. Ladislao primum occupatam esse.* Cuius rei luculentissimum testem laudat Andream II. in diplomate suo, his verbis concepto: *Quum sanctus rex Ladislaus primus transierat Drauae fluuium, et partes sibi Sclauonicas regno primum occupauit adiecto.* Sed enim ex obscura hac sententia non aliud elici posse videtur, quam quod S. Ladislaus, inter Hungariae reges huius nominis primus, partes Sclauonicas, seu Croaticas, ita Hungariae vindicauerit, vt eas ad regni honorem primus eleuauerit. Constat enim, S. Ladislaum nec primum ex Hungaris Drauum transmisisse, nec primum partes Sclauonicas occupasse. Certe Rado palatinus in litteris suis, quas Cl. Praius in specimine hierarchie Hungaricae integras exhibet, (b) ita de Pannonia Sauia loquitur: *Monasterium meum sancti Demetrii super Sauum fluuium, quod multis bellicis laboribus cum tota prouincia illa sanctae coronae restificaui et iterum acquisiui, quia illud monasterium est in parochia sancti Petri Quinqueecclesiensis* cet. Non igitur sanctus Ladislaus ex Hungaris primus Drauum transmisit;

A. C. 989.

(a) *Diss. V. p.* 83.
(b) *P. I. p.* 229. - 232.

A. C. 929. ſit; non primus partes illas occupauit, quas Rado palatinus recuperauit ante A. C. 1057. Fuit ergo iam prius in ditione Hungarorum *tota prouincia illa*; fuit dioecoſis Quinqueeccleſienſis ad Sauum vſque fluuium porrecta; fuit ab Hungaris omnis illa ditio tunc occupata, quum Bulſu, Lelu, Botond caſtrum Zagrab, caſtrum Poſaga, caſtrum Vlcau ceperunt, vt Anonymus loquitur. (a) Nec enim aliud tempus ex vllo, quod ſciam, auctore, quo Pannoniam Sauiam Hungari ſuam fecerint, aſſignare poſſumus. Etſi vero *totam prouinciam illam* Rado ſe recuperaſſe dicat; eam tamen partem, *quae verſus Danubium vergit, partim noſtri, partim alieni fuiſſe iuris*, Cl. Praius aſſerit; (b) nec multo poſt ex illo Cinnami loco de Manuele, Graecorum imperatore: (c) *Motis ab Titelio caſtris, cum vniuerſo exercitu vlterius perrexit. - Vt ad locum quemdam peruenit, quem Petricum vocant, caſtra ibi poſuit. Eſt vero locus iſte aditus in interiorem Hungariam primus terminus*, infert; ſi per Petricum Petrouardinum intelligatur; et hac parte primus in Hungariam aditus Graecis fuit; ante S. Stephani tempora Hungariae limites infra Petrouardinum et amnis Volko cum Danubio confluentem ſitos fuiſſe.

Sed

(a) *Cap. XLIII*
(b) *Diſſ. V. p.* 83.
(c) *L.* 5. *C.* 9. *p. m* 99.

Sed enim opinioni huic eruditissimi viri cur subscribere nequeam, est; quod quae hic a Cinnamo referuntur, ab aetate S. Stephani multum vltra seculum remoueantur; adeoque, quum haec acciderint A. C. 1163. licet eo tempore Hungariae limites isti fuissent, inferri vix posset, eosdem etiam *ante S. Stephani tempora* fuisse. Nam ex litteris S. Stephani testamentoque Radonis palatini, iam ante, quam haec expeditio Manuelis fieret, ad Sauum Hungariae terminos pertinuisse, vidimus. Deinde Cinnamus Petricum aditus in *interiorem Hungariam* primum esse terminum ait; non igitur ibidem aditus in extimam Hungariam primus terminus erat, secus etiam Titelium, vnde castra Manuel versus Petricum promouit, extra Hungariam constituendum esset. Nec ex illo Cinnami textu Hungariae limites definiri possunt, etiam aetate Stephani III. qua haec contigerunt, infra Petri-Varadinum et amnis Volko cum Danubio confluentem. Nam Volko fluuius circ. 12. milliaribus supra Petri-Varadinum, vt oculis ipse meis videram, in Danubium influit. Si proinde Hungariae terminus ad hunc fluuium quaerendus esset; Hungariae limes infra Petri-Varadinum esse non potuisset. Quid, quod Cinnamus non multo post subiiciat: (a) *Superiori e parte Istrum traiiciens, ad ciuitatem,*

A. C. 929.

(a) *Edit. Ven. p.* 101.

A. C. 929. *tem, nomine Pagatzi, peruenit. Est vero illa Sirmiensis agri metropolis. Hic habitat gentis istius antistes.* Non est dubium, Batsium in Pagatzi detorto hic latere. Quum igitur, eo teste, metropolita, qui hic habitauerat, etiam in Sirmiensem agrum suam iurisdictionem extenderit; signum est, iam ante hoc tempus Sirmium in potestate Hungarorum fuisse. Licet autem aliquam Sirmiensis prouinciae partem tempore S. Stephani, caeso per dolum Sermone, qui hic rerum potiebatur, in Graecorum potestatem venisse, Cl. Praio concederem; inde tamen non consequeretur, aliquam huius regionis partem Hungaris obnoxiam non fuisse. Nec enim e Cedreno doceri potest, Sermonem omnem omnino ditionem Sirmiensem possedisse. Certe vix videtur a Porphyrogenito dici potuisse, habitare Turcas *inter Danubium et Sauum fluuios*, nisi Sirmiensem quoque prouinciam, inter Danubium et Sauum conclusam, incoluissent. Graeci Sirmiensem illam plagam, hoc dolo captam A. C. 1019. cum aliis partibus adsitis, quas sensim ditioni suae subiecerunt, in sua potestate retinuerunt annis fere 30. Quum enim multis antea turbis Hungaria iactaretur; vix aliqua de recipiendis his prouinciis cogitatio suscipi potuit. Iis vero sopitis, *Andreas rex*, vt Ioannes archidiaconus de Guertse loquitur, (a) *stabilito sibi regno, de recuperan-*
dis

(a) *Ap. Kercs. not. pr. p.* 102.

dis regni iuribus sollicitus, Adalbertum fratrem ducem fecit Sclauoniae; Radus autem palatinum regni. Isti regem Croatiae coarctarunt, et Sclauoniam ad veteres limites Zettinae fluenti reduxerunt. Tunc igitur factum fuisse videtur, quod iam ex Radonis litteris vidimus: *Monasterium meum S. Demetrii super Sauum fluuium, quod multis bellicis laboribus cum tota prouincia illa sanctae coronae rectificaui et iterum acquisiui.* Tunc illud factum, quod loco non suo Dandulus ita perhibet: (a) *Andreas interea, Hungariae rex, Dalmatinos continue inquietans, aliquos tandem ad deditionem coegit.* Tunc denique factum, quod Cinnamus ita refert: (b) *Hungarorum gens saepe Romanorum fines incursauit; et paullo ante, quam imperaret Alexius Comnenus, Sirmium cepit* (verius recepit) *multisque Transistrianis vrbibus expurgatis, Naesum vsque peruenit.* Sed illud *paullo ante* vel latius accipiendum est, vel certe dicendum, Hungaros Sirmio saepius et potitos, et exutos esse. Nam ex Radonis testamento, toties laudato, cui, publicis in comitiis lecto probatoque, plus fidei, quam Cinnamo, priuato scriptori, deferendum est, apparet, prouinciam Sirmiensem, in qua monasterium S. Demetrii positum fuisse,

A. C. 929.

(a) *Murat. T. XII. p.* 239.
(b) *Libr. V. C. XII. p. m.* 103.

A. C. 929. se, Pazmanus testatur, (a) aut saltem eius prouinciae partem, fuisse Hungarici iuris factam ante A. C. 1057. quo testamentum illud auctoritate regia firmatum est; adeoque multo *ante, quam imperaret Alexius Comnenus*, cuius initia figuntur ad A. C. 1081. Quare quum S. Ladislaus Drauum fluuium transiit, *et partes sibi Sclauonicas regno primum occupauit adiecto*; de remotioribus et magis ad occidentem vergentibus Pannoniae Sauiae partibus intelligendus est, quae Croatiae regibus antea paruerant. *Occupauit*, inquit Thomas archidiaconus, (b) *totam terram a Drauo fluuio vsque ad Alpes, quae dicuntur ferreae, nullo obice resistente. Posthac transiuit Alpes, et coepit impugnare munitiones et castra, multaque praelia committere cum gentibus Chroatiae - - nec tamen vsque ad maritimas regiones peruenit*, quas postea Colomanus subegit.

A. C. 930. Zolt. 24. Indict. 3.

XXXVI. Quibus bellis Henricus contra Hungaros milites suos exercuit?

CLXII. Quum Hungari firmandis limitibus suis, quos aliquanto prolixius sub vnum conspectum proposuimus, vt Anonymum cum Porphyrogenito, quoad fieri posset, conciliaremus, intenti sunt; Henricus Auceps, iis secundum pacta quiescentibus,

(a) *Ap. Peterf. Con. P. II. p. 273.*
(b) *Hist. Salon. Cap. XVII.*

tibus, milites suos non tantum ludis, sed etiam bellis, aduersus populos Slauicos susceptis, exercuit, audacioresque sensim ad resistendum Hungaris reddidit. A. C. 931.

A. C. 931. *Zolt.* 25. *Indict.* 4.

CLXIII. In hoc pacis ocio non Zoltanum dumtaxat principem, sed vniuersam Hungarorum gentem magna laetitia cumulauit natus Zoltano filius, incertum, vnde Toxus appellatus. *Dux Zulta*, scribit Anonymus, (a) *anno dominicae incarnationis DCCCCXXXI. genuit filium, quem nominauit Tocsun, pulchris oculis et magnis; capilli nigri et molles; comam habebat, vt leo.* Toxus hic, quibusdam dictus Taxis, nomen dedisse videtur vico *Takfony*, quasi *Takf-honyja*, quem in prouincia Pesztinensi Danubius ad Tsepel insulam alluit, siue quod illic natus, siue quod tumulatus fuerit, quod postremum innuere videtur Turotzius, quum ita loquitur: (b) *Et quia ipse Leuenthe catholice non vixit; ideo circa villam Toxun vltra Danubium est sepultus; vbi iacere dicitur Toxun, auus eius, more pagano.* Sed ista serius acciderunt.

XXXVII. Quando Toxus primam lucem adspexit?

Z A.

(a) *Cap. LV.*
(b) *Chr. P. II. C. XLII.*

A. C. 932.

A. C. 932. *Zolt.* 26. *Indict.* 5.

XXXVIII. An cladem Hungarorum rite Hermannus Contractus;

CLXIV. Hungari, nihil fortasse contra pacem acturos se rati, si Sorabos aggrederentur; in eorum prouinciam exercitum infuderunt. At Henricus, siue socios defensurus, siue, ne Hungari, rupta pace, porro progrederentur, veritus, suas illis copias opposuit, pluresque partim cepit, partim interfecit. *Vngarii*, scribit Hermannus Contractus, (a) *Soraborum prouinciam petentes, ab exercitu regis Henrici caede profligati, fugati, multique ex eis capti sunt.* Quia tamen nec alii huius cladis meminerunt; nec ipse Hermannus eam Hungarorum caedem, quae duobus post annis euenit, attingit; dubitari potest, an non istam loco non suo, narrauerit.

A. C. 933. *Zolt.* 27. *Indict.* 6.

XXXIX. An rite Flodoardus connotarunt?

CLXV. Certius est, Flodoardum anni sequentis expeditionem intelligere, quum ad hunc annum Hungaros ab Henrico caesos in Saxonia scribit. Quare quum plures annalistae hanc Hungarorum cladem ad sequentem annum referant, eo nos quoque differendam censemus.

A. C. 934. *Zolt.* 28. *Indict.* 7.

XL. Quid Hungari contra Graecos;

CLXVI. Postquam Hungari, plurium annorum quiete firmati, maximum exercitum con-

(a) *Ad A. C.* 932.

conflauissent; pluribus prouinciis ad praedam descriptis, orientem simul et occidentem aggrediendum sumserunt. Primum eorum impetum excepit oriens; vbi sub initium veris, obuiis quibusque per Thraciam abactis, quum ipsis Constantinopoleos moenibus appropinquassent, a Romano Lacapeno, Graecorum imperatore, missus est ad eos placandos Theophanes patricius, qui sua sagacitate pacem cum illis composuit. *Mense Aprili*, scribit Cedrenus, (a) *indictione VII. Turci, facta impressione, occidua omnia vsque ad vrbem populantur. Missus patricius Theophanes, protouestiarius, cum iis pacem componit, Romano, vt captiuos reciperet, nulli rei parcente.* Hanc eamdem rem continuator Theophanis ita fusius exsequitur: (b) *Turcorum prima expeditio aduersus Romanos contigit mense Aprili, indictione VII. Hi ad vrbem vsque excurrentes, cunctos per Thraciam obuios praeda abegerunt. Missus itaque Theophanes patricius, protouestiarius imperiique administer ac princeps senatus, vt cum eis pacem componeret captiuosque reciperet. Porro Theophanes admiranda prudentia ac sagacitate illis vsus, ex voto cuncta confecit, multamque ex illis eo nomine laudem, ac admirationem reportauit. Tum quoque Romanus imperator, quanta magnificentia ac humanita-* A. C. 934.

(a) Ed. Ven. p. 493. Par. 629.
(b) Ed. Ven. p. 197. Par. 262.

A. C. 934. *te praestaret, ostendit; nullis sumtibus parcens, solum vt liberarentur captiui.* Idem iisdem fere verbis narrat Georgius Monachus, (a) Simeon Logotheta. (b) Cl. Praius, id etiam ab Russicis annalibus mirifice firmari, docet, (c) qui hoc anno Hungaros, vastata Thracia, Constantinopolim obsedisse; muneribus tamen delinitos domum sine maleficio reuertisse, tradunt. (d) Patrii scriptores, Constantinopolim quidem ab Hungaris obsessam fuisse, perhibent; sed quia non semel id ab iis factum legimus, vtrum de hoc anno sint accipiendi, definiri non potest. Turotzius sane tam perturbato ordine res primorum Hungarorum narrat, vt inde nullum argumentum pro chronotaxi confici possit. Et quia hanc excursionem ad vicesimum primum post Augustanam cladem annum figit; ea congruere deberet cum A. C. 976. quo Hungaros sub Geisa quietos domi resedisse constat. Sed ad quemuis demum annum haec expeditio retrahatur; adiuncta, quibus eam Turotzius ornat, vix fidem apud cordatum lectorem inuenient. Sic enim ille rem totam proponit: (e) *Vicesimo primo anno egressi, in Bulgariam intrauerunt; et inde*

(a) *Edit. Ven. p.* 439.
(b) *Edit. Ven. p.* 366.
(c) *Diss. X. p.* 239.
(d) *Rer. Russ. T. I. p.* 20.
(e) *Chr. P. II. C. XXVI.*

inde Hydropolim venientes, ipsa expugnata; Constantinopolim tandem obsederunt. In obsidione igitur vrbis memoratae Hungaris constitutis, quidam Graecus, sicut gigas, emissus de vrbe, ad luctandum cum eo, duos Hungaros impetebat altercari, dicens; quod si ambos non deuinceret; Graecorum imperator censu Hungaris teneretur. Qui quum Hungaris infestus esset vltra modum; vnum contrarium ei inuenerunt, qui, oppositus Graeco, ita ait: ego sum Bothond, rectus Hungarus (igaz-Magyar) *minimus Hungarorum. Adiungas tibi duos Graecos, quorum vnus conseruare debeat animam tuam exituram; alter vero cadauer tuum subterrandum* (humandum) *quia certissime censualem faciam Graecorum imperatorem genti meae. Vnde capitaneus Hungarorum, nomine Opour, qui illi exercitui de communi voluntate fuerat constitutus, iussit Bothond cum dolabro suo* (bipenni) *pergere contra portam vrbis, quae erat metallina, et in porta declarare vires suas cum dolabro. Veniens autem usque ad portam, talem ictum et censuram* (caesuram) *in ipsa porta fecisse perhibetur, quod puer annorum quinque per ipsum foramen exire et intrare satis large potuisset. Facto itaque spectaculo Hungarorum et Graecorum, parata area ad certandum ante portam vrbis, parua hora simul in vnum dimicantes, Graecus in terram per Hungarum est detrusus; et statim sine mora spiritum exhalauit. Quod factum Graecorum imperator, qui stabat in vrbis propugna-* A. C. 934.

 culo,

A. C. 934. *culo, cum coniuge sua pro ingenti verecundia reputantes, auerterunt facies suas, pergentes in palatium. Verum tamen quum Hungari censum repetissent, pro quo certamen commissum fuerat, et pugnatum; dum risum faceret Graecorum imperator de censu postulato, recedentes Hungari de obsidione ciuitatis, depopulati sunt totam Graeciam, haurientes ex ea aurum, gemmas et armenta infinita; sicque ad propria sunt reuersi.* Bene Cl. Praius obseruat, (a) hanc Turotzii narrationem, si cum Graecis contendatur, fabulam potius, ex populari rumore conflatam, quam historiam esse. Nihil enim Cedrenus, nihil alii de singulari hoc certamine, vel de vastata subinde Graecia meminerunt; sed potius Hungaros, Theophanis sagacitate conciliatos, captiuis pretio numerato redditis, sine maleficio rediuisse, scribunt. Vel igitur aliam hi Hungarorum expeditionem narrant, vel Turotzius, e suo multa commentus, historiam e falsis popularium cantilenis conflauit. Quanto cautior Anonymus, qui quum haec adiuncta fabulam olere cerneret, iis fidem adhibendam non censuit; certus, nihil in litteras referre, nisi quod apud auctores idoneos inueniretur. *Sed quidam* inquit, (b) *dicunt, eos iuisse vsque ad Constantinopolim, et portam auream Constantinopolis*

(a) *Ann. vet. p.* 356.
(b) *Cap. XLII.*

polis Botondium cum dolabro suo incidisse; sed ego, quia in nullo codice historiographorum inueni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audiui; ideo ad praesens opus scribere non proposui. Haec Anonymi prudens cautio, quod non promiscue, quicquid ex populari rumore accepisset, pro historia venditare voluerit, quanto maiore mihi laude digna videtur; tanto maiorem monet admirationem illa Cl. Praii crisis: (a) *Ex quo facile coniicias, plus aliquando veritatis rusticorum cantilenas, quam notarii historiam, continere.* Non negat notarius vniuerse, quicquid rusticorum cantilenae perhibent; immo quando hae cum aliorum historicorum testimonio consentiunt, ad illas etiam prouocat, quod eodem etiam capite facit. At, si nullum alium testem, praeter popularem rumorem, habere potuit, prudenter iudicium suspendit. Eiusmodi res erat obsidio Constantinopolis, prout eam ex populari rumore postea Turotzius in litteras retulit. Huic igitur rumori fidem iccirco tantum adhibere nolebat, quod nondum rem illam apud historicos legisset. Certe cantilenae rusticorum, ex quibus huius narrationis adiuncta Turotzius, aut potius Anonymus ille, quem Turotzius descripserat, exprompsit, plus fabulae, quam historiae continent; non igitur video, quomodo plus veritatis haec narratio, quam no-

A. C. 934.

(a) *Diss. X. p. 239.*

A. C. 934. notarii hiſtoria, quae tamen eam non penitus reiicit, contineat.

XLI. Quid contra Saxones tentarunt?

CLXVII Quia haec Hungarorum excurſio, teſtibus Graecis ſcriptoribus, Aprili menſe contigit; longus adhuc illis annus, longius nouennale pacis tempus videbatur, quam, vt ipſo rerum ſucceſſu, quem apud Graecos experiebantur, erecti, diutius illud in occidente prorogare vellent. Quare nouam bello cauſſam quaeſituri, legatis ad Henricum miſſis, conſueta munera tributi loco poſtularunt. Henricus, quum militibus ſuis, bello Slauico Danicoque confirmatis, tantum virium et animorum acceſſiſſe videret, vt frontem Hungaris obuertere iam auderent; legatis non ſine contumelia reiectis, ferrum, non aurum eos exſpectare iuſſit. Hungari, repulſa hac irritati, bellum continuo decernunt, raptisque confeſtim armis, apud Dalemincios conſiſtunt; rati, hos, quibus alias opem aduerſus Henricum tuliſſent, in belli ſocietatem acceſſuros. Sed Dalemincii, vel quod graues illos hoſpites decem abhinc annis experti fuiſſent, vel quod intempeſtiuum eſſe cenſerent, caput vltro periculis obiicere, cognito praeſertim Henrici copiarum apparatu, communionem armorum audacter negant; et, vt abruptam porro ſecum omnem amicitiam ſcirent, muneris loco canem eis per contemtum offerunt. Maior erat Hungarorum in hoſtes, quos ex improuiſo volebant obruere, feſti-

ſtinatio, quam vt ad vlciſcendam hanc contumeliam illic reſiſtere vellent. Quare, vindicta commodiori tempori ſeruata, primum impetum in Thuringiam vertunt, eaque vaſtata, copias bifariam diuidunt, quarum pars ab occidente, pars ab oriente Saxoniam inuaderet. *Rex Henricus*, ſcribit Luitprandus, (a) *grauiſſima valetudine detinetur, et Hungarorum ei aduentus proxime nunciatur. Vix finetenus verba nunciantis audierat; quum directis per Saxoniam nunciis, poſt triduum, quotquot poterat, capitali ſententia ſe adire praecipit. Validiſſimo igitur per quatriduum collecto exercitu, etſi corporis inualidus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout valuit, equum aſcendit, atque collectis in vnum copiis.* (hoc Hungari celeritate ſua praeuertere voluerint, quando procaciam Daleminciorum non ſtatim vindicarunt) *huiusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitauit: - - nunc mala Turcorum neſcia Chriſti gens, inimica DEO, gaudet in omnem eccleſiae populum ducere ferrum. Proh dolor! heroes heus mage quod nunc ſubdere noſtra volunt colla tributo. Sumite nunc animos more virili.* cet. *Talibus itaque rex exhortationibus ad pugnam ſuorum accendi animos videns, indicto cunctis ſilentio, hoc iterum, diuini munere flaminis tactus, adiecit: priſcorum facta regum, ſanctorum ſcripta patrum*

A. C. 934.

(a) *Libr. II. Cap. VIII.*

A. C. 934. *trum nobis, quid agere debeamus, insinuant. Non enim DEO difficile, paucis plures sternere; si tamen horum, qui id agere cupiunt, fides meretur; fides, inquam, non professionis tantum, sed operis; non solummodo oris, sed etiam cordis. Voueamus itaque; ac secundum psalmistam vota reddamus: ego, inquam, ego prius, qui dignitate videor et ordine primus. Simoniaca haeresis, DEO inuisa et a beatissimo apostolorum principe Petro damnata, quae ab antecessoribus nostris hactenus est temere custodita, modis omnibus a nostro sit regno expulsa. Connectet inuicem caritas vnitatis, si quos diuisit calliditas daemonis.* (a) *Rex nonnulla, his similia dicere coeperat, quum volipes nuncius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorum et Sclauorum, esse nunciabat. Adiecerat etiam, eos non modicam paruulorum ac mulierum habere praedam; virorum vero immensam fecisse stragem. Condixerant enim, a decimo et deinceps anno neminem esse superstitem relicturos, quatenus per hoc terrorem non paruum adhiberent Saxonibus. Rex igitur, vt erat animi constans, talibus non terretur; verum magis magisque, vt pro patria pugnare, ac laudabiliter, si necesse sit, occumbere velint, exhortatur. Vinctos interea Hungari, si impugnari debeant, sciscitantur.* Putauerint scilicet, ad solum aduentus sui ru-

(a) *Libr. II. Cap. IX.*

rumorem, Saxones deditionem facturos; quos quum ad bellum egregie comparatos intellexissent, seu, quemadmodum Luitprandus prosequitur, *quumque ab his non aliter posse fieri testaretur; exploratoribus directis, si hoc verum esse possit, exquiritur. Profecti denique exploratores, Henricum regem immenso cum exercitu iuxta praefatum oppidum Meresburgum contemplantur. Denique vix ad suos poterant repedare, aduentum exercitus nunciaturi. Neque enim his fuerat alius, verum rex ipse, belli nuncius. Haud mora: bellum incipitur; atque ex Christianorum parte, sancta mirabilisque vox,* KYRIE; *ex eorum, turpis et diabolica, hui hui, frequenter auditur. Dederat autem rex Henricus suis ante belli inchoationem huiusmodi sapiens ac salubre consilium: quum ad Martis praeludium coeperitis properare, nemo socium velociori, quamquam habeat, attentet equo praeire; verum clypeis altrinsecus operti, primos super scuta sagitarum ictus recipite. Deinde cursu rapido impetuque vehementissimo super eos irruite; quatenus non prius vobis sagittarum ictus secundo possint emittere, quoad vestrorum sibi armorum sentiant vulnera peruenisse. Saxones igitur, admonitionis huius saluberrimae non immemores, ordinata aequaliter acie, currunt; nec est, qui velociori transeat equo tardiorem, verum clypeis, vt rex dixerat, altrinsecus cooperti, sagittarum super clypeos recipiunt ictus innocuos. Deinde, vt prudentissimus vir dixerat, super hos cursu praepeti veniunt;*

A. C. 934.

adeo

A. C. 934. *adeo vt eorum prius vita cum gemitu fugeret, quam secundo iaculorum fulmina mitterentur. Fitque diuini muneris pietate, vt potius hos fugere, quam praeliari iuuet. Velox tunc sonipes gaudet, pigro queritante. Phalerarum praeterea decor armorumque honor non Hungaris tutelae, sed oneri erant. Abiectis quippe arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quo expeditius equi currerent, proiectis, fugae solummodo operam dabant. Verum omnipotens DEVS, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam omnino negabat. Caesis igitur fugatisque Hungaris, immensa captiuorum turba dissoluitur, atque in laetitiae cantum vox gemitus permutatur.* Ita quidem cladem vnius exercitus Hungarorum Luitprandus describit; at quid altera parte factum sit, non attingit. Hoc igitur, vt et initium belli, quod Luitprandus male cum alio connexuit, ex Vitichindo petere iuuat. *Post haec*, inquit ille, (a) *legati Vngarorum adierunt regem pro solitis muneribus; sed ab eo spreti, in terram suam vacui sunt reuersi. Haec audientes Auares, nihil morati, cum graui hostilique manu festinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis esse paratos, pinguissimum pro munere eis proiiciunt*

(a) *Annal. Libr. I.*

unt canem. Et quum non esset iniuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prosequuntur amicos. Igitur, quam poterant, repentino impetu intrant fines Thuringorum, illam totam terram hostiliter peruagantes; ibique diuisis sociis, alii ad occidentem pergebant, ab occidente et meridie Saxoniam quaerentes intrare. Sed Saxones, pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine, caesis ducibus, ceteros illius exercitus occidentalis per totam illam regionem errare fecerunt; quorum alii fame consumti, alii frigore dissoluti, alii autem caesi, vel capti, vt digni erant, miserabiliter perierunt. Atque huius partis caedem Luitprandus, vt supra vidimus, recensuit, alterius casum Vitichindus ita narrat: *Qui autem in oriente remansit exercitus, audiuit de sorore regis, quae nupserat Vidoni Thuringo, - - quia vicinam vrbem inhabitaret, et multa pecunia ei esset auri et argenti. Vnde tanta vi vrbem expugnare coeperant, vt, nisi nox visum pugnantibus impediret, vrbem caperent. Ea vero nocte audientes de casu sociorum, regisque super eos aduentu cum valido exercitu (nam castra metatus est rex iuxta locum, qui dicitur Riaede) timore perculsi, relictis castris, more suo, igne fumoque ingenti agmina diffusa collegerunt. Rex vero postera die producens exercitum, veritus est, quemadmodum euenit, vt hostes, viso milite armato, fugae statim indulsissent; misit legionem Thuringorum cum* A. C. 934.

raro

A. C. 934. *raro milite armato, vt inermes prosequerentur et vsque ad exercitum pertraherentur. Actumque est ita; sed nihilominus videntes exercitum armatum, fugerunt, vt, peracto milliario, vix pauci caederentur, vel caperentur. Castra vero inuasa, et omnis captiuitas liberata est. Rex vero, victor reuersus, modis omnibus gratiarum actiones diuino honori, vt dignum erat, soluebat - tributumque, quod hostibus dare consueuit, diuino cultui mancipauit, et largitionibus pauperum deseruire constituit.* Eumdem hunc euentum belli Hungaris funesti Sigebertus Gemblacensis in pauca haec verba contrahit: (a) *Hungari, tributum a Saxonibus repetentes, ab exercitu regis Henrici occiduntur, aut capiuntur, eisque ad internecionem deletis, tributum, quod repetebatur, DEO pro gratiarum actione in ecclesiis et pauperibus exsoluitur.* In eumdem hunc annum tam annalista Saxo, quam chronicon Hildesheimense ac Mindense hoc bellum consignant; ac postremum etiam numerum exercitus Hungarorum ita notat: (b) *Populus Thuringorum in oppido, quod Lichen vocatur, se recipiens, ibidem a. L. militibus est obsessus; reliquis vero L. millibus in Saxoniam diffusis, et praedas et caedes atrociter agentibus, Henricus imperator tantum quatuor millibus improuisus hostes aggreditur;*

et

(a) *Ad A. C.* 934.
(b) *Ap. Prai. Ann. vet. p.* 355.

et ad confusionem maximam exterminauit. Qui vero de illis gladium euaserunt, miseri nudati recedunt; qui fuga fuerunt elapsi, turpius in paludibus submerguntur; qui vero ad fugam expeditiores erant, venientes ad socios in obsidione Thuringorum tantum fecerant eis horrorem, vt similiter cum fugientibus fugerent. Vt Vitichindus occidentalem, ita horum chronicorum auctor orientalem Hungarorum exercitum ab Henrico caesum ait; vterque tamen alterutrum fuga saluatum asserit. Flodoardus numerum etiam caesorum his verbis prodit: (a) *Contra quos profectus Henricus cum Baioariis et Saxonibus ceterisque quibusdam sibi subiectis omnibus, omnes vsque ad internecionem strauit; quorum XXXVI. millia caesa referuntur, praeter eos, quos absorbuit fluuius, et qui viui capti sunt.* Tam hic Flodoardus, quam Aloldus haec ad annum superiorem figunt; et Aloldus quidem etiam locum caedis eundem, quem e Luitprando vidimus, ita designat: (b) *Gloriosus rex Hainricus, qui Lotharingiam imperio recuperauit, barbaricos Hunnos, innumerabili multitudine in Germaniam irruentes, apud Merseburg cruenta strage deleuit. In hoc praelio Albertus de Babenberg fortissimo ense, cum multo fauore regis, depugnauit; sed ense hostili cadens, regi et patriae vitam im-*

A. C. 934.

(a) *Ad A. C.* 933.
(b) *Ad A. C.* 933.

A. C. 935.

immolauit. Quia tamen et plures, et accuratiores chronologi bellum istud collocant ad A. C. 934. plus iis deferendum videtur. Incertum etiam est, an, quod Flodoardus memorat, duabus exercitus Hungarici partibus Saxoniam et Thuringiam populantibus, in Italiam tertia procurrerit. Quod licet admitteretur; vix tamen eadem haec procursio fuisset cum ea, cuius Luitprandus meminit, (a) vt Cl. Praius opinatur. (b) Hanc enim cum iis adiunctis Luitprandus refert, vt appareat, non Henrico, sed Ottone rerum potiente, factam esse. Differendam igitur ad huius tempora censemus.

A. C. 935. Zolt. 29. Indict. 8.

XLII. An Burgundiam et Italiam post cladem Saxonicam inuaserunt?

CLXVIII. Hungaros, accepta clade nihil territos, reparatis per hiemem copiis, in Burgundiam irrupisse, Cl. Praius scribit, (c) actisque praedis, Italiam summa celeritate percurrisse, denique nonnullam a Marsis et Pelignis in reditu cladem accepisse. Sed enim, quum haec Leonis Ostiensis auctoritate nitantur; hic autem, istam Hungarorum excursionem indictione X. factam esse, testetur; eam differendam esse patet ad A. C. 937. in quem incidit indictio X. Quare Hungari hoc anno necessa-

(a) *Libr. V. C.* 8.
(b) *Ann. vet. p.* 356.
(c) *Ann. vet. p.* 357.

essaria quiete vires attritas instaurauerint ac ad nouas expeditiones sese comparauerint.

A. C. 935.

A. C. 936. Zolt. 30. Indict. 9.

XLIII. Quid post Henrici, Germaniae regis, obitum egerunt?

CLXIX. Postquam Henricus Auceps 2. Iulii pie decesisset, eique suffectum filium Ottonem Hungari comperissent; noui regis virtutem exploraturi, Franciam orientalem inuaserunt, ac irruptionem in Saxoniam ab occidentali plaga tentarunt. Otto, nihil cunctatus, occurrit iis cum exercitu valido; nec prius destitit, quam illos e ditionibus suis exegisset. *Antiqui hostes*, inquit Vitichindus, (a) *Hungari venere, virtutem probare noui regis. Intrantes autem Franciam* (orientalem) *statuerunt, si possent, ab occidentali plaga inuadere Saxoniam. Rex autem audiens, nihil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugauitque et a terminis suis abegit.* Hac irruptione contigerit ea caedes virginum DEO dicatarum, de qua Ditmarus ita loquitur: (b) *Hoc tempore moniales in Ouerenkerken cum clericis et familia sua numero centum et viginti, ipso die SS. Felicis et Adaucti ab Hungaris occisae sunt.* Annum caedis ipse Ditmarus his versibus memnosinis indicat: (c) *Anno nongento, ter X. sexto simul an-*

(a) *Annal. Libr. II.*
(b) *Libr. II.*
(c) *Ap. Prai. ann. vet. p. 358.*

A. C. 937.

no, tunc Ouerenkerken occisae sunt moniales. Hinc pulsi Hungari videntur in Burgundiam impetum vertisse; sic enim chronographus Besuensis loquitur ad hunc annum: (a) *Venerunt Hungari in Burgundiam mense Iulio.* Lupus autem Protospata procursionis eorumdem in Italiam ita meminit: (b) *Venerunt Vngari Capuam.* Sed id ad annum sequentem videtur referendum, vt mox videbimus.

A. C. 937. *Zolt.* 31. *Indict.* 10.

XLIV. Qua fortuna Bauariam, Alemanniam, Alsatiam, Galliam, Italiam peruagati?

CLXX. Hungari tamdiu Bauariae parcendum censuerunt, quamdiu superstes Arnulfus, cum quo foederis communionem habebant, ei praefuit. At duce hoc rebus humanis nunc exemto, soluti nexu foederis, in arma ruerunt, ac Bauariam omnem, tot annos intactam, licentius euastarunt: inde per Alemanniam et orientalem Franciam caedes et incendia sparserunt: Rheno Vormatiae transmisso, non tantum Alsatiam et Lotaringiam; sed ipsam ad oceanum vsque Galliam, igne ferroque grassando, percurrerunt. Hanc Galliae vastationem laudatus chronographus Besuensis ita narrat: (c) *Iterum anno DCCCCXXXVII. incarnati verbi, Ludouico, filio Caroli,* vn-

(a) *Ap. Pag. T. III. p.* 835.
(b) *Murat. T. V. p.* 39.
(c) *Ap. Pag. T. III. p.* 835.

vncto in regem et nondum eo anno euoluto, Hungari venientes per Franciam et per Burgundiam atque Aquitaniam, deuastauerunt omnia. Ne vero nesciremus, quo mense haec ab Hungaris acta sint; chronicon S. Petri Viui, postquam Ludouicum Transmarinum Caroli Simplicis filium, in regem Galliae XIII. kal. Iulii (19. Iunii) coronatum fuisse scripsisset; ita tempus incursionis designat: (a) *Secundo anno post haec, XV. kal. Martii a Gallorum cantu vsque ad lucem diei, sanguineae acies, per totam coeli faciem apparuerunt. Sequenti autem mense, IX. kal. Aprilis* (24. Martii) *Hungari, adhuc in paganismo perdurantes, Franciam, Burgundiam, Aquitaniam ferro et igne depopulari coeperunt. Peruenientes autem Senones ciuitatem, incenderunt coenobium S. Petri, vastantes omnem prouinciam. - - Remanente ibi solummodo oratorio S. Serotini, quod minime potuerunt incendere.* Plures eiusmodi Hungarorum conatus irritos cecidisse, Flodoardus quoque notat: (b) *Coeli pars,* inquit, *ardere visa est, et Vngarorum persequutio ab eadem parte per Franciam insequuta est, qua villae et agri depopulati, domus basilicaeque conflagratae, captiuorum educta multitudo. Nonnullas tamen ecclesias, ignibus applicitis, non valuere succendere. Ecclesiam S. Macrae apud Rhemos, duabus* A. C. 937.

(a) *Ap. Pag.* T. III. p. 835.
(b) *Ap. Baron. ad A. C.* 937.

A. C. 937. *etiam ſegetum metis, quae parietibus paene ipſius, quibus inhaerebat, exuſtis, incendere nequiuerunt. In eccleſia B. Baſoli, quum quidam Vngarorum, aſcendere ſuper altare nitens, arae manum applicuiſſet; ipſa manus eius altaris inhaeſit lapidibus, nec omnino quiuid auelli, donec, ceteris Vngaris arae ſaxum circa ipſam manum incidentibus, partem lapidis, qui manui eius inhaeſerat, in admirationem omnium perferre conatus* (coactus eſt) *ethnicus. Quidam presbyter de Bauonis curte, ſic enim villa vocatur eius eccleſiae, nomine Adalgarius, captus eſt ab eis et adductus vsque ad pagum Bituricenſem. Qui quum eſſet in vinculis et compedibus ferreis; noctu viſio cuidam concaptiuo apparuit, iuſſumque eſt, vt diceret eidem presbytero, quatenus fugam caperet, vt ſe reſolutum videret; pariterque cum viſione catena ipſius reſerata eſt. At ille, mortem metuens, quam barbarus illi ſaepe minabatur, ſi eum de fuga forte reprehendiſſet; catena ſibi pedes reuinciens, et ſeram, quae exilierat in compede, requirens, iterum munire ſibi ſera ſtuduit vincula, non auſus euadere fuga. Nocte altera iterum viſio memorata facta eſt captiuae, quae presbyterum ad eamdem fugam roboraret; iterumque vincula ipſius reſoluta ſunt. Animatus ad id tunc tandem presbyter, fugam petiit, et in palude quadam diebus aliquibus latens, vbi praeteriiſſe barbaros comperit; patriam tum demum repetiit. Is nobis retulit, quod viderit in eadem hac captiuitate quemdam Orbacenſis*

coe-

coenobii monachum, nomine Hucbaldum, quem frequenter ethnici trucidare voluerunt, nec carnem eius incidere valuerunt; DEVM ergo eum esse dicebant. Haec testis synchroni verba speciem excursionis Hungarorum egregie repraesentant; sed Vitichindus alia quaedam monasteria, quae Hungarorum saeuitiem experta sunt, commemorat, dum, Ottonis I. morte relata, scribit: (a) *Huius anno primo, qui est a dominica incarnatione DCCCCXXXVII. Vngari, Franciam et Alemanniam, et Galliam vsque ad oceanum, Burgundiamque deuastantes, per Italiam redierunt. Monasteria S. Galli et Bonifacii cremantur.* Idem nonnihil vberius Hermannus Contractus ita refert et confirmat: (b) *Vngarii, per Baioariam Alemanniamque et orientalem Franciam praedis, gladio igneque furendo vagantes, transito Vormatiae Rheno, Alsatiam, regnum Lotharii et adiacentes vsque ad oceanum Gallias vastantes, per Burgundiam Italiamque tandem in Pannoniam redierunt. Monasteria S. Bonifacii sanctique Galli incendio conflagrauerunt.* Trenorchium quoque cum monasterio tum ab Hungaris incendio deletum fuisse, Falco Trenorciensis tradit. Et quum eamdem incursionem Hungarorum ad eumdem annum etiam Marianus Scotus et continuator Reginonis alligent; de tempore, A. C. 937.

 quo

(a) *Annal. L. III.*
(b) *Ad A. C. 937.*

A. C. 937. quo tam funesta Hungari vestigia per Galliam reliquerunt, nullum esse dubium potest. Quid autem iidem in Italia, per quam eos rediisse Vitichindus et Hermannus tradunt, egerint; ex Italis scriptoribus optime discemus. Ex his insignis est locus Leonis Ostiensis, vbi cladem Italicam ita describit: (a) *Indictione decima venientes innumerabiles Vngari, omnia circa Capuam praedati sunt. Eadem vero et Beneuenti fecerunt, Sarnum vsque ac Nolam discurrentes et deuastantes omnia peragrantesque Liburiam, iterum Capuam reuersi, diebus duodecim in campo Gariliano commorati sunt. Quo scilicet tempore multos ex hominibus nostris, Cassinensis scilicet monasterii, captiuos duxerunt. In quibus redimendis ea expendimus, quae infra notantur: coronam argenteam magnam cum catenis argenteis; pocula argentea quatuor; thuribulum argenteum inauratum; cochlearia argentea tria, ponderis librae, tarenos* (genus aureae monetae) *viginti; planetam diarodinam* (rosei coloris; rodon enim Graece, rosam Latine significat) *Byzantiorum viginti; planetam aliam cum listis argenteis Byzanteorum sexdecim; planetam aliam cum leonibus; vlnas de pallio longitudine passuum quatuor, latitudine palmorum trium; pannum altaris diarodinum pro Byzanteis octo; ostiales tres pro Byzanteis tredecim; astancas duas pro Byzanteis octo; pa-*

(a) *Libr. I. C. LVIII.*

puluinaria serica pro Byzanteis decem. Et inde victoria elati, onusti praeda, Marsorum fines ingressi sunt; et eadem facere coeperunt, incendentes et depopulantes omnia. Nutu igitur DEI, Marsi ac Peligni in vnum conuenientes, in eos, dispositis insidiis, irruunt, et omnibus fere trucidatis, ingentem praedam retulerunt. Quicumque autem ex eis euasere Marsorum gladios, fuga dilapsi, ad suos se receperunt. His gemina Cl. Praius ex chronico Cassinensi, cuius auctor idem Leo, Cardinalis Ostiensis, habetur, paucis immutatis, ad A. C. 937. adfert; (a) vnde patet, haec non ad A. C. 935. sed ad hunc esse figenda, ad quem etiam chronicon Floriacense Hungaros Capuam ingressos ita memorat: (b) *Intrauerunt Hungari in Capuam.* Quare Lupus etiam Protospata, quum ad superiorem annum ait: (c) *Venerunt. Vngari Capuam;* ac Ignotus Barensis, quum ad eundem annum scribit: (d) *Venerunt Vngri in Capua;* in anno corrigendi videntur. Ab Hungaris tot tantasque res vno hoc anno peragi potuisse, nisi tot auctorum testimoniis doceremur, vix credere possemus. Patrii quoque scriptores tot prouinciarum, ab Hungaris vna hac procursione vastatarum, licet ordine confuso, meminerunt. Anonymus male putat, ad vl-

A. C. 937.

(a) *Diss. X. p.* 239.
(b) *Ap. Prai. loc. cit.*
(c) *Murat. T. V. p.* 39.
(d) *Murat. T. IV. p.* 328.

A. C. 937. vlciſcendam Lehelis et Bultſu caedem, quae ſerius contigit, hanc expeditionem ſuſceptam fuiſſe, quam ita deſcribit: (a) *Dux vero Zulta - - miſit exercitum magnum contra Athonem* (Othonem) *regem Teutonicorum; quibus principes et ductores fecit Botundium, filium Culpuun, et Zobolſum, filium Eleud, nec non Ircundium, filium Euſee. Qui quum egreſſi eſſent a duce Zulta; rurſum Bauariam, Alemanniam et Saxoniam atque Thuringiam in gladio percuſſerant; et exinde egreſſi in quadrageſima* (chronicon quoque S. Petri Viui IX. cal. Apr. hoc factum refert; fuit autem paſcha hoc anno 2. Aprilis) *tranſierunt Rhenum fluuium, et regnam Lotharienſe in arcu et ſagittis exterminauerunt; vniuerſam quoque Galliam atrociter affligentes, eccleſias DEI crudeliter intrantes, ſpoliauerunt. Inde per abrupta Senonenſium* (vbi nunc Burgundia) *per populos Aliminos, ferro ſibi viam et gladio aperuerunt. Superatis ergo illis bellicoſiſſimis gentibus, et naturali ſitu locorum tutiſſimis, montes Senonum transſcenderunt, et Seguſiam* (Alpibus adſitam) *ceperunt ciuitatem. Deinde egreſſi, Taurinam, ciuitatem opulentiſſimam, expugnauerunt; et poſtquam planam regionem Lombardiae aſpexerunt; totam paene Italiam, bonis omnibus affluentem et exuberantem, concitatis curſibus, ſpoliauerunt. Deinde vero Botond,*

(a) *Cap. LVI.*

tond, filius Culpun, et Vrcun (quem Ircundium supra vocauit) *filius Eusee, superatis omnibus gentibus praememoratis, felici victoria fruentes, ad propria regna reuertuntur.* Haec sane cum exterorum, quos supra laudauimus, testimonio mire cohaerent; quae tamen Anonymus de Saxonia Thuringiaque vastata scribit, melius referuntur ad A. C. 934. Quae vero huic narrationi praemittit, ad A. C. 955. Vt adeo non tam gestorum, quam temporum, sub Zoltano nimis perturbatorum, error in eo deprehendatur. Fatendum enim est, Anonymum non eam in persequendis Zoltani, quam Arpadi, rebus diligentiam adhibuisse; fortasse, quod propositum habuerit, vt in praefatione loquitur, *exordium genealogiae regum et nobilium Hungariae, ceteris leuiter insinuatis, ad posteros transmittere.* Ceterum vel ista, quae hoc loco narrat, satis indicant, illum non exteris, quorum phrases non vsurpat, sed domesticis auctoribus vsum fuisse; quibus Turotzium etiam vsum esse, licet non perinde sinceris ac integris, ipsae phrases arguunt. *Galliam*, scribit ille, (a) *atrociter affligentes, crudeliter in ecclesiam DEI saeuientes, Metenseque, Treuirense et Aquisgranense territorium igne deuastantes; deinde per abrupta montium Senomensium populos exterminantes, viam sibi gladio aperientes parauerunt. Ibi siquidem*

A. C. 937.

(a) *Chr. P. II. C. XXV.*

A. C. 937. *Segusam Taurinamque ciuitates destruxerunt, montesque praefatos perforantes, planum Lombardiae quum vidissent, totam paene prouinciam, concitatis cursibus, vastauere; et ita ad proprium regnum cum victoria reuersi, annis 20. immobiles in regno permanserunt.* Postremum hoc e suo Turotzius addiderit; quis enim credat, Hungaros, procursionibus in hosticum assuetos, vicenos annos in ocio traduxisse? Certe videbimus, illos annis consequentibus Saxoniam, Graeciam, Italiam vastaturos. Nihil hic Turotzius de ducibus, quorum auspiciis haec acta sunt, commemorat, quod tam integros eum fontes, ac Anonymum, non habuisse, satis indicat. Anonymus porro tres duces ad hanc expeditionem a Zoltano missos esse; duos tantum cum victoria reuertisse, scribit; quo satis innuit, tertium cladem accepisse. Szaboltsius (*Zobolsus*) ille fuerit, a Marsis et Pelignis in Italia caesus, de quo Leonis Ostiensis testimonium supra vidimus, ac in chronico Cassinensi fusius ista legimus: (a) *Omnipotentis itaque nutu Marsi ac Peligni simul conuenientes, positis insidiis, irruerunt super eos, et vniuersos fere interficientes, ingentem nimis praedam in auro et argento, palliis et tapetis, nec non et diuersi generis animalibus, de illorum manibus extorsere. Quotquot autem illorum euadere Marsorum gla-*

(a) *Libr. I. C. LV.*

gladios potuere, fuga dilapsi, in sua reuersi sunt. Vnde mihi quidem videtur solus Szaboltsius in Italiam cum parte copiarum transiuisse, ceteris in Hungariam cum spoliis, quae per Galliam collegerant, reuersis; de quibus Anonymus ita narrationem suam concludit: (a) *Tunc Hoto* (Otto) *rex Teutonicorum, posuit insidias iuxta Rhenum fluuium; et cum omni robore regni sui eos inuadens, multos ex eis interfecit. Botond et Vrcun ac reliqui exercitus, magis volentes mori in bello, quam appropriatam sibi victoriam amitterent, tunc hostibus pertinaciter insistunt, et in eodem bello quemdam magnum ducem, virum nominatissimum, interficiunt, et illos, grauiter vulneratos, in fugam conuertunt; quorum spolia diripiunt et exinde ad propria redeunt regna cum magna victoria.* Quia tamen mentio hic occurit magni ducis, inter hostes occisi, sub quo Conradum, in Augustano praelio caesum, latere suspicor; haec postrema, rursus cum aliis rebus confusa, verosimilius aliqua parte referenda sunt ad A. C. 955. Hic exitus fuit memorabilis huius expeditionis, qua terminata, vel potius, vt postea videbimus, Augustana clade Hungaris illata, Botondium Anonymus scribit, belli laboribus attritum, ex hac vita demigrasse sepultumque iuxta fluuium Verötze (*Vereucea*) Clarum hunc tanti ducis sepulcro locum,

A. C. 937.

(a) *Cap. LVI.*

A. C. 938. cum, clariorem serius reddidit purpuratus S. R. E. et S. R. I. princeps Christophorus e comitibus Migazzi, Viennensis archimysta Vaciensisque dioecesis administrator, qui pro suo suorumque successorum aestiuo secessu venustissimum illic palatium, Migazziburgum ab illustri nomine suo dictum, excitauit, ac ad omnes delicias multis nitidisque conclauibus, quae figuras veteres, ab eruditis Herculanensibus erutas, artificioso penicillo huc traductas, exhibent, magnis sumtibus instruxit. Vtinam vero grandes purpurati huius principis ad ornandum suum Vacium molitiones, quas dudum in aduersaria mea retuli, aptiore loco vulgare propediem possem! Interim, id fieri per alios labores meos dum liceat, exstare hic publicum memoris animi testimonium eorum fauorum volui, quos ab exquisita tanti principis humanitate tam hic, quam Vacii sum expertus.

A. C. 938. *Zolt.* 32. *Indict.* 11.

XLV. Quam iterum cladem in Saxonia passi?

CLXXI. Hungari, tot regiones paullo prius emensi, vix aliqua sibi quiete concessa, rursum arma corripiunt, et Saxoniam, ad vlciscendam illic acceptam cladem, infesti petunt. Rem illis haud ex voto cessisse, Hermannus Contractus ita perhibet: (a) *Vngarii, Saxoniam inuadentes,*

(a) *Ad A.* C. 938.

tes, a Saxonibus pugna victi caesique fugantur. Idem eadem breuitate continuator Reginonis et Marianus Scotus tradunt, fusissime Vitichindus, ex quo rei gestae modum audire iuuat: *Antiqui hostes*, inquit ille, (a) *Vngari subito irruunt in Saxones, et castris super litus Bodae fluminis collocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem, missus a castris cum parte exercitus, eo die ad vesperam signa mouit circa vrbem, quae dicitur Stiedereburg. Vrbani autem, videntes hostes ex itinere et ex pluuia, quae ingens erat, segniores, audacter erumpunt portis, et clamore primum territantes, demum repente in aduersarios irruentes, plurimis ex eis caesis, et copiosa equorum multitudine cum aliquibus signis capta, ceteros fugere compulere. Vrbes, quas obuias habuere, illorum fugam animaduertentes, armis eos omnibus locis vrgebant; et maxima ex eis parte prostrata, ducem ipsum in quemdam luti puteum cogentes oppressere. Alterae autem partis exercitus, ad aquilonem versus, et arte cuiusdam Sclaui in locum, qui dicitur Trimmining* (Drömling) *deductus, difficultate locorum ac manu circumfusus armatorum, periit; timoremque nimium ceteris incussit. Dux autem illius exercitus, cum paucis elapsus, comprehenditur, et ad regem deductus, pretio magno redimitur. His auditis, castra ho-*

A. C. 938.

(a) *Annal. Libr. II.*

A. C. 938. *hostium omnia turbata, fuga salutem quaesiere; nec vltra per XXX. annos in Saxonia apparuere.* Quod scilicet, accepta semel, iterum ac tertio clade, regionem hanc suis conatibus admodum infestam experti fuerint. Incertum autem est, an iidem etiam Austriam vel in abitu, vel in reditu tentauerint. Nam Aloldus in suis notulis, postquam Ottonem Henrico mortuo successisse male notasset ad A. C. 937. haec subiicit: (a) *Hunni Osterrichiam irruptionibus et rapinis semper vexantes, anno sequenti (938.) etiam in Germaniam iterum irrumpere tentarunt. Sed Rutgerus iunior de Pecklarn, orientalis comes, diligenter vigilauit.* Haec quidem Cl. Praius referenda censet ad A. C. 937. (b) quod altero post Henrici mortem anno laudatus Aloldus ea facta scribat; mortuus autem sit Henricus A. C. 936. Quod etsi certum sit ex continuatore Reginonis aliisque; quia tamen Aloldus male scribit, eum mortuum anno sequenti; nec isto statim Austriam tentasse Hungaros ait; hic Hungarorum conatus figendus videtur ad A. C. 938. Alioqui Germaniam anno superiore non tantum inuadere tentarunt, sed etiam inuaserunt, vt iam vidimus.

A.

(a) *p. m.* 92.
(b) *Ann. vet. p.* 357.

A. C. 939. Zolt. 33. Indict. 12.

A. C. 339.

XLVI. An iterum in Saxonia caesi?

CLXXII. Sigebertus quidem Gemblacensis ad hunc annum scribit: *Hungari a Saxonibus grauiter caeduntur*; sed quia non est verosimile, Hungaros post cladem nuper acceptam, de qua nihil Sigebertus, in Saxoniam tam cito rediisse, in qua Vitichindus eosdem per annos tricenos non apparuisse scribit; quod hic Sigebertus notauit, ad anni superioris cladem est referendum.

A. C. 940. Zolt. 34. Indict. 13.

XLVII. An rursus Italiam ingressi?

CLXXIII. Hungaros Italiam Aprili mense rursus inuasisse, constat ex Lupo Protospata, qui haec ad hunc annum breuiter more suo notat: (a) *Introiuerunt Vngari, vel Vnni, in Italiam mense Aprilis.* Occasionem huic irruptioni dederit simultas inter Berengarium iuniorem et Hugonem, Italiae regem; huic enim insidiatus Berengarius, insidiisque tempori detectis, in discrimen amittendorum oculorum adductus, ad Ottonem in Germaniam effugit.

A. C. 941. Zolt. 35. Indict. 14.

XLVIII. Quando Hugo vexationem Italiae 10. modiis numorum redemit?

CLXXIV. Quum Hugo frustra Berengarium ab Ottone, promissis ei pecuniis, repe-

(a) *Murat. T. V. p.* 39.

A. C. 942. peteret; has ad redimendam Hungarorum vexationem conuertiſſe videtur. Nam etſi Luitprandus certum annum huius rei non deſignet; poſt fugam tamen Berengarii haec narrat: (a) *Hoc in tempore rex Hugo, datis decem numorum modiis, pacem cum Hungaris fecit; quos ab Italia, acceptis obſidibus, expulit, atque in Hiſpaniam, dato eis praeduce, direxit. Quod vero et ad Hiſpaniam, et ad ciuitatem ipſam, in qua rex morabatur, Cordubam non venerint, haec cauſſa fuit; quoniam triduo per inaquoſam et aſperam viam ducti, quum timerent, ſe ſiti perituros, praeduce ſibi ab Hugone conceſſo morte tenus vulnerato, celeriori curſu reuerſi ſunt* Verebantur ſcilicet, ne quas nuper in Saxonia Slauus ille, has iſte nunc viae dux inſidias pararet.

A. C. 942. *Zolt.* 36. *Indict.* 15.

XLIX. Quantam Bertolfus in Bauaria cladem Hungaris intulit?

CLXXV. Hungari, cum multis ſpoliis in patriam reuerſi, Bauariae rurſus imminebant. Hanc Bertolfo, defuncti ducis Arnulfi germano, procurandam Otto commiſerat; qui bellica virtute clariſſimus iam antea Tirolenſem prouinciam adminiſtrauit. Bertolfus, aliis Bertholdus, audito Hungarorum aduentu, copias propere contrahit et ad Traunum fluuium iis occurrit. Commiſſa ſub medium Auguſti pugna, Hungari

(a) *Libr. V. C. VIII.*

gari malo suo didicerunt, praestantem belli ducem grandis instar exercitus esse. Nam, vt chronicon Salzburgense habet: (a) *Vngari in Bauaria in Trungau* (ad Trunum, seu Traunum fl.) *a Pertoldo occisi sunt.* Idem testatur Vitichindus: *Illis diebus, inquit,* (b) *Bertholdus, frater Arnulfi, procurabat Baioariam; pugnansque contra Vngaros, victorque exsistens, triumpho celebri factus est clarus.* Idem Hepidanus, sed ad annum sequentem: *Omnis Agarenorum exercitus a Baioariis occisus est.* Ad eumdem annum Hermannus, *Vngarii*, scribit: *Baioarios inuadentes, pugna cum eis commissa, victi, terga verterunt.*

A. C. 943.

A. C. 943. *Zolt.* 37. *Indict.* I.

L. Quomodo Romanus Lacapenus e Graecia Hungaros reiecit

CLXXVI. Hungari, quasi nouas ab hac clade vires accepissent, Aprili mense cum ingentibus copiis orientalis imperii fines ingressi, tantum Romano Lacapeno, Graecorum imperatori, metum incusserunt, vt is, exercitum obiicere non ausus, rursus Theophanem, cuius prudentia nouem abhinc annis pacem cum illis composuerat, ad eos miserit. Hic eadem, qua prius, vsus dexteritate, rem eo deduxit, vt Hungari, datis obsidibus viris illustribus, inducias in quinquennium pacti, copias in-

(a) *Ad A. C.* 942.
(b) *Ann. Libr. II.*

A. C. 944.

de deduxerint. *Indictione prima*, scribit continuator Theophanis, (a) *mense Aprili, rursus Turci cum ingentibus copiis Romanae ditionis fines inuaserunt. Egressus vero Theophanes patricius accubitor, pacis cum eis foedus percussit, acceptis obsidibus ex illustrioribus. Hincque adeo contigit, in annos quinque pacem induciasque seruari.* Idem ad verbum scribit Georgius Monachus; (b) Idem breuius Symeon Logotheta; (c) idem Cedrenus. (d) Vnde Stiltingus coniicit, (e) inter illustriores obsides fuisse Bolosudem et Gylam, qui paullo post Constantinopoli baptismum susceperint. At videbimus, haec serius sub Constantino Porphyrogenito facta; nec iis adiunctis a Graecis scriptoribus vestita, quae hos obsides fuisse doceant.

A. C. 944. Zolt. 38. Indict. 2.

LI. Quomodo Carentanica procursio Hungaris successit?

CLXXVII. Funestum hunc Hungaris annum fuisse, plerique scriptores consentiunt. Tentauerant illi quidem aditum in Germaniam saepe iam trita per Austriam via; sed Leopoldus, primus e Babenbergicis Austriae marchio, hoc anno, si fides est Alol-

(a) *Ed. Ven. p.* 200. *Par.* 267.
(b) *Ed. Ven. p.* 440.
(c) *p.* 366.
(d) *p.* 494.
(e) *Vit. S. Steph.* §. *VI.*

Aloldo, prouinciae huic ab Ottone praefectus, eorum consiliis tempori detectis, malo feliciter obuiauit. *Luitpoldus itaque*, scribit Aloldus, (a) *hoc anno in hanc terram aduenlens, Hunnorum irruptionem et hoc, et quarto postea anno impediuit, prouide omnia regi et vicinis celeriter per nuncios prodens, quae ipsi moliebantur; vt vnusquisque ante fores suas sollicitus excubaret, et hostis inhumanus introitum non reperiret.* Hungari, postquam aditum ab ea parte clausum obseruassent; viam per Carinthiam ad solitas populationes rimabantur. Sed enim hac quoque parte paratas aduersum se copias offenderunt, cum quibus praelio congressi, tanta caede prostrati sunt, vt maximis, quas vnquam acceperant, cladibus ea strages aequaretur. Id vno consensu scriptores exteri testantur, e quibus continuator Reginonis ita cladis magnitudinem expressit: (b) *Hungari a Carentanis tanta caede mactantur, vt numquam a nostratibus antea taliter infirmarentur.* Breuius alii cladis eiusdem meminerunt; et quidem Conradus Vrspergensis: *Vngari*, inquit, (c) *cum Baioariis pugnant et vincuntur.* Chronicon Salzburgense: (c) *Hungari cum Bauaris et Carentanis pugnantes, vincuntur.* Cosmas Pragensis: (c) *Vngari*

A. C. 944.

 a

(a) *Ad A.* C. 944.
(b) *Ad A.* C. 944.
(c) *Ad A.* C. 944.

A. C. 945. *a Carinthiis multa caede mactantur.* Nec igitur de clade, nec de cladis anno tot testes nos dubitare sinunt.

A. C. 945. *Zolt.* 39. *Indict.* 3.

LII. An Hungari, post cladem Carentanicam Pannonia n deseruerunt?

CLXXVIII. Etsi Lupus Protospata scribat: (a) *Anno* 945. *indict. III. perierunt Vngari a rege Othone;* vix tamen est credibile, Hungaros, anno superiore maxima clade prostratos, rursum in arma prouolasse nouamque hoc anno cladem accepisse. Quare videntur haec ad superiorem annum referenda, quo non tam ab Ottone, quam ab eius ducibus, Hungaros fuisse caesos, scriptores supra laudati testantur. Post eam cladem opinatur Hansizius, (b) et cum eo Cl. Praius, (c) Hungaros non solum Noricum, sed Pannoniae quoque partem deseruisse, propterea, quod Porphyrogenitus scribat: (d) *Inde magna Morauia, baptismo carens, quam Turcae deseruerunt; cuiusque princeps olim fuit Sphendoplocus.* Per magnam Morauiam, ex adiunctis itineris, a Constantino descripti, Pannoniam accipi debere, monet Cl. Praius; quam Hungari verosimilius non alias deseruerint, quam post acceptam in Caren-

(a) *Murat. T. V p.* 39.
(b) *Germ. S. T. I. p.* 169.
(c) *Ann. vet. p.* 362.
(d) *De adm. imp. C.* 40.

rentania cladem A. C. 944. si quidem iam tunc eam deseruerunt, quum ista Porphyrogenitus scripsit A. C. 949. aut sequente. Sed enim, qui Constantinum exactius reddiderunt, pro *deseruerunt*, habent *deuastarunt*. Et vero, si Hungari Pannoniam aeuo Constantini deseruerunt, quomodo Franciam, seu Germaniam, ad occidentem conterminam eiusdem aetate habere poterant? quod tamen ille sic affirmat: (a) *Turcis hae gentes conterminae sunt: ad occidentem Francia.* Quomodo paullo post idem auctor subiicere potuisset: *Ad meridiem magna Morauia, seu Sphendoploci regio, quae omnino a Turcis vastata est; et ab ipsis iam obtinetur*? Ex hoc sane textu patet, priorem, vt illum Hansizius refert, ita corrigendum, vt a Turcis magnam Morauiam non desertam, sed vastatam, intelligamus, quam deinceps incoluerint. A. C. 946.

A. C. 946. Zolt. 40. Indict. 4.

CLXXIX. Hac armorum quiete Zoltanus ad domesticas res curandas vsus, quum iam Toxus, eius filius, pubertatis annos attigisset; vxorem illi de terra Cumanorum sumsit, acceptoque procerum et militum iuramento, suum successorem eumdem designauit. *Dum dux Zulta*, scribit Anony- LIII. Quando Toxo, volente Zoltano, fidem iurarunt?

(a) *De adm. imp.* C. XIII.

A. C. 947. nymus, (b) *et sui milites ita radicati essent; tunc dux Zulta duxit filio Tocsun vxorem de terra Cumanorum; et, ipso viuente, accepit iuramenta suorum nobilium, et filium suum Tocsun fecit ducem ac dominatorem super totum regnum Hungariae.* Haec indicare videntur, supremam in Hungaros potestatem in filium a patre translatam esse; siue quod affecta valetudine, quod tot clades innuere videntur, ipse fuerit; siue, quod videre filium, supremo iure suis dominantem, pulchrius omni regno censuerit. Certe, quum paullo post idem Anonymus ait, Zoltanum *tertio anno regni sui filii* mortuum, aperte satis innuit, non patrem dehinc, sed filium, regnasse. Si proinde tertio post anno Zoltanum fuisse mortuum ostenderimus; haec ad anni huius exitum, aut sequentis initium esse collocanda simul euincemus.

§. IV.

TOXVS, DVX IV.

Coepit A. C. 947. desiit A. C. 972.

A. C. 947. Toxi, 1. Indict. 5.

CLXXX.

I. Qua fortuna Toxus primum impetum in Italiam vertit?

Postquam Zoltanus, seu morbis fractus, seu videndi successoris filii cupidus, in

(a) *Cap. LVII.*

in eum fupremum Hungariae principatum transtuliffet; hic, vt erat, ingenii praeferocis aetatisque viuidae, natus annos 17. initia principatus illuftri facinore condecoraturus, quo primum arma conuertere deberet, deliberare coepit. Viciniffima quidem Bauaria fuit; fed occurrebat, excurfiones illuc fufceptas plerumque male ceffiffe Hungaris, ex quo Henricus Auceps, militibus ad omnem difciplinam inftitutis, multas arces et vrbes, veluti perpetuos aggeres, Hungarorum irruptionibus obiecit; ad quas expugnandas illi, ftatariae pugnae nondum affueti, nec arte, nec machinis inftructi fuerant. Quum igitur feliciores femper expeditiones in Italiam Hungari fufceperint; eamque mutuis partium ftudiis, inter Lotarium, Hugonis filium, et Berengarium iuniorem, fenioris e Gifela filia nepotem, excitatis, fciffam audiuiffent; huc primus armorum impetus vertendus videbatur. Ac in Italiam quidem anno hoc irrupiffe Hungaros, ex Lupo Protofpata difcimus: *Introierunt*, inquit ille, (a) *Vngari in Italiam et perrexerunt vfque Hydruntem*. Quare nec Auentinus temere hanc incurfionem ad hunc annum fixit, licet, ordine confufo, Bauaricam expeditionem illi his verbis praemiferit: (b) *Taxus, Vgrorum rex, a Boiis male acceptus, iram*

A. C. 947.

 in

(a) *Ad A. C. 947.*
(b) *Ann. Boic. l. IV.*

A. C. 947. *in Italos imbelles, dites dissentientesque conuertit: Italiam robore Vgrorum aggreditur: Berengarius, rex Langobardorum, decem modiis numum pacem ab hoste precatur. Lactantes, infantes, pueri, puellae, viri, feminae, sacrati, profani, quisque censum pro capite, nempe numum, pependit.* Vt huius irruptionis annum Lupus Protospata docet; ita, quae Hungari, Hydrunte reuersi, per Lombardiam extorserint, Luitprandus, scriptor synchronus, ex quo sua mutuatus est Auentinus, ita recenset: (a) *Per idem tempus* (narrat haec post mortem Hugonis, quae contigit A. C. 946.) *Taxis, Hungarorum rex, magno cum exercitu in Italiam venit, cui Berengarius non ex propria pecunia, sed ex ecclesiarum ac pauperum collectione, decem modios numorum dedit. Fecit autem hoc, non vt populi curam haberet; sed vt hac occasione magnam pecuniam congregaret. Quod et fecit. In omni enim aetate vtriusque sexus, tamque ablactatus, quam lactens, pro se numum dedit; quibus aes commiscens, ex paucis decem modios fecit; ceteram vero partem, et quicquid ex ecclesiis tulit, sibi retinuit.* Eodem fonte videtur vsus Sigebertus Gemblácensis, qui tamen et nomen ducis Hungarorum corrupit, et annum expeditionis more suo male consignauit. *Tapis*, inquit, (b) *rex Vn-*

(a) *Libr. V. C. XV.*
(b) *Ad A. C. 949.*

Vngarorum, in Italiam veniens, decem modios numorum a Berengario pro reditu accepit. Ita quem Anonymus *Tocſun*, Turotzius *Toxun*, Porphyrogenitus, Luitprandus, Auentinus *Taxim*, aut *Taxum*, eum Sigebertus *Tapin* appellat. Longius ab his recedit Aloldus, qui Toxum ſemel ac iterum *Vrzum* vocat. *Eorum dux* inquit, (a) *quem Vrzum appellabant, homo ferox et rapax inſtar belluae, a quo nomen habebat.* Ne vero putaremus, alium quempiam Hungarorum ducem, quam Toxum, ab Aloldo per Vrzum intelligi, huic mortuo Geiſam ſucceſſiſſe, ſic alibi perhibet: *Vrzo mortuo, Hungari elegerunt Geizzam.* Quum igitur Toxo Geiſa ſucceſſerit; Vrzus Aloldi Toxus eſſe debuit. Vehementius, quam par eſt, Cl. Szarka huic Aloldo ſuccenſere videtur, quum in ſua *coniectura de Nádor-Ispány* ita de Toxo loquitur: (b) *Quem nos nepotem Arpadi hucuſque credidimus*, niſi Aloldus, *beſtia natum, fere ſcripſiſſet.* At non continuo, quem Vrſum, quem Lupum, aut Wolffgangum, quem Leonem appellamus, beſtia natum vel eminus innuere volumus. Magis igitur poetica, quam hiſtorica, haec eius eſt contentio: *Iniurioſius hoc ſtemma principis eſt Iornandaeo, quod hic Hungaris vniuerſe tribuit. Nam idem Iornandes, deos ſilueſtres, Faunos et meretrices, Hungaris vtrum-*

A. C. 947.

(a) *Ad A.* C. 955.
(b) p. 35.

A. C. 948. *vtcumque parentes concessit; Aloldus principem Vrsum, bellua ortum, propemodum scripsit.* Nullus sane Cl. virum veluti pica, quam *Szarka* Hungari vocamus, ortum traducit, quum eidem hoc cognomen tribuit. Quare neque Callesius, *vt cum Aloldo brutum ex Toxo faciat* (ita Cl. scriptori seu iocari, seu cauillari libuit) hanc interpretationem adiungit: (a) *Vrzus pro Toxo vocatur, nomine fortassis a Dachs, Theutonica voce, male detorto;* neque satis scio, num Cl. auctor felicius eam vocem ab *erős, örs., ürs* detorqueat. (b) Mihi profecto Cl. Praii suspicio magis arridet, qui Hungaricum *Úr*, dominus, in ea voce latere putat, quod a Germano scriptore deprauatum fuerit. (c) *Toxi* vero nomen a *Tag, Tagos, Tagsi* deriuari, quod ibidem adstruitur, (d) tunc fortasse credam, quum et *Tagsi* fuisse nostris vsitatum, et *Taxim* a patriis scriptoribus, non *Tocsun*, aut *Toxum*, eumdem vocatum, didicero. Sed de nomine tricari non vacat.

A. C. 948. *Tox.* 2. *Indict.* 6.

II. Quo tempore duorum Hungariae ducum baptismus contigit?

CLXXXI. Scriptores Byzantini, pacem inter Hungaros et Graecos annis quinque ser-

(a) *Ann. Austr.* P. *I. p.* 255.
(b) *p.* 33.
(c) *Diss.* X. *p.* 242.
(d) *p.* 34.

seruatam affirmant, qui Theophanis opera conclusam eam retulerunt ad indictionem I. quae respondet A. C. 943. Quare, licet iidem nouae Hungarorum expeditionis post hoc quinquennium aperte non meminerint; tacite tamen iam tunc eam insinuasse videntur, quum pacem annos quinque durasse scripserunt. Nunc igitur, elapso foederis tempore, quod in numerato Hungari habebant, solitas incursiones, quas in quinquennium dumtaxat Lacapenus redemerat, resumserint; eaque hoc anno contigerint, quae Cedrenus in haec verba narrat: (a) *Turci non ante finem fecerunt in Romanas ditiones grassandi, quam Bulosudes, eorum princeps, fidem se amplecti Christianam simulans, Constantinopolim venit; baptizatusque ibi a Constantino est exceptus, ab eoque patricii dignitate et magnis donis ornatus ditatusque, domum rediit. Non multo post Gylas, ipse quoque Turcicus princeps, eodem se, eiusdem rei caussa confert, baptizatusque; et eodem, quo prior, modo tractatus, monachum secum abduxit Hierotheum, pietatis fama celebrem, quem Turciae episcopum Theophylactus patriarcha designauit; isque, vt in Turciam venit, multos a barbarica fraude ad Christianam religionem traduxit. Ac Gylas quidem in fide permansit; et neque ipse in Romanos impressiones fecit, et captiuos Christianos emens* cu-

A. C. 948.

(a) *Ed. Ven. p.* 498. *Par.* 636.

A. C. 948. *curauit, libertatemque iis reddidit. Bulosudes autem, pactis, quae cum DEO inierat, rescissis, saepe cum omnibus suis in Romanos expeditionem suscepit; quod idem contra Francos tentans, captus et ab eorum rege Ioanne in palum suffixus est.* In eamdem fere sententiam haec refert Ioannes Scylitzes curopalata, nisi quod in locum Ioannis Ottonem melius substituat. Breuius non nihil eadem Zonaras attingit; sed quem Cedrenus *Bulosudem*, Scylitzes *Bolesodem*; ipse *Bologudem* appellat. Propius ad Hungaricam appellationem Porphyrogenitus accedit, quum eumdem *Bultzum* scribit, tertiumque principem et carchan Turciae vocat. (a) Nam Anonymus quidem *Bulsum*, (b) Turotzius autem *Bulchum* (c) eum scribunt; qui praelio captus ac a rege Germanorum in palum suffixus est, quod postea discutiemus. Nunc videndum, an hoc tempore militiae Christianae hi duces adscripti sint. Inchofferi sententiam, qui ducum istorum baptisma refert ad A. C. 958. ante Schwartzium Timon his verbis reiecit: (d) *Quoniam vero, vt Cedrenus et Zonaras* (Scylitzes) *perhibent, Theophylactus patriarcha dedit Vngaris pontificem Hierotheum; consequens est, ante annum*

num

(a) *De adm. imp. C.* 40.
(b) *Cap. LV.*
(c) *Chr.* P. *II.* C. *XXV.*
(d) *Im. ant. Hung. L.* 3. *C. V.*

tum DCCCCLVIII. viros illos Christianis sacris imbutos fuisse; siquidem, computatione Baronii et Spondani, Theophylactus, antistes Constantinopolitanus, - III. Calendas Martii, anno DCCCCLVI. vita cessit. A. C. 948.
Augustanam sane cladem, in qua Bulosudes, seu Bultsu, perfidiae poenas dedit, plerique collocant ad A. C. 955. Ante hunc igitur idem dux et baptismum suscepit, et a fide defecit, et Romanas ditiones incursauit. Schwartzius opinatur, (a) Hungarorum quietem, cuius Zonaras post baptismum a ducibus susceptum meminit, et repetitas Bulosudis incursiones, quas Cedrenus attingit, *quatuor saltem, aut quinque annos, si non plures, a fatali Bultzkonis anno, qui fuit* 955. *retrogradiendo abstulisse.* Quamobrem initia religionis Christianae inter Hungaros defigenda putat ad A. C. 950. Sed hoc quoque tempus nimis dilatum esse censet Stiltingus: *Sane quies*, inquit, (b) *post ducum baptismum sequuta, duorum saltem, aut trium annorum fuit, aut quies non fuit; sequutae totius gentis irruptiones, saepius repetitae, etiamsi annuae fuissent, tres, vt minimum, annos tenere debuerant. Itaque ducum Hungarorum baptismus figendus esset ante annum* 950. *praesertim quum Hungari anno* 954. *Graecos non inuaserint, sed Germaniam, Galliam et Italiam.*

(a) *Init. rel. p.* 37.
(b) *Vit. S. Step.* §. *VI. n.* 71.

A. C. 948. *liam.* Quare vir eruditissimus hunc ordinem rerum, inter Hungaros et Graecos actarum, constituit. *Pacem inierunt Hungari cum Graecis anno* 943. *imperante adhuc Romano Lucapeno; anno autem* 944. *vbi solus Constantinus imperare coeperat, duces Hungari baptismum susceperunt, sed ficte: simulationem vero illam protraxerunt, donec anno* 948. *vel* 949. *rursum coeperunt in ditiones Graecorum irrumpere.* Bulosudem solum, non item Gylam, ficte baptismum suscepisse, Cedrenus affirmat; cuius verba si curatius expendantur, baptismi suscepti tempus remouendum videtur vltra A. C. 944. Cedrenus enim incursiones in Graecorum ditiones ab Hungaris factas esse prius, quam duces baptismum susciperent, scribit. Has autem distinguit ab iis, quas antea narrauit ad indictionem I. respondentem anno 943. Certe Byzantini sciptores ab hoc anno per quinquennium inducias ab Hungaris seruatas fuisse, perhibent. Vltra hoc igitur quinquennium incursiones nouae, quas baptismo ducum Cedrenus praemittit, adeoque hoc circiter anno fieri debebant; quo si sacro fonte lustratos duces statuamus; duorum, aut trium annorum quies, quam Stiltingus requirit, intercedere potuit ad exitum A. C. 950. Post hunc irruptiones a Bulosude repeti poterant ad A. C. 954. quo Hungari non iam Graecos, sed Germanos inuaserunt. Ita difficultates, quae circa baptismi chronotaxim vtrimque mo-

mouentur, in nostra sententia locum non habent.

A. C. 948.

CLXXXII. Sed maior difficultas apparet circa conuersionem ipsam ducum, quam Stiltingus in dubium vocat, ac ex silentio Latinorum sic oppugnat: (a) *Floruit post medium dicti seculi* (decimi) *Luitprandus diaconus et postea episcopus Ticinensis, qui res, maxime sui temporis, Hungaricas frequenter descripsit. Non multis post annis scripsit Vitichindus monachus et historiographus. Eodem seculo ad finem decurrente, videtur scripsisse continuator Reginonis, multique alii eodem seculo historice scripserunt; et de Hungaris meminerunt; at nullus de hac eorum meminit conuersione. Seculo XI. et XII. plurima conscripta sunt chronica vniuersalia, in quibus Hungarorum conuersio narratur; at nullibi dicitur, initium habuisse Constantinopoli, aut ante medium seculi X. Sane si vera esset haec conuersio, non poterat ignorari a tot scriptoribus coaeuis, aut supparibus; nec taceri debebat, praesertim a Luitprando, qui toties in Hungaros inuehitur; quique legatus Ottonis fuit Constantinopoli. Aeque mirum esset Hungarorum omnium de hac conuersione silentium.* Verum hoc silentium scriptorum eam potissimum Schwartzii sententiam vrget, qua totius gentis conuersionem coeptam ait ante medium

III. An testimonio Graecorum silentium Latinorum obest?

(a) Loc. cit. n. 73.

A. C. 948. dium seculi X. primumque Hungaris episcopum Hierotheum, ab ecclesia Graeca datum, obtrudit, *cum quo plures sacerdotes Constantinopoli in Hungariam exmissos, crescente saltem credentium in Christum numero, plures ab Hierotheo inaugurari oportuisse, qui sacris tractandis, iisque plus vltra propagandis sufficerent*, coniectat, sed nullo veterum testimonio probat. (a) Contra hanc opinionem, nullo fundamento nixam, Stiltingus, praeter silentium auctorum, adducit aperta testimonia; cumprimis autem diploma S. Stephani, datum abbatiae S. Martini, vbi clare sanctus rex affirmat, ante hanc abbatiam nullum episcopatum et abbatiam in regno Hungarico fuisse. Hinc merito quaerit Stiltingus; (b) *vbi esse potuerit episcopatus Hierothei, vbi ipse Hierotheus episcopus sedem habuerit. Si autem nullibi sedem episcopalem in Hungaria fixerit Hierotheus, uti constat ex allegatis S. Stephani verbis, consequitur, aut omnino in Hungaria eumdem non fuisse, aut ibidem non diu mansisse; siue quod obierit; siue quod, re infecta ac desperata, redierit in patriam. Piligrinus, Laureacensis episcopus circa annum 974. de initio conuersionis Hungarorum scripsit ad summum pontificem Benedictum, tamquam de re nuperrime coepta.* Tum aliis argumentis in alium locum reiectis,

(a) *Init. rel. C. IV. p.* 41.
(b) *l. cit. §. VI. n.* 74.

ctis, quae nos quoque sub Geisa producemus, ita concludit: (a) *Tuto interim asserere liceat, religionem Christianam in Hungaria non esse coeptam a baptismo Bulosudis et Gvlae; seu quod ille baptismus prorsus sit fictitius, seu quo ficto animo sit susceptus, seu denique, quod illi fidem constanter professi non sint.* Ita Stiltingus non tantum initia Christianae religionis in Hungaria, prout eam Schwartzius ad medium seculi X. figit, negat; sed ipsam etiam ducum conuersionem in dubium vocat. At argumenta, quibus hic vtitur, illud quidem, non item istud, euincunt. Facilius enim laudati scriptores et ignorare, et silentio praetermittere poterant ducum istorum, qui totius gentis principes alioqui non erant, priuatam, quam totius gentis publicam ad Christi fidem accessionem. Licet igitur ex eorum silentio verosimiliter inferatur, sub medium seculi X. non fuisse coeptam et propagatam in Hungaria Christi religionem; indidem tamen non perinde sequitur, nec Bulosudem et Gylam sacro fonte lustratos esse. Primum illud cum aliis argumentis, tum ipsius Constantini, qui sub haec tempora librum de administrando imperio scripsit, testimonio Stiltingus egregie probat. Sic enim is loquitur: (b) *Inde magna Morauia* (id est Hungaria) *baptismo carens.* At

A. C. 948.

(a) *Ibid. n.* 75.
(b) *De adm. imp. C.* 40.

A. C. 948.

alterum non pari felicitate refutat, quum Schwartzianam opinionem euertere conatur. Quare cum eodem quidem Stiltingo Schwartzianae sententiae partem, qua conuersae Hungarorum gentis gloriam Latinis ereptam et Graecis assertam voluit, reiiciemus; eam tamen partem, qua Bulosudem et Gylam Christianis sacris initiatos e Graecis scriptoribus tradit, amplectimur; et licet Bulosudem a suscepta fide breui post defecisse non diffiteamur; Gylam tamen constantem in vera religione perstitisse; nec alium, quam Gyulam, Transsiluaniae principem, cuius filiam Saroltam subinde Geisa duxerit, eo nomine venire censemus.

IV. An Gylas pro Gyula, Transsiluaniae principe, haberi potest?

CLXXXIII. Ad id persuadendum, opus est argumenta Schwartziana cum Stiltingianis contendere. Schwartzius, postquam pluribus veterum testimoniis ostendisset, (a) per Turcos Graecorum Hungaros venire, de quo nemo iam dubitat; adeoque Bulosudem et Gylam verorum Hungarorum duces fuisse; tum probandum sumit, (b) Gylam ducem, qui Constantinopoli Christo nomen dedit, eumdem fuisse, quem Hungari Gyulam vocant, Geisae socerum, Stephani regis auum. Et primum quidem ostendit, (c) nonnisi modo scribendi Gylam

(a) §. 23. - 28.
(b) §. 29.
(c) §. 30.

Iam Graecorum a Gyula Hungarorum differre; deinde rationibus partim chronologicis, partim geographicis euincere conatur, Gylam fuisse Gyulam, Transsiluaniae principem. *Scriptoribus namque Hungaris*, inquit, (a) *perhibentibus, auspiciis suis Transsiluaniam rexit, memoriamque nominis ad nostrum vsque seculum retinuit Transsiluaniae caput Alba Iulia, Hungaris dicta Gyula-Fejérvár, id est, Alba Gyulae; et hinc circumiacens quoque regio, Albensis comitatus nomine insignis, Hungaris Gyula-fejérvár-megye audit: Caroli VI. imp. opt. auspiciis Albensis vrbs, accessiones nacta amplissimas, iam Carolina salutatur. Ex Transsiluania igitur proximum Gyulae duci in vrbem Constantini iter patebat. Adde praefecturae ipsius fines imperium attigisse Constantinopolitanorum, quod Cedreni et Zonarae verba, quibus pacem cum Romanis seruasse, et ab omnibus incursionibus in fines Romanorum sibi* (eum) *abstinuisse testatur, satis superque docent. Vnde vel ipsa vicinitate Gyula permotus videtur, vt primum Graecis familiarius vteretur, saniorаque ab eis doctus, Constantinopolim deinde peteret. Calculus denique chronologicus, paullo post accuratius subducendus, ostendit, Gyulam nostrum et Stephani patrem Geisam coaetaneos fuisse, vt hic filiam istius vxorem ducere Stephanumque ex eo coniugio suscipere potuerit.*

A. C. 948.

(a) §. 31.

A. C. 948. *rit.* Moxque chronotaxin reducit ad annum circiter 950. ſed non opus vllo calculo, quando conſtat ex Anonymo Belae notario, ſicut Arpadi pronepotem Geiſam; ita Tuhutum, qui ſub Arpado Tranſſiluaniam occupauit, proneptem Saroltam fuiſſe; ſi proinde rationem aetatis vtriusque habeamus, optime matrimonium inter Geiſam et Saroltam coaleſcere potuiſſe. Coaluiſſe vero domeſtici ſcriptores docent, e quibus Anonymus ita loquitur: (a) *Tuhutum vero a die illo terram illam* (vltraſiluanam) *obtinuit pacifice et feliciter; ſed poſteritas eius vſque ad tempora S. regis Stephani obtinuit. Tuhutum vero genuit Horcam; Horca genuit Geulam et Zubor. Geula genuit duas filias, quarum vna vocabatur Caroldu, et altera Saroltu; et Sarolt fuit mater S. regis Stephani. Zumbor vero genuit minorem Geulam* (Gylam alibi ſcribit) *patrem Bue et Bucne* (alibi (b) Biuia et Bucna) *tempore cuius S. rex Stephanus ſubiugauit ſibi terràm Vltraſiluanam; et ipſum Geulam vinctum in Hungariam duxit, et per omnes dies vitae ſuae carceratum tenuit, eo quod in fide eſſet vanus, et noluit eſſe Chriſtianus.* Stiltingus Schwartzii coniecturam, a nobis ex Anonymo firmatam, ſic oppugnat: (c) *Peccat primo ille*

(a) *Cap. XXVII.*
(b) *Cap. XXIV.*
(c) *§. VI. n.* 58.

ille scriptor, quia sine fundamento supponit, Gyulam, Transsiluaniae principem, cuius filiam deinde Geisa duxisse dicitur, natione Hungarum fuisse. Sed iam id paullo supra vidimus ex Anonymo, cuius notitiam Schwartzius, quum sua scriberet A. C. 1740. habere non potuit, vt qui quinquénnio tardius e loculis bibliothecae Vindobonensis extractus et luce publica donatus est. Ex hoc igitur auctore domestico certum est, vt Tuhutumum inter primos Hungarorum duces censum, ita huius pronepotem Gyulam natione Hungarum fuisse. Nec de Graeca vel scriptione, vel pronunciatione quicquam difficultatis obmoueri potest, postquam Anonymus ipse iam *Geulam*, iam more Graecorum *Gylam* eum scribit, quem Turotzius *Gyulam* exprimit. Hunc ab Anonymi Geula, vel Gyla non differre, patet e laudato Turotzio, qui, postquam illum inter capitaneos, seu ductores Hungarorum tertio loco nominasset, haec subiicit: (a) *Eratque iste Gyula dux magnus et potens, qui ciuitatem magnam in Erdeleu in venatione sua inuenerat, quae iam pridem a Romanis constructa fuerat. Habebatque filiam, nomine Sarolt, -- quam Geisa dux - duxit in vxorem legitimam.* Quare non sine fundamento Schwartzius asseruit, Gyulam, Transsiluaniae principem,

A. C. 948.

 cuius

(a) *Chr. P. II. Cap. V.*

A. C. 948.

cuius filiam deinde Geisa duxerit, natione Hungarum fuisse.

V. An Gylas hic pro nomine proprio, vel dignitatis accipi debet?

CLXXXIV. Schwartzium tamen pergit ita Stiltingus vrgere: *Gylas, teste Constantino, cap. 41. (38. 40.) nomen est dignitatis, non proprium; at Gyula nomen est proprium. Itaque nomina illa debent esse diuersa; nec Gylas significat principem Transsiluaniae, quam ne quidem possidebant Hungari, sed ducem exercitus, supremo duci subordinatum.* Fatemur et nos, Gylam, teste Constantino, nomen esse dignitatis; quominus tamen eadem vox nomen etiam proprium fuerit, nihil prorsus repugnat. Nam saepe nomina dignitatum etiam hodie cognominum vicem obeunt, vt ex cognominibus *Tsászár, Király, Biró*, cet. patet. Certe Constantinus ipse, hoc nomine tribum quoque Patzinacitarum appellatam fuisse docet. (a) Sicut igitur Gylas, quod esse nomen dignitatis asseruit, etiam tribum, eodem teste, significauit; ita proprium etiam nomen esse potuit. Fuisse vero nomen proprium, e scriptoribus Graecis, supra laudatis, apparet. Sicut enim Cedrenus Bulosudem Turcorum principem; ita Gylam quoque Turcicum principem appellat: sicut ergo Bulosudes, ita Gylas hoc loco nomen proprium est principis, non dignitatis. Quod vero Stiltingus subiicit; Gylam

(a) *De adm. imp.* C. 37.

Iam significasse ducem exercitus, id quidem Constantino non congruit, qui loco laudato hunc in modum scribit: *Habent autem primum ducem exercitus principem e prosapia Arpadae, cum quo duo alii, gylas et carchan, qui iudicum vicem obtinent.* Gylas igitur non ducem exercitus, sed iudicem significabat, quum nomen dignitatis erat. Fatetur Schwartzius, (a) se nihil inuenire, quo commode possit explicari, quarum dignitatum apud Hungaros fuerint nomina gylas, et carchas, vel carchan. In Samuele tamen suo, quem viginti post annos Lemgouiae vulgauit, per gylam comitiorum praesidem, seu palatinum; per carhan, damnorum reparandorum iudicem; adeoque iudicem curiae signficari posse, docet, (b) vt iam innuimus ad A. C. 909. A. C. 948.

CLXXXV. Quod hoc loco Stiltingus interiicit de Transsiluania: *quam ne quidem possidebant Hungari;* postea pluribus ita prosequitur: (c) *Gyula, qui Transsiluaniae praeerat tempore Constantini Porphyrogeniti, non erat princeps Hungarus, sed Patzinacita: ita vt idem esse nequeat cum Gyla, qui Constantinopoli baptizatus est; aut Gylas hic fuerit Patzinacita, non Hungarus.* Testem in hanc rem laudat Porphyrogenitum, qui ditio- VI. An eo tempore Hungari Transsiluaniam incolebant?

(a) *Init. rel. C. III.* §. 40.
(b) *p.* 45.
(c) §. *VI. n.* 60.

A. C. 948. ditionem Patzinacitarum ita per octo themata describit, (a) vt thema Gyla, quod Turciae, seu Hungariae, proximum esse dixit, *nullibi aptius inueniri possit, quam in Transsiluania;* quia vero sic difficulter intelligi posset, quomodo Turcia *dierum quatuor itinere* distaret a Patzinacia, quod idem Porphyrogenitus asserit, ait Stiltingus, id esse *propter maximos montes, quibus Transsiluania includitur.* At quatuor dierum itinere hos montes, qui Turciam a Patzinacia, seu Hungariam a Transsiluania dirimunt, porrigi, nemo, qui hos montes emensus fuerit, admittet. Vbi vero thema Gyla verosimilius constitui possit, vt Turciae proximum esset, eadem tamen Turcia itinere dierum quatuor a Patzinacia distaret; iam alias, quum Hungariae limites ex Porphyrogenito descripsissemus, exposuimus; (b) ac aliis quoque rationibus ostendimus, Transsiluaniam a Patzinacitis occupatam non fuisse; quorum prouinciam Constantinus per Moldauiae, non Transsiluaniae, fluuios designat, ac eorumdem limites *ex opposito Distrae*, quae spatio horarum 24. ab Alutae confluente versus orientem remouetur, inchoat. Contra vero Hungariae fluuiis, vt Alutam, qui sub Tute verosimilius latet, omittam, Marusium et Chrysium accenset, quorum vterque suos

(a) *De adm. imp. C.* 37.
(b) *Ad A. C.* 929.

ſuos in Tranſſiluania fontes habet; et ille quidem maiorem eius, quam Hungariae, partem interluit. Certe Tuhutum, vt ex Anonymo vidimus, ita Tranſſiluaniam occupauit, vt eamdem *poſteritas eius vſque ad tempora S. regis Stephani obtinuerit*; ex qua poſteritate Tuhutum quum etiam Gyula fuerit, commoda reddi ratio poteſt, cur Albam Iuliam Hungari *Gyula-fejér-vár* appellauerint. Nam ab ipſa tribu Gyla ſic dictam fuiſſe, tunc credam, quando contra teſtimonium Anonymi ſolidis rationibus oſtenſum fuerit, a Conſtantino tribum Gyla non alibi, quam vbi hodie Tranſſiluania iacet, collocari. Donec enim Conſtantini ſententia tam dubia manet, vt a nobis potius ſtare videatur, a clariſſimo domeſtici ſcriptoris teſtimonio diſceſſionem imperare mihi nemo poterit. Quum vero Stiltingus per *Atel*, vel *Etel*, loca Patzinacitarum, *Ertel*, ſeu Tranſſiluaniam, intelligi vult, excuſationem potius, quam refutationem meretur. Nos enim, vt iam alias innuimus, (a) Tranſſiluaniam *Erdély* ab *Erdö* vocamus, eaque voce non fluuium, ſed ſiluam exprimimus; quum tamen Conſtantinus *a fluuio interlabente nuncupari* dicat *Etel* locum illum, in quo Patzinacitae ſuo tempore commorabantur. Sed venia dignus eſt ſcriptor exterus, de Hungaria tamen optime meritus, quum vim vocis Hungaricae A. C. 948.

(a) *Ad A. C.* 891. *n.* 62.

A. C. 948. ricae non assequutus, argumentum ex ea minus firmum exsculpsit. Quod autem pars illa non Hungaria, sed Transsiluania hodie vocetur, nihil officit; quum etiam Transsiluani patria lingua *Magyari*, seu Hungari, vocentur; pars quoque Hungariae trans-Danubiana, saepe Pannonia veteri vocabulo dicitur, quin tamen inde sequatur, incolas eius Hungaros non esse. Ad Curopalatae Cedrenique testimonium, qui Patzinacitas aiunt a Borysthene fluuio campos, ad Pannoniam vsque porrectos, incolere, facilis est responsio, multum eos dicere. Hinc enim sequeretur, Patzinacitas, quicquid trans Danubium, Pannoniae terminum, erat, incoluisse; quum tamen Porphyrogenitus per fluuios, trans Danubium ac etiam in Transsiluania decurrentes, Hungarorum regionem designet. Suidas porro, Dacos suo tempore Patzinacitas vocatos fuisse, vere dixit; nam Dacia vetus etiam Moldauiam, quam a Patzinacitis occupatam fuisse docuimus, complectebatur. Certe, si Patzinacitae totam veterem Daciam obtinuissent; ad Tibiscum vsque, qui veteris Daciae terminus erat, ditionem suam, contra Porphyrogeniti testimonium, saepe iam laudatum, extendissent. Quum igitur non omnem Daciam Patzinacitae possederint, licet aliqui Patzinacitae Daci fuerint; non omnes tamen, Daciae veteris incolae, Patzinacitae vocari poterant; secus enim Hungari quo-

que,

que, qui trans Tibiscum habitant, eodem iure Patzinacitae forent. A. C. 948.

VII. An Gyula iunior verae fidei desertor et senioris filius erat?

CLXXXVI. Nihil igitur adhuc Stiltingus adduxit, quo negare cogamur, Gylam fuisse nomen proprium, fuisse natione Hungarum, fuisse Gyulam, Transsiluaniae principem, cuius filiam Saroltam Geisa subinde duxerit; eaque marito verae fidei sensum instillauerit; isque propterea proniores postea Latinis fidei praeconibus aures praebuerit. Sed haec nimirum omnia Stiltingus argumento nouo sic impugnat: (a) *Quam id improbabile sit, docet Gyula, istius Gyulae filius, qui bellum mouit S. Stephano, quod religionem Christianam in regno suo propagaret.* Hanc obiectionem occupauit Schwartzius, hanc ex Timone responsionem mutuatus: (b) *Nil vero obstat, quod filius eius aduersatus fuerit D. Stephano; saepe enim liberi descifcunt a consuetudine parentum.* Tum ipse quoque subsequutas interdum integrarum gentium defectiones ad errorem auitum; immo domesticum etiam Hungarorum exemplum adducit, (c) quos ad profanos ritus postliminio rediisse constat, *Andrea rege cum fratre Leuentha conniuentibus, suosque in sacras aedes sacrorumque Christianorum antistites*

(a) *n.* 62. *p.* 471.
(b) *Im. ant. Hung. l.* 3. *C.* 5.
(c) §. 34.

A. C. 948. *tes furere permittentibus.* Quamuis autem Schwartzius nullum apostasiae Gyulae iunioris indicium adferat; in nostra tamen sententia, qui ducem Anonymum in genealogia Gyulae sequimur, nullum adferri debet. Gyulam enim iuniorem, cui bellum S. Stephanus mouit, non Gyulae senioris, qui Constantinopoli sacro latice tinctus est; sed eius fratris Zomboris filium Anonymus facit, vt supra iam vidimus. Sicut igitur Zomborem, eius patrem; ita Gyulam ipsum numquam Christi fidem suscepisse legimus; nec igitur vllum defectionis eius indicium adferre debemus, quum nullum conuersionis indicium exstet. Quum autem Anonymus nullum Gyulae seniori filium, sed duas tantum filias, tribuat; ab eius morte Gyula iunior in illius hereditatem successit, et Transsiluaniam eodem iure, quo patruus, Gyula senior, administrauit. Omni tamen hoc iure, postquam a S. Stephano victus ac in Hungariam abductus est, excidit; tunc enim Transsiluania regno Hungariae sic accessit, vt ad posteros Tuhutumi, Gyulaeque iunioris filios, Biuiam et Bucnam, hereditate non transiret, sed a regum Hungariae nutu deinceps dependeret. Haec igitur cum dictis Schwartzii minime pugnant, vt Stiltingus voluit; quum et Transsiluania fuerit Hungarorum, et principem habuerit Hungarum, Tuhutumi, ducis Hungari, pronepotem. Schwartzii proinde machina, nouo hoc fundamento, quod is ante vul-

gatum

gatum Anonymum ignorauit, suffulta, nondum hac parte corruit.

A. C. 948.

VIII. An initia religionis in Hungaria Schwartzius a Gyulae baptismo bene repetit?

CLXXXVII. Eximiam profecto laudem Schwartzius ab eruditis abstulisset; si Vatinianum illud odium, quo religionem nostram caesim punctimque ferit acerbius, solo veritatis historicae studio temperasset. Longius vero prouectus, quam veritas pateretur, conuersae Hungarorum gentis gloriam ita Latinis ereptam et Graecis assertam voluit, vt hac parte iustam animaduersionem mereatur; quam ne nos quidem, vbi Geisae principatum attigerimus, dissimulabimus. Dicere cum veritate poterat, initia Christianae religionis inter Hungaros a Gylae, seu Gyulae, baptismo posse repeti, cuius filia Sarolta Geisae marito verae fidei sensum instillauerit; id enim conforme prorsus est auctori vitae S. Adalberti, qui de Geisae coniuge haec litteris prodidit: (a) *Quae totum regnum viri manu tenuit; et quae erant viri, ipsa regebat; qua duce erat Christianitas coepta.* Haec dici poterant citra Latinorum iniuriam, qui cultum diuini numinis etiam per Graecos promoueri tantum abest, vt aegre ferant, vt plurimum potius ea caussa gratulentur. At initiis his verae religionis inter Hungaros assertis, Schwartzius vltra limites eruditionis, ne dicam humanitatis,

certe

(a) *Cap. V.*

A. C. 948. certe veritatis, abripi se passus est, quum scripsit, (a) *Romanis pontificibus id curae circa totam conuersionem Hungarorum ad Christum fuisse potissimum, vt maturam messem, cuius sementem fecerunt alii - procedente tempore, in sua horrea congererent.* Apparebit, antequam matura messis fuisset, pontifices Romanos elaborasse plurimum, vt bona sementis in Hungaria iaceretur; nec in sua, sed in domini horrea messis subinde congereretur. Certe Stephanus VIII. Romanus pontifex creatus A. C. 939. quum inter Herolfum Iuuauiensem, et Gerardum Patauiensem antistites oborta lis quaedam esset; isti potius, quam illi, caussa conuertendorum Hungarorum fauere constituit. *Nam quod is*, scribit Hansizius, (b) *cogitationes ad Hungarorum conuersionem intenderat; Gerardi partibus ipse quoque fauebat, vtique studio eius ad hoc consilium cumprimis vsurus; eaque propter ad Hungarorum curam capessendam Gerardum diligenter admonuit, vt auctor est Ciacconius et Vecchietus.* Prius itaque, quam matura messis esset; immo, quam Gylas Constantinopoli Christianam fidem amplecteretur, iam Romanus pontifex, litteris ad Gerardum datis, sollicitus erat, vt verae fidei semen in Hungaria spargeretur. Quod vberius ex Piligrini litteris, quas frustra Schwar-

(a) §. 17. *p.* 19.
(b) *Germ. S. T. I. p.* 195.

Schwartzius traducit, (a) alias elucebit. Ad alium etiam locum reiicimus examen eorum argumentorum, quibus seu coronam sacram Graecis adiudicat; seu Silueſtrinas litteras impugnat, seu Carthuitium acerbe vellicat, seu Graecos ritus Hungaris appingit. Recipimus igitur argumenta, quibus iſta Stiltingus impugnat, ac pro viribus etiam augebimus. Agnoſcimus cum eodem a Schwartzio ſcriptores ſibi fauentes ſupra meritum attolli; aduerſantes autem infra meritum deprimi. Cur tamen tribus Graecis, Curopalatae, Cedreno, Zonarae, quos pro conuerſione Buloſudis et Gylae laudat, fidem abrogemus; nulla nobis idonea cauſſa ſuccurrit. Nam ſeu demus, *vnum omnes monumentum vetus rebusque deſcriptis aequale in annales ſuos tranſtuliſſe*, quod Schwartzius vult, (b) ſeu quod Stiltingus mauult, (c) *alter alterius dicta bona fide deſcripſerit;* ex Latinis quoque patriisque ſcriptoribus, vt poſtea videbimus, certum eſt, Buloſudem, ſub quo Bultzum latere, neque Stiltingus diffitetur, (d) bello Germanico captum et in crucem actum eſſe. Quidni verum igitur etiam erit, quod iidem tradunt, Gylam, quem Zonaras, *partis cuiusdam principem* appellando, no-

A. C. 948.

(a) §. 42. *p.* 40.
(b) *Cap. IV.* §. 41. *p.* 39.
(c) §. *VI. n.* 65. *p.* 472.
(d) *n.* 56. *p.* 470.

A. C. 948. nostram de Gyula, Transsiluaniae principe, sententiam confirmat, in suscepta fide constantem perstitisse pacemque cum Graecis seruasse?

IX. An solido fundamento Hierotheum primum Hungaris apostolum obtrudit?

CLXXXVIII. De Hierotheo tamen, quem Gyula secum adduxit, assentior opinioni Stiltingi; *cuius nullam vspiam mentionem apud Hungaros*, eiusdem verba sunt, *Germanos, aut vllos scriptores Latinos reperio, nulla vspiam exstant conuersionis, per ipsum factae, nulla episcopatus ipsius vestigia; quin potius omnia persuadent, Hungaros multis adhuc annis aeque a fide catholica alienos fuisse, quam antea fuerant. Quapropter vehementer suspicor, Hierotheum illum, si reuera profectus sit in Hungariam, atque episcopus Hungarorum ordinatus, nihil ibidem effecisse. Nam, si ipsius labore prima fidei Christianae semina iacta essent in Hungaria, non tam ingrata fuisset posteritas, vt nomen eius altissimo fuisset inuolui silentio.* Ego vero, Hierotheum numquam in Hungariam venisse, censeo; Gyulam enim, cum quo profectum illum Graeci tradunt, Turcorum quidem, seu Hungarorum, in sola tamen Transsiluania, fuisse ducem, ex Anonymo docuimus. In Transsiluaniam igitur adductus Hierotheus, si quod operae pretium fecit, illud non tam in Hungaris, quam Valachis, apud quos Graecus ritus hodieque manet, factum esse suspicor. Valachos autem illic habitasse, quum Tuhutum prouinciam occu-

cupa-

cupauit, quos ille non penitus eiecerit, sed in fidem receptos ad montana retruserit, Anonymus identidem testatur. (a) Quare mirum non est, eius nomen silentio scriptores Hungaros inuoluisse, qui tamen accurate laborum S. Adalberti meminerunt; quia scilicet hic in Hungaria; Hierotheus, etiamsi non tantum Valachis, sed etiam Hungaris operam suam impendisset, in Transsiluania laborauit. Res autem Transsiluaniae neque Turotzius, nec Anonymus ex eo tempore, quo Tuhutum eam occupauerat, ad aetatem vsque S. Stephani regis attigerunt. Quo magis miror Schwartzium, qui Gyulam Transsiluaniae solum fuisse principem asseruit, quomodo Hierotheum vltra Transsiluaniae limites promoueat ipsique Hungariae primum episcopum obtrudat. *Erit igitur*, inquit, (b) *primus Hungariae episcopus Hierotheus, Hungaris ab ecclesia Graeca datus, hoc minus nostris poenitendus, quo excellentior eius est laus, dum vir pietate celebris audit.* Numquam certe, numquam aemulatio Graecos inter et Latinos, quam et alias, et paullo supra carpserat, (c) eam apud nos vim habebit, vt, quemadmodum Marahanenses aliaeque Slauicae gentes suos apostolos, Cyrillum et Methodium, licet Graecos, ita

A. C. 948.

Dd nos

(a) *Capp. XXIV. XXV. XXVII.*
(b) §. 43. *p.* 41.
(c) §. 42. *p.* 40.

A. C. 949.

nos Hierotheum grata memoria non prosequamur, modo tam certis monumentis doceatur, hunc in Hungaria, ſicut illos in Marahania, pro vinea domini laboraſſe. Id vero hae Schwartzii coniecturae, quas paullo poſt ſubiicit, non euincunt: *A vero non abludit, plures cum ipſo ſacerdotes Conſtantinopoli in Hungariam exmiſſos;* docendum prius erat, eum non tantum in Tranſſiluaniam cum duce Gyula, ſed etiam in Hungariam, extra ditionem Gyulae, penetraſſe. *Creſcente ſaltem credentium numero, plures ab Hierotheo inaugurari oportuit.* Vtrum inaugurati fuerint, et quidem in Hungaria, quaerimus; quod quamdiu doceri non potuerit, iſtae coniecturae, nullo veterum teſtimonio firmatae, non ſufficiunt ad apoſtolatus in Hungaria gloriam Latinis, quorum labores hiſtoriae loquuntur, eripiendam.

A. C. 949. *Tox.* 3. *Indict.* 7.

X. Quo tempore Zoltanus diem ſupremum obiit?

CLXXXIX. Magnum hoc anno luctum vniuerſae genti Hungarorum attulit obitus Zoltani, qui quod non plures, quam 53. annos aetatis numeraret, non tam ſenio, quam morbo conſumtus, e viuis exceſſiſſe, videtur. Eum Anonymus *tertio anno regni ſui filii de ergaſtulo corporis viam vniuerſae carnis ingreſſum eſſe*, ſcribit. (a) Quum

(a) *Cap. LVII.*

Quum igitur tribus abhinc annis bellum Italicum ab Hungaris gestum fuisse, verosimiliter ostenderimus, illique Taxim, seu Toxum, ducem praefuisse, iam ex Auentino, Luitprando, Sigeberto viderimus; vltra hunc annum vt Toxi tertius annus, ita Zoltani ducis obitus, differri non potest; sed nec occupari, si fidem Anonymo habemus, qui Toxi natales defigit ad A. C. 931. Vix enim ante pubertatis annos vel vxor illi data, vel exercitus in Italiam ductandi cura commissa fuisset; quorum illud ex Anonymo, hoc ex Luitprando ceterisque discimus. Cl. Hellius in genealogia primorum Hungariae ducum scribit, (a) Zoltanum esse mortuum A. C. 961. Quod pugnare mihi videtur cum Porphyrogenito, qui dissertis verbis ait: (b) *Et omnes quidem Arpadi filii mortui sunt, superstitibus tantum eorum nepotibus.* Hinc enim sequitur, etiam Zoltanum, quem inter Arpadi filios ibidem recensuit, eo tempore, quo haec scribebat, mortuum fuisse. Quum igitur Constantinus scribere viuereque desierit ante A. C. 961. patet Zoltanum ad hunc annum non prouixisse. Nec est, cur ad falsum rumorem, quo Porphyrogenitus deceptus, in Augustana clade Zoltanum et Toxim caesos esse putauerit, recurramus. Nam inprimis certum non est, A. C. 949.

(a) *Adi. mem. p.* 244.
(b) *De adm. imp. C.* 40.

A. C. 949.

caput hoc 40. ſcriptum eſſe poſt eam cladem, ſeu A. C. 955. Inmo quia conſtat, caput 45. ab eo ſcriptum, vt ipſe teſtatur, indictione X. ſeu A. C. 952. veroſimillimum eſt, anterius caput 40. poſt hunc annum non fuiſſe ſcriptum; quod fieri neceſſe fuiſſet, ſi poſt cladem Auguſtanam ſcriptum eſſet. Adde, quod eo tempore, quo Porphyrogenitus omnes Arpadi filios mortuos eſſe ſcripſit, Bultzus, nobis bultſu, ſuperſtes fuerit. Sic enim Conſtantinus laudatam ſententiam proſequitur: *Tebelesque moriens filium reliquit Termatzum, qui nuper in gratiam rediit cum Bultzo, tertio principe et carcha Turciae.* Conſtat autem, Bultſum in Auguſtana clade caeſum eſſe; non igitur hoc caput 40. quo tam Arpadi filios omnes obiiſſe, quam Bultzum ſuperſtitem eſſe, Conſtantinus aſſerit, poſt Auguſtanam cladem ſcriptum eſt. Deinde Porphyrogenitus adeo non putauit, Toxum, Zoltani filium, eodem tempore vita priuatum fuiſſe, vt potius, quum haec ſcriberet, eum inter ſuperſtites diſſerte numerauerit: *ſuperſtitibus*, inquit, *tantum eorum nepotibus, Phale et Thaſe, cum patruele eorum Taxi.* Hunc vero Taxim, nobis Toxim, aut Toxum, iam prius inter Zoltani filios cenſuit. Quamuis autem ex hoc Conſtantini loco pateat, Zoltanum fuiſſe mortuum ante A. C. 961. immo 952. inde tamen annus certus mortis exſculpi non poteſt, quem nos ex coniecturis superius inſinuatis, donec certiora dies doceat,

hunc

hunc annum esse censemus. Anonymus porro Zoltani characterem ita pingit: „(a) *Fuit* dux Zulta parum blaesus et candidus, capillo molli et flauo, statura mediocri, dux bellicosus, animo fortis, sed in ciuibus clemens; voce suaui, sed cupidus imperii; quem omnes primates et milites Hungariae miro modo *diligebant.*„ Amori huic par dolor a morte respondit.

A. C. 950.

A. C. 950. *Tox.* 4. *Indict.* 8.

XI. Quando Henricus, Bauariae dux, cladem Hungaris intulit?

CXC. Vix Hungari Zoltano parentarunt, quum, inferias illi sollemniores daturi, rursus ad arma prouolarunt. *Bellum magnum inter Bawarios et Vngarios factum esse*, Hildesiense chronicon et Lambertus Schaffnaburgensis ad hunc annum referunt. (b) Huc igitur videtur referendum illud Vitichindi de Henrico, quem in locum defuncti duobus abhinc annis Bertolfi, Bauariae ducis, Otto subrogauerat: (c) *Ducatu igitur Baioariorum accepto, nequaquam desidia torpuit; sed abiens, Aquileiam cepit; Vngaros duabus vicibus armis superauit.* Ista quidem Sigebertus et Auentinus ad superiores annos referunt; quia tamen eorum chronologiae tuto fides haberi nequit, nisi haec aliunde concilietur; ad hunc annum,

 quo

(a) *Cap. LIII.*
(b) *Ap. Hans. G. S. T. I. p.* 201.
(c) *Annal. Libr. II.*

A. C. 951.

quo chronicon Hildesheimense cum Lamberto Schaffnaburgensi bellum inter Hungaros et Bauaros ortum narrant, consignanda videbantur. Iccirco procursionem etiam Italicam, quam auctores isti bello Bauarico postponunt, ad fidem Lupi Protospatae praeponendam existimauimus. Ad hunc annum Cl. Praius censet, (a) *Pannoniae* partem aliquam ab Hungaris insessam esse; quam nos ne desertam quidem fuisse, iam ostendimus.

A. C. 951. *Tox.* 5. *Indict.* 9.

XII. Quamdiu Hungari per Aquitaniam erant grassati?

CXCI. Quies illa, quam Zonaras post baptismum, ab Hungaris ducibus susceptum, intercessisse narrat, ad hunc annum pertigerit; quo Bulosudes, deserta Christi fide, suas in Graecorum imperium incursiones resumserit; cuius quidem ideo fortasse Graeci scriptores distincte non meminerunt, quod Hungari, spoliis actis contenti, nullam cum iis pugnam iniuerint alioque statim impetum suum verterint. Constat enim ex Flodoardo, longinquam eos per Italiam et Alpes expeditionem in Aquitaniam hoc tempore suscepisse. *Hungari*, scribit ille, (b) *ab Italia, transcensis Alpibus, egressi, Aquitaniam ingressi sunt; ibique tota paene demorati aestate, multis hanc*

(a) *Ann. vet. p.* 363.
(b) *Ad A. C.* 951.

hanc regionem rapinis et interminationibus (internecionibus) *attriuerunt; sicque per Italiam reuersi sunt in terram suam.* A. C. 953.

A. C. 952. *Tox.* 6. *Indict.* 10.

CXCII. Quia Byzantini scriptores tradunt, Bulosudem, violato foedere diuino, saepius omnem exercitum in Graecos adduxisse; id isto quoque anno factum fuerit. Si verum est, quod Timon suspicatur, (a) Bulosudem Pannoniae Sirmiensi praefuisse, tanto facilius annuas has incursiones suscipere poterat, quanto propior Graecorum imperio fuit. Videtur autem, acta praeda, nullum iterum cum iis praelium commisisse, quod nullam rursus apertam eius mentionem Graeci faciant. XIII. An etiam Graeciam depopulati?

A. C. 953. *Tox.* 7. *Indict.* 11.

CXCIII. Quum Hungari consuetis incursionibus Graeciam vexant; in Germania graue bellum inter Ottonem eiusque filium Ludolfum ac generum Conradum exarsit, quod tandem in magnam Hungarorum perniciem desiit. Huius ortum et progressum, quod inde rebus Hungaricis magna lux accedat, altius iuuat repetere. Decesserat Lotarius, Italiae rex, sub finem A. C. 950. statimque Berengarius iu- XIV. A quibus et cur aduersus Ottonem concitati?

 nior

(a) *Im. ant. Hung. l.* 3. *C.* 5.

A. C. 953. nior Italiam ſibi vindicauit; vtque Papienſi regia, quam Adelhais, Lotarii vidua, retinebat, potiri poſſet, eam Adalberto, filio ſuo, coniugem dare voluit. Abhorruit ſancta mulier a nuptiis ſurculi tam mali, cuius pater non tantum Italiam, ſed etiam eccleſiam tyrannice vexabat. Berengarius, repulſa hac irritatus, expugnata Papia, reginam diligenti cuſtodiae tradidit, veritus, ne per externas nuptias Italiae regnum in alium aliquem transferret. Adelhais anno ſequente, ſeu 951. cuſtodiis eluſis, Canuſium elapſa, ſtatimque per Berengarium obſeſſa, per litteras Ottonem in auxilium euocauit; qui, ſpe matrimonii regnique Longobardiae ductus, expeditionem in Italiam ſuſcipere conſtituit. Ludolfus, Sueuiae dux, cum ſuis Alemannis Ottonem patrem praeceſſerat, eius gratiam aucupaturus, ſiquid fortiter ageret eique viam expeditiorem redderet. Sed patruus illius, Henricus, Bauariae dux, Ludolfi honorum et ſucceſſuum inuidus, per Tridentum legatos ſuos in Italiam ex Bauaria praemiſit et ab eo mentes omnium ſic auertit, vt nulla ciuitas, quae vel famulis Ottonis patere ſolebat, eius filio portas aperuerit. Interea cum copiis ſuis Otto rex aduenerat, ac Adelhaidem, obſidione trimeſtri liberatam, coniugio ſibi copulauit. Ludolfus, vehementer indignatus, et patruo, quod ab eo ſuos conatus impeditos intellexerit; et patri, quod, per naſciturum e ſecundis nuptiis

he-

heredem, suam sibi portionem imminutum iri, crediderit; tristis a patre discessit, ac Salfeldiae multos proceres in factionis societatem pellexit. Otto, clandestinae huius in se coniurationis ignarus, quum, exacta Tichi hieme, Germaniam repetit A. C. 952. Conrado, genero suo, duci Lotaringiae, tutandum Italiae regnum et persequendum Berengarium reliquit. Hic, desperatis rebus suis, vltro Conradum accessit eique se permisit; qui, hac Berengarii submissione delectatus, auctor ei fuit, vt ad Ottonem pari cum fiducia se conferret, certam ab eius benignitate veniam pollicitus. Berengarius, consilio huic obsequutus, mox ad Ottonem in Saxoniam se contulit eique subiectionem omnem promisit; sed, contranitente Henrico, Bauariae duce, nihil eorum, quae petierat, obtinuit. Frustrata Berengarii spes ita Conradum pupugit, vt statim ad Ludolfum affinem ab Ottone socero defecerit, magnumque hac defectione momentum ad coniurationem maturandam attulerit. Otto, de coniuratione certior factus, celebratis Augustae comitiis, Italiam Berengario regendam commisit, praeter agrum Veronensem et Aquileiensem, quem Henrico fratri, Bauariae duci, concesserat. Quum Otto Moguntiam, cuius archiepiscopus Fridericus factiosis adhaeserat, oppugnandam hoc anno 953. suscipit; coniurati, communicatis inter se consiliis et copiis, Bauariam inuadunt: Henricum ducem cum vxore libe-

A. C. 953.

A. C. 953. risque tota regione depellunt: direptos eius thesauros militibus suis distribuunt: Hungaros in Germaniae perniciem, missis muneribus, accersunt. Haec, pluribus annis acta, continenti narratione sub vnum conspectum ex Ditmaro, (a) Vitichindo, (b) continuatore Reginonis, (c) Hermanno Contracto (d) proponere placuit, vt a quibus et cur Hungari pernicioso huic bello fuerint inuoluti, melius intelligeretur. Haec Anonymus quoque, licet ad Zoltani tempora male referat, ita recenset: (e) *Inimici Athonis* (Othonis) *regis Teutonicorum, in necem eius detestabili facinore machinabantur, qui, quum per se nihil mali ei facere potuissent, auxilium Hungarorum rogare coeperunt; quia sciebant, quod Hungarii essent insuperabiles in assuetis bellorum laboribus; et plurimis regnis DEVS per eos furoris sui flagella propinasset. Tunc illi inimici Athonis, regis Teutonicorum, miserunt nuncios ad Zultam* (Toxum) *ducem, virum bellicosum; et rogauerunt eum, dato auro multo, vt adiutorio Hungaro praedictum regem Athonem inuaderent.* Male hic Zultam Hungaris praefuisse; male deinde Lelum et Bulsum ante hoc bellum caesos

esse,

(a) *Libr. II.*
(b) *Libr. III.*
(c) *Ad A. C.* 951. 952.
(d) *Ad A. C.* 953.
(e) *Cap. LVI.*

esse, supponit. Cetera, quae narrat, cum exteris congruunt; nam et Aloldus, vt alios praeteream, ita scribit: (a) *Ambitio quorumdam principum Germaniae, in regem conspirantium, Hunnos per Karinthiam allexit et intromisit in Germaniam; qui fere per biennium populati sunt miseras terras ad quas pertigerunt.* A. C. 954.

A. C. 954. *Tox.* 8. *Indict.* 12.

CXCIV. Otto, coniuratorum grassationibus intellectis, Moguntinae ciuitatis obsidionem interrupit, ac post exactam in Saxonia hiemem, appropinquante verni ieiunii tempore, Bauariam petiit. Factiosi, regis aduentu cognito, siue quod Hungari statariam pugnam experiri nollent, siue quod Ottonem ad diuidendas copias cogere vellent, Hungaros in Franciam impressionem facere, Conrado ducente, iusserunt. Hi, nihil cunctati, ducentibus Ottonis inimicis, Rhenum in quadragesima transmiserunt et dominica palmarum, quae tunc in 19. Martii incidit, a Vormatiensibus ingentem vini pecuniarum extorserunt. Vbi Traiectum ad Mosam ventum est; Conradum praestitae Hungaris operae poenitere coepit et ab eis discessit. Credo, visis Hungarorum grassationibus et Christianorum caedibus, quibus ipse caussam et occa-

XV. Quam procul vltra Rhenum, ducente Conrado, progressi?

(a) *Ad A. C.* 953.

A. C. 954. casionem dederat, ad se reuersus, crudelem societatem abrupit. Hungari nihilominus, etiam hoc ductore destituti, late caedes sparserunt, quas ex ipsis fontibus, etiam priora confirmantibus, iuuat delibare. Praecipue meretur audiri Fulcuinus, abbas Laubiensis, his temporibus viciniſſimus, qui quum defunctus sit A. C. 990. rebus, quas narrat, synchronus erat. Hic inter miracula S. Vrsmari, quae habentur apud Bollandum, (a) ita hanc incursionem Hungarorum ab ipsa coniuratione, contra regem Ottonem inita, describit: *Erat in ea coniuratione princeps ipsius regis filius Ludulfus, spectabilis adolescens et vnice carus, si seductoribus non credidisset; et heres esse, non proditor, voluisset; atque cum eo, quasi quidam stimulus Cono* (Conradus) *dux paullo ante fortissimus; quibus, vt ita dicam, omnia erant in manibus; sed agendo, vt plus haberent, omnimode effecerunt, vt nihil haberent. Hi Hungaros, antiquam pestem, sollicitauerunt, vt regnum, in seipsum diuisum, inuaderent; arbitrantes hoc modo sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliqua tenus posse minui. Hac, vt dicere instituimus, occasione, saeua Hungarorum gens, et qualem numquam terra nostra sensit barbariem, a peruersis ciuibus illecta, transitis Germaniae et plerisque prouinciis Galliae, cui iam nobilis ille Francorum po-*

(a) *Ad* 18. *Apr. p.* 564.

populus insederat, omnia ferro et ignibus vastatura, se totam infudit. In hac acie Cono, quem praediximus, cum suis sequacibus militauit. Sed vbi Traiectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum, qua factione, ab eis dissidium fecit. Hungari, Hasbaniam igne et rapina aggressi, Carbonariam petunt. Fama ad nos perlata, mittitur e collegio nostro Hucbertus, frater patiens laboris et fugitans quietis, et semet impendere paratus ob amorem loci et sanctae religionis, pacisci cum illis. Facta pactione de solidis ducentis, reuertitur post haec, obsidibus ab eis acceptis. Sed nostri non satis creduli (quae enim, vel quanta fides esse potest infideli!) munire Thudinium (castrum, vulgo Tuin dictum, ad Sambram fluuium) *tentant, quod non multo ante, suspectam habens Leodiensem militiam, Raginerus* (Hannoniae comes) *destruxerat; sed ab eodem, misso rursum milite, prohibiti sunt munitionem restruere, DEO, vt postea compertum est, maxime id agente, vt ostenderet, non in homine, sed in se et in sanctorum suorum patrocinio defensionem illos sperare debere.*

A. C. 954.

XVI. Quomodo Laubio sunt repulsi?

CXCV. *Sublata itaque spe Tudinium potiundi, et crebrescente fama depraedationis et incendii, nullaque exstante fiducia in re militari (siquidem laudata illa et cunctis seculis praedicata Lothariensium militia, iusto DEI iudicio, in Hungarorum aduentu hebetata, suis passim munitionibus erat inclusa) nostra, quae residua erat, DEO dilecta*

mo-

A. C. 954. monachorum turma, et ſibi ſatis fida eccleſiae noſtrae familia, id, quod verum eſt, rata, quod numquam videlicet deſit diuinum, vbi humanum ceſſat auxilium; montem, vbi ſanctorum Vrsmari et Ermini corpora venerantur, diu deliberans ſcandit, et de DEI fiſa adiutorio, cum plauſtrorum, vel quorumcumque ſurculorum, vel ſepium impedimentis, in modum munitionis cingit. Iamque aduenerat paſchalium dierum ſancta celebritas, in completione octauarum ipſius, quae erant quarto nonas Aprilis, ecce ſubito in exordio matutino denſauerat aerem equorum nebula, et velut ex abditis terrae finibus emergebant loricarum et galearum millia. Expaueſcere noſtri, et mortem ſibi praemeditari. Qui agiliores erant, non dico munitionem, ſed ſimulacrum munitionis ſcandunt; immo veram munitionem per ſanctorum DEI interceſſionem. Reliqui, qui impeditiores erant aetate aut grauitate, intra monaſterii clauſtra ſubſtitere. Qui ſubſtiterant capiuntur: obſidentur alii: nulla inter captos et obſeſſos diſtantia; niſi quod ſecundum quemdam grauior eſt exſpectata, quam illata mors. Obtruncantur in adſpectu adſpicientium Theodolfus et Theodmarus, qui inter captos viſi ſunt excellentiores; reliqui flagellati, captiuitati reſeruantur. Interea vrgentur obſeſſi, nec vlli telorum aut tormentorum parcitur generi. Noſtri e contra pro viribus reſiſtere, et conglomerato plebium et clericorum, ipſo etiam monachorum agmine, quamuis illicitum ſit huic ordini arma tractare, quoniam pro anima illis erat

res,

res, eniti obnixe. Vbi eo ventum est, vt desperaretur omnino; tantum audiebatur Kyrie eleison, et sancte Vrsmare! adiuua, more gentis vsitato. Iam irruptionem timentibus, iam in mutuis osculis haerentibus, iam plerisque deditionem pangentibus; ecce! ex respectu miserationis DEI, duae ex adytis templi columbae euolant. Subsequuta est illico pluuia praegrandis, quae gentiliciam illis sagittandi artem cordarum distentione frustrauit. Pauor quoque ac timor tantus in eos irruit, vt maturarent fugam, et principes ipsi vterentur flagris in eos, qui volebant subsistere. Abducunt autem eos, quos infra ceperant. Ecclesiam S. Pauli et ambitum claustri ignis consumserat, dormitorio illaeso, et monasterio tentato, sed miseratione DEI saluato. Thesaurum ecclesiae Theodulfus alius partim secum ad munitionem quamdam transportauerat, partim in ecclesia, ne inuenirentur, terra obstruxerat. Dictum postea est, et putatur verum, quod a quodam capto pusillanimitate sufferendi sit proditus, denique effossus et exportatus est. In commemoratione autem tam mirificae liberationis diem illam festiuam sanxere sibi et posteris. Et haec est celebritas, quae ita inscribitur in nostris martyrologiis: Quarto nonas Aprilis commemoratio meritorum Vrsmari et Ermini, quo meruerunt Laubienses ab Hungarorum obsidione eripi. *Nec tacendum, quod etiam hi, qui fuerant capti, in breui omnes reuersi sunt sani et latei. Sed et ipsam gentem perfidam nequaquam passus est*

A. C. 954.

DEVS

A. C. 954. *DEVS impune istud egisse. Siquidem anno subsequente, quum iam prope esset summa dies et ineluctabile tempus, quo propitius DEVS terrae populi sui, vltus sanguinem seruorum suorum, retribuere vellet vindictam in hostes eorum, aggrauata est vltra modum et omnino intolerabiliter superbia ferocissimae gentis Hungarorum.* Haec apud Laubium seu Lobium acta, quod est Belgii monasterium ad Sabis, seu Sambrae fluuii sinistram ripam e regioneTudinii, quod ad monasterium tuendum ab abbate magnis sumtibus munituin, Franco, Leodiensis episcopus, sustulit. Prodigii, quo Hungari Laubiensibus vltra nocere prohibiti sunt, etiam Sigebertus Gemblacensis meminit; sed eam rem more suo male consignauit ad annum superiorem, quo dominica in albis non in quartum nonas Aprilis, sed in quartum idus Aprilis incidit. *Lidulfo*, scribit, (a) *ad gratiam patris sui reducto, Conradus dux, DEI et imperatoris transfuga, ad Hungaros se transferens, eos in Lotharingiam, vsque ad Carbonariam siluam, perduxit; et virtute DEI apud Lobias contra eos ostensa, vltra prodire prohibiti, impune redeunt.* Ordine perturbato, narrat Sigebertus, prius Ludolfum in gratiam cum patre rediisse, deinde Conradum ad Hungaros transfugisse seque ducem iis ad Carbonariam vsque siluam praebuisse. Nam, teste conti-

nua-

(a) *Ad A. C.* 953.

nutatore Reginonis, Conradus ab Ottone defecit A. C. 952. Teste Fulcuino, (a) quum Traiectum ad Mosam attigisset, ab Hungaris, ineunte vere, recessit A. C. 954. Teste Mariano Scoto, pax inter Ottonem et Ludolfum coaluit, exeunte hoc eodem anno 954. Nam quae Vilhelmus, Ottonis regis filius, in chronico suo scripsit, ita fere Marianus in suum chronicon transtulit: (b) *Anno dominicae incarnationis CMLIV. indictione XII. bonae memoriae dominus Fridericus, sanctae Moguntiacensis ecclesiae archiepiscopus, VIII. kal. Nouemb. obiit. Eodem vero anno ego Willelmus, tantae successionis indignus, loco eius cum consensu cleri et populi eiusdem sanctae sedis, XVI. kalendis Ianuariis, ipsoque die pace inter regem Ottonem et filium eius Luttolfum facta, in loco Aranstedi sum electus.* Quum igitur Vilhelmus iste, qui maximam de rebus patris et fratris sui notitiam habuisse credendus est, pacem inter eos compositam esse scribat 17. Decembris A. C. 954. male Sigebertus prius Ludolfum in gratiam patris receptum, deinde Conradum ad Hungaros profugum scripsit; male Hermannus quoque hanc pacem consignauit ad annum superiorem; hic tamen ad hunc annum etiam Italiam ab Hungaris vastatam fuisse A. C. 954.

Ee

(a) *De mir. S. Vrsmari C.* 25.
(b) *Ap. Pag. ad h. a. n. V.*

A. C. 954.

fuiſſe perhibet: *Vngarii*, inquit, (a) *egreſſi, Franciam, Baioariam, Italiamque deuaſtant.* Idem continuator Reginonis affirmat: (b) *Hungari, ducentibus inimicis regis, in quadrageſima, Rheno tranſito, peruadentes Galliam, inaudita mala in eccleſiam DEI fecerunt, et per Italiam redierunt.* Poſtea loquitur de pace, quae hoc anno patrem inter ac filium coaluit.

XVII. An per Italiam ad ſuos prius, quam Auguſtam oppugnarent, reuerſi?

CXCVI. Nempe Conrado ductore, qui iam ad Moſam reſipuit, deſtituti, veriti, ne, ſi per Germaniam redirent, vbi iam ſenſim factioſi pacem reſpectabant, inſidiis exciperentur, praedaeque, quas in Gallia plurimas collegerant, e manibus, vt iam alias factum, excuterentur, tutiore per Italiam via regreſſi, has prius domi depoſuerunt, quam nouo Germaniam bello peterent. Certe Vitichindus etiam, Hungaros per aliam viam ad ſua reuerſos ita narrat: (c) *Dominica ante paſcha Vormatiae eis eſt publice miniſtratum, et muneribus auri et argenti plurimum donatum. Inde in Gallias profecti, per aliam viam in patriam reuertuntur.* Alibi vero Ludolfum cum Conrado ſimul in gratiam ab Ottone receptum ita ſcribit: (d) *Filius ac gener in gratiam ſuſcepti,*

(a) *Ad A. C.* 954.
(b) *Ad A. C.* 954.
(c) *Annal. Lib. II.*
(d) *Annal. Lib. III.*

cepti, qua et in finem vsi sunt fideliter. Quare Sigebertus non tantum annum pacis initae male consignauit, sed etiam ordinem rerum gestarum nimis confudit erroremque continuauit, quum rursus ad annum 955. vel, vt alii habent 957. ita scripsit: *Hungaris iterum regnum Ottonis imperatoris, ductu Conradi ducis, depopulantibus, imperator eos bello excepit.* Atqui iam in Belgio, iam anno 954. Conradum ab Hungaris recessisse, Fulcuinus, scriptor synchronus, testatur. Vnde nimium seu Sigeberto Gemblacensi, seu cuicumque demum scriptori tribuisse videtur Cl. Praius, quum anno sequente Hungaris iterum ducem dat Conradum in haec verba: (a) *Immensus hic exercitus, ductante Conrado, vastata ferro et igne Baioaria, vno impetu omnem Norici regionem inde a Danubio flumine vsque ad nigram siluam, qua pertinet ad montana, deuastando occupauit. Traiecto istic Rheno, in Lotaringiam ignibus et caede immaniter saeuiunt, speciem Attilani temporis referentes.* Iam ex Fulcuino vidimus, haec gesta fuisse, quum octaua paschatis incidit *in IV. non. Aprilis.* Quum igitur haec nota temporis designet annum 954. hoc anno, non sequente, Hungari, ductore Conrado, Rhenum transmiserunt, eaque perpetrarunt, vt Conradus, poenitudine tactus, *ab eis dissidium fecerit.* Auentinum certe, qui Hunga-

A. C. 954.

(a) *An. vet. p. n.* 364.

A. C. 954. garos, diuinitus territos, Augustam Raetiae petiisse, scribit, (a) ordinem rerum gestarum perturbasse, patet ex Hermanno Contracto, continuatore Reginonis, Vitichindo, quorum primus, Hungaros Italiam quoque deuastasse; secundus, per Italiam rediisse; tertius, per aliam viam ex Galliis in patriam reuersos esse, testantur. Domum igitur, postquam Gallias euastassent, et quidem per Italiam, prius redierant, quam Augustam obsidione cingerent; neque deinceps Conradum ductorem, sed infensissimum hostem habuerunt. Haec complananda prius erant, quam ad fatale Hungaris bellum enarrandum accedamus, ne vel Sigebertus, vel Auentinus, qui haec omnia perturbatissime referunt, in errorem nos inducant. Obseruauit etiam Cl. Praius, Auentini non omnia cum Vitichindo congruere, quum praelii, cum Hungaris ab Ottone gesti, historiam texit. At etiam illa, quae praelio huic Auentinus praemittit, eiusmodi sunt, quae nec Vitichindo, nec aliis a nobis laudatis congruant. Eius igitur auctoritate neglecta, certiores alios duces, rebus gestis viciniores, aut etiam synchronos, inter quos Fulcuinus et Vitichindus principem locum merentur, sequendos nobis proponimus.

A.

(a) *Ann. Boic. l. V.*

A. C. 955.

XVIII. Quantis cum copiis Bauariam inundarunt

CXCVII. Non alius apud scriptores vberior, non alius genti nostrae funestior annus occurrit, quam hic, internecina Hungarorum ad Augustam clade notatus. Quum enim anno superiore tot prouincias impune vastassent; quum, spoliis ingentibus relatis, eorum spe ceteros etiam ad nouam expeditionem accendissent; quum Germaniam, intestinis odiis agitatam, praedae totam patere putassent; quo maiore numero, quamdam Attilanorum temporum imaginem exhibituri, saga sumserunt, eo plures hostium gladiis occubuerunt. Hepidanus quidem centum dumtaxat armatorum millium in hanc sententiam meminit: (a) *Otto rex cum Agarenis* (sic ille passim Hungaros vocat) *pugnabat in festiuitate S. Laurentii, eosque, Deo auxiliante, deuicit; et erat numerus illorum centum millia;* sed incertum est, an hoc numero caesos, vel omnem exercitum, intelligat. Nam maior eorum fuisse numerus videtur, si continuatorem Reginonis audiamus: *Hungari*, scribit ille, (b) *cum tam ingenti multitudine exierunt, vt non, nisi terra eos dehisceret, vel coelum eos obrueret, ab aliquo se vinci posse dicerent.* Tanta profecto confidentia solito maiorem eorum fuisse numerum arguit; quum iam alias

(a) *Ad A.* C. 955.
(b) *Ad A.* C. 955.

A. C. 955. eosdem cum exercitu centum millium armatorum in Saxoniam incurrisse viderimus. (a) Et tamen Gerardus pares numero copias numquam iis temporibus ab vllo visas ita perhibet: (b) *Tanta multitudo Vngarorum erupit, quantam tunc temporis viuentium hominum nemo se antea vidisse in vna regione profitebatur.* Tantus apparatus meliorem anni partem Hungaris eripuit, vt nonnisi post initium Iulii bellum aggredi possent. Sub illud enim tempus legatos ad Ottonem miserunt; specie quidem instaurandae fidei, reipsa belli ciuilis euentum, quod exeunte Decembri superioris anni finem accepit, speculaturos. Haec Vitichindus, quo nemo copiosius hoc bellum narrauit, ita docet: (c) *Otto*, Germaniae rex, *ingressus Saxoniam, circa kal. Iul. obuios habet legatos Vngarorum, tamquam ob antiquam fidem et gratiam eum visitantes; re autem vera, vt quibusdam videbatur, euentum belli ciuilis considerantes. Quos quum secum aliquot diebus retinuisset, et aliquibus munusculis donatos remisisset in pace; audiuit a nunciis fratris* (Henrici) *ducis scilicet Baioariorum, quia, ecce! Hungari diffusi inuadunt terminos tuos; statuuntque tecum inire certamen.* Et reuera Hungarorum exercitus vix exspectato reditu legatorum, Bauariam inun-

(a) *Ad A.* C. 934.
(b) *Ad A.* C. 955. *Vit. S. Vdalr.* C. 12.
(c) *Annal. Libr. III.*

undauit, *et Noricorum regionem*, vt Gerardus superiora prosequitur, *a Danubio flumine vsque ad nigram siluam, quae pertinet ad montana, simul deuastando occupauit; et quum Licum transcenderet et Alemanniam occuparet, ecclesiam S. Afrae concremauit, et totam prouinciam a Danubio vsque ad siluam depraedauit, et maximam partem vsque ad Hilaram fluuium* (vel Ilarum, Sueuiae fluuium, in limitibus Tyrolis ortum) *igne combussit; Augustam autem ciuitatem obsedit, quae tunc immis, sine turribus, circumdata muris, firma ex seipsa non fuit.* A. C. 955.

CXCVIII. *S. autem antistes* (Vdalricus) *magnam valde multitudinem optimorum militum, secum intra septa ciuitatis collocatam, habebat; ex quorum agilitate et audacia ciuitas fortiter firmata, DEO iuuante, consistebat. Qui, vt exercitum Vngrorum ad expugnandam ciuitatem circumdare viderunt; eis obuiam exire voluerunt; sed hoc episcopus eis non consentiens, portam, vbi maximus aditus intrandi manebat, firmiter occludere praecepit. Porta autem orientalis plagae, vnde itur ad aquam, sic a densitate Vngrorum bello occupata est, vt ipsi aestimarent, se statim posse intrare. Milites enim episcopi, ante portam viriliter pugnantes, eis resistebant; vsque dum vnus Vngrorum, qui ceteros pugnando antecedebat, et ex cuius ductu et antecessione maximam praeliandi in illa hora confidentiam habebant, occisus occubuit. Ceteri denique qùum eum terratenus*

XIX. Cur incassum Augustam oppugnarunt?

A. C. 955. *nus mortuum cadere viderunt, magno clamore et lamentatione eum rapientes, ad castra reuersi sunt. Hora vero belli episcopus, super caballum suum sedens, stola indutus, non clypeo, aut lorica, aut galea munitus, iaculis et lapidibus vndique circa eum discurrentibus, intactus et illaesus subsistebat. Bello vero finito, regrediens, circuiuit ciuitatem, et domos belli in circuitu ciuitatis congruenter ponere et in tota nocte eas aedificare, et vallos, quantum tempus suppetebat, renouare praecepit. Ille autem totum spatium noctis in oratione pernoctans, religiosas mulieres, in ciuitate congregatas, concitabat, vt vna pars earum cum crucibus ad dominum deuote clamando intra circumirent; et altera pars clementiam sanctae DEI genitricis MARIAE pro defensione populi et pro liberatione ciuitatis studiosissime, pauimento prostrata, flagitaret. Ipse autem minimam particulam noctis ante matutinam horam corpus requiei soporis indulsit, vt, matutinis laudibus expletis, aurora primum irrumpente, salutaris sacrificii hostiam DEO libare licuisset. Ministerio sacro peracto, viatico sacro omnes recreauit, humilique admonitione persuasit, vt, in fide recta persistentes, spem suam in domino componere non dubitarent, indicens eis omnigenam sponsionem consolationis et annuncians psalmographi Dauid verba, dicentis:* (a) Si ambulauero in medio

vm-

(a) *Psalm.* 22. *v.* 4.

vmbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Salutari autem admonitione episcopi peracta, quum iubar radiantis solis primum latitudinem telluris irradiaret; exercitus Vngrorum inenarrabili pluralitate ex omni parte ad expugnandam ciuitatem circumcinxit, diuersa ferens instrumenta ad depositionem murorum. Quumque vndique parati essent ad bellum, et cuncta propugnacula ciuitatis repugnantium plena fuissent; quidam Vngrorum, flagellis alios minantes ad pugnandum coegerunt; et illi, tantam multitudinem in propugnaculis resistentium eis videntes, muris se coniungere adeo perterriti non audebant. Interim quum interius exteriusque parati essent ad bellum; Perchtolfus, filius Arnolfi, de castello, Risinespurch vocitato, venit ad regem Vngrorum, adnuncians ei aduentum Ottonis, gloriosi regis. Qui, vt hoc audiuit; suum classicum, omni exercitui notum, clangere praecepit, de cuius sonitu exercitus totus pugnam ciuitatis omisit, et ad colloquium eorum regis se coniungere festinauit; qui, cum eis autumatione facta, DEO donante, a pugna ciuitatis cessabat, et in occursum gloriosi regis ire coepit, ea ratione, vt, illo cum suis superato, victor rediens, ciuitatem et totum regnum libere habere potuisset. Regi Ottoni venienti Dietpaldus comes, frater episcopi, cum ceteris, qui in ciuitate erant, nocte exiens, in occursum venit.*

A. C. 955.

A. C. 955.

XX. Quomodo cum Ottone M. decretorium praelium iniuerunt?

CXCIX. Quum igitur sanctus Vdalricus Augustam non tam militari, quam coelesti praesidio contra Hungaros eum in modum propugnasset; Otto, de periculo suorum a frate Henrico iam antea certior redditus, ocius auxilium obsessis ferre constituit. *His auditis*, pergit Vitikindus, (a) *rex, quasi laboris oblitus, quem praeterito bello tolerauisset, coepit ire contra hostes, sumtis secum paucis admodum ex Saxonibus, eo quod iam bellum Sclauonicum vrgeret. Castris positis in confiniis Augustanae vrbis, occurrit ei exercitus Francorum Baioariorumque. Cum valido quoque equitatu venit in castra Conradus dux, cuius aduentu erecti milites iam optabant non differre certamen. Nam erat natura audacis animi, et, quod rarum est audacibus, bono consilio; et dum eques, et dum pedes iret in hostem, bellator intolerabilis, domi militiaeque sociis carus. Igitur ab vtriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur, non longe exercitus ab altero fore. Ieiunio in castro indicto, iussum est, omnes in crastinum paratos esse in bellum.* Non igitur Hungari, Conrado ductore, hanc expeditionem susceperunt, quem iam et anno superiore vidimus ab eis recessisse, et hoc anno videmus validum equitatum aduersus eosdem adduxisse; quamuis ea, quae Sigebertus porro narrat, hoc anno contigisse nitique veritate, non dif-

(a) *Annal. Libr. III.*

diffiteamur. *Conrado*, inquit, (a) *ab Hungaris ad eum* (Ottonem) *poenitendo refugiente* (sed anno priore) *et orante DEVM, vt pro poena perfidiae suae in ipso bello ab Hungaris perimeretur.* Haec enim etiam Fulcuinus, postquam Ottonis metum insinuasset, ita confirmat: (b) *Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat tempus exercitum congregandi; sed fiduciam habuit per Christum ad dominum, qui potens est saluare in paucis, sicut in multis. Aderat ibi Cono* (Conradus) *non iam dux, sed miles, toto, vt putabatur, animo conuersus ad pacem, quam paullo ante atrociter impugnabat, cilicio membra domans, DEVM gemitibus, vt fertur, exorans, vt, si sic sancta voluntas eius exsisteret, permissa regi nostro et exercitui eius victoria, eum ab impiis, quibus se prius male coniunxerat, permitteret trucidari, vt possit in perpetuum ab eorum consortio liberari.* Preces eius exauditas fuisse, deinde videbimus. Ieiunii porro, quod ab Ottone suis indictum Vitichindus innuit, etiam Fulcuinus ita post laudata verba meminit: *Imperator militi sanxit ieiunium in ipsam, quae tunc erat vigilia S. Laurentii M. per cuius interuentum sibi populoque suo ipsum DEVM poposcit esse refugium, et propositum suscepti operis vrget expedire.* Vel, vt Rotgerus in

A. C. 955.

(a) *Ad A. C.* 955.
(b) *Ap. Boll. ad* 18. *Apr. p.* 565.

A. C. 955. in vita Brunonis, archiepiscopi Coloniensis, totidem fere verbis habet: (a) *Imperator indici sanxit ieiunium ipsa die, quae tunc erat in vigilia S. Laurenti M. pro cuius interuentu sibi populoque suo ipsum DEVM poposcit esse refugium.* Ita pius princeps ad exemplum Caroli M. qui, triduano ieiunio praemisso, quondam Auares vicerat, non existimauit, hoc ieiunio milites eneruandos, sed confirmandos potius, vt euentus probauit. Addidit etiam votum, in honorem S. Laurentii, cuius festa die pugnam initurus erat, episcopatum Merseburgensem excitandi, si victoria potiretur; denique post sacro-sanctum missae sacrificium, a S. Vdalrico patratum, pane fortium refectus, castris se restituit, vt haec Ditmarus, scriptor synchronus, vberius describit. (b) Sed rei gestae seriem ex alio synchrono, Vitichindo, quo nemo distinctius et vberius de hoc bello scripsit, audire iuuat, et ex eo subinde quorumdam errores refellere. Hic, postquam pridianum ieiunium, pugnae praemissum, insinuasset, quid ipso festo S. Laurentii M. actum sit, ita recenset: *Primo diluculo surgentes, pace data et accepta, operaque sua primum duci, deinde vnusquisque alteri cum sacramento promissa, erectis signis, procedunt e castris, numero quasi octo legionum.* *Du-*

(a) *Ap. Baron. ad h. a. n. VII.*
(b) *Chron. Libr. II.*

Ducitur exercitus per aspera et difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus vtuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam et secundam tertiamque legionem direxerunt Baioarii, quibus praefuerunt praefecti ducis Henrici; nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laboraret, qua et mortuus est. (Sed non *IV. id. Augusti*, vt Hermannus scribit; verum *kal. Nou.* vt necrologium Fuldense tradit) *Quartam vero ordinauere Franci, quorum procurator et rector erat dux Cunradus. In quinta, quae erat maxima, quae et dicebatur regia, ipse princeps, vallatus lectis ex multis militum millibus alacrique iuuentute; coramque eo angelus* (militare signum) *penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam et septimam construxerunt Sueui, quibus praefuit Burchardus, cui nupserat filia fratris regis. In octaua erant Bohemi electi milites mille, armis potius instructi, quam fortuna; in qua et sarcinae omnes, et impedimenta quaeque, quasi ipsa esset tutissima, quae esset nouissima.* A. C. 955.

CC. *Sed aliter res acta est, ac arbitrabatur; nam Hungari, nihil cunctantes, Lech fluuium transierunt; circumeuntesque exercitum, extremam legionem sagittis lacessere coeperunt, et impetu cum ingenti vociferatione facto, aliis caesis, aliis captis, sarcinis omnibus potiti, ceteros legionis illius armatos* XXI. Quantam illic cladem acceperunt?

A. C. 955. *tos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi, plurimis ex eis fusis, in fugam verterunt. Rex autem quum intellexisset, bellum ex aduerso esse, et post tergum nouissima agmina periclitari, misso duce* (Conrado) *cum quarta legione, captiuos eripuit, praedam excussit, latrocinantiaque hostium agmina perturbauit. Fusis latrocinantibus vndique aduersariorum agminibus, signis vltricibus dux Conradus ad regem reuertitur; mirumque in modum cunctantibus veteranis militibus, gloriae victoriae assuetis, cum nouo milite et fere bellandi ignaro triumphum peregit. - - Totum pondus praelii ex aduerso iam adesse conspiciens rex, - arrepto gladio et clypeo ac sacra lancea, ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis ac optimi imperatoris officium gerens. Hostium audaciores primum resistere; deinde, vt socios viderunt terga vertere, obstupefacti nostrisque intermixti exstinguuntur. Ceterorum vero alii, equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfusique armatis, cum moeniis pariter concremantur: alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa vlterior ascendentes non sustinet, obuoluuntur et pereunt. Eo die castra inuasa, captiuique omnes erepti: secundo die ac tertio a vicinis vrbibus reliqua multitudo in tantum consumta est, vt nullus, aut rarus euaderet.* Non fuisse cum Hungaris prima die debellatum, ex Gerardo quoque discimus, qui, quae fusius a Vitichindo narrata sunt, ita bre-

A. C. 955.

cuius exsequitur: (a) *Rex igitur, quum tantum exercitum Vngarorum perspexisset; aestimauit, non posse ab hominibus superari, ni DEVS omnipotens eos occidere dignaretur; in cuius adiutorium confidens, suorumque consolationibus principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere coepit; et quum mutua caede vtrobique cecidissent, et his interfectis, qui ad occisionem a DEO praedestinati erant, gloriosa victoria Ottoni regi a DEO, cui nihil est impossibile, data est, ita vt exercitus Vngarorum, in fugam versus, virtutem praeliandi vltra non haberet. Et quamuis incredibilis numerus illorum occisus fuisset; tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, vt hi, qui de propugnaculis Augustae ciuitatis eos venire conspexerunt, non pugna lacessitos eos redire existimauerant, donec praetereuntes ciuitatem, vlteriora Lici fluminis litora festinando repetere cognouerunt. Rex autem, cum suis eos sequens, et quibus se coniungere potuit, occidens, vespertina hora diei ad Augustam peruenit. Mane autem facto, fugitiuas barbarorum acies sequendo, regionem Baioariorum reuisit, festinisque legatis missis, tota remigia et vada fluminum obseruare praecepit ad occisionem eorum; quod et ita factum est. Illi autem nocte illuc venientes, quidam eorum ab his, qui in nauibus erant, fluminibus immersi sunt, quidam occisi sunt; qui au-*

(a) *Ap. Baron. ad h. a. n. VII.*

A. C. 955.

autem ad litus peruenerunt, ab his, qui litora obseruabant, interfecti sunt; nulla eis via, et nullum deuium ab eis inueniri potuit, quin in omni loco vindicta domini super eos manifeste maneret; ita etiam, vt non post multos dies reges eorum et principes comprehensi et ad Ratisbonam perducti, in ignominiam gentis eorum, cum aliis multis eorum comprouincialibus, eculeo suspenderint. Funestum quidem hoc praelium Hungaris erat; Germanis tamen etiam cruentum ac caede Conradi ducis nobilitatum fuisse, testatur Vitichindus, qui superioribus ista subiicit: *Sed non adeo incruenta victoria fuit de tam saeua gente; Chunradus quippe dux, fortiter pugnans, animi feruore solisque ardore, qui eo die nimius erat, accensus aestuat, vinclisque loricae solutis, dum auram captat, vulnere sagittae, aduerso gutturis defixae, cadit; cuius corpus, iuxta regis imperium, honorifice collectum, transportatur Vormatiam, ibique sepelitur, vir omni virtute animi ac corporis magnus atque famosus, cum fletu et planctu omnium Francorum.*

XXII. Quot duces in praelio hoc amiserunt?

CCI. Hermannus Contractus plura Germanorum nomina, qui praelio hoc occubuerunt, designat, quum omne hoc bellum paucis ita describit: (a) *Vngarii cum tantis, vt numquam ante, copiis percursa Baioaria, Licum fluuium transeunt: basilicam*

S.

(a) *Ad A. C. 955.*

S. Afrae Augustae incendunt: sanctum episcopum Vdalricum, multa instantia diuinum implorantem auxilium, Augustae cum suis obsessum, armis circumstrepunt; sed, superueniente cum exercitu Ottone rege, IV. X. (id.) *Augusti pugna valida nimis committitur: multum humani sanguinis funditur: caedes Vngariorum immensa sequitur: alueus fluminis fugientium cadaueribus oppletur: et, paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur: ipsi, qui tunc effugere poterant, per totam postea passim Baioariam capti trucidatique sunt: inter quos reges eorum comprehensi, Ratisponae patibulis suspensi sunt. In ipsa pugna ex nostra parte, inter alios multos, Conradus, dux bellicosus et pius, gener regius; et sancti frater episcopi, Theodbaldus; sororis eius filius, Reginualdus comes, auiae meae Berthae patruus, occubuere.* Sic ille reges Hungarorum Ratisbonae suspensos ait, quos melius duces Vitichindus appellat: *Tres*, inquit, *duces gentis Vngariae capti, ducique Henrico praesentati, mala morte, vt digni erant, multati sunt; suspendio namque crepuerunt.* Fulcuinus quoque commemorat (a) *miserandum post victoriam Cononis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captiuatos;* sed neque regis, quem vocat, neque ducum nomina prodit. Sigebertus regulos

A. C. 955.

(a) *Act. SS. ad 18. Apr. p. 565.*

A. C. 955. gulos eosdem promiſcue vocat: *Tres*, ait, (a) *reguli Hungarorum in bello capti, ſuſpendio perierunt.*

XXIII. An inter hos Bultſu numerandus?

CCII. Etiam Hepidanus in titulo regis errauit; eius tamen nomen ita corruptum prodidit, vt ex patriis ſcriptoribus, quis intelligi debeat, aduerti poſſit: *Multi illorum*, inquit, (b) *comprehenſi ſunt cum rege eorum, nomine Pulſzi* (al. Puſi) *et ſuſpenſi ſunt in patibulis.* Hunc eumdem Auentinus *Bultzkonem;* Anonymus noſter *Bulſum;* Turotzius *Bulchum;* Porphyrogenitus *Bultzum*, *tertium principem et carcham Turciae;* Cedrenus *Buloſudem;* Curopalata *Boleſodem;* Zonaras *Bologudem* appellant. Nec enim eſt dubium; quin idem ſub his nominibus lateat, quem Zonaras, *foedere, quod cum DEO icerat, rupto, arma Romanis intuliſſe; idemque contra Francos facere aggreſſum, captum eſſe et in crucem actum;* quem Cedrenus, *pactis, quae cum DEO inierat, reſciſſis, ſaepe cum omnibus ſuis in Romanos expeditionem ſuſcepiſſe; quod idem contra Francos tentantem, captum et ab eorum rege Ioanne* (Ottone) *in palum ſuffixum eſſe;* quem Curopalata, *violato foedere diuino, ſaepe omnem exercitum in Romanos adduxiſſe; quod quum in Francos quoque facere decreuiſſet, capum, ab*

(a) *Ad A.* C. 955.
(b) *Ad A.* C. 955.

ab Ottone, ipsorum rege, in crucem actum esse, scribunt. Vt adeo locum hic habere non possit illud Baronii: (a) *Ceterum de dicto duce Turcarum, ab Ottone capto et morte multato apud Latinos nusquam mentio.* Meminit enim Vitihindus, vt vidimus, *trium ducum gentis Vngariae captorum*, quos *mala morte multatos, suspendio crepuisse*, scribit; meminit Fulcuinus *ducum et principum captiuatorum;* meminit Gerardus, *regum eorum et principum comprehensorum et ad Ratisbonam perductorum, in ignominiam gentis - eculeo suspensorum;* meminit Hermannus, *regum comprehensorum ac Ratisbonae patibulis suspensorum;* Sigebertus, *trium regulorum Hungarorum, in bello captorum*, quos *suspendio periisse*, tradit. Et quamuis hi nomina ducum illorum non prodiderint; ex laudato tamen Hepidano scriptoribusque domesticis, vnum e suspensis ducibus fuisse Pulszium, Bulsum, Bulchum, qui Graecorum Bulosudi, Bolesodi, Bologudi respondeat, satis intelligimus. A. C. 955.

CCIII. Alterum e ducibus Hungaris captum ac suspensum esse scribunt annales domestici Lehelum, de quo Turotzius fabulas quasdam admiscet, dum totum hoc bellum ita describit: (b) *Regnante vero per Ale-*

XXIV. An de Lehelio Turotzius audiendus?

(a) *Ad A. C. 958. n. II.*
(b) *Chr. P. II. C. XXV.*

A. C. 955. *Alemanniam Conrado primo* (Ottone I.) *Hungari egressi, quibusdam partibus Teutoniae deuastatis, quum ad vrbem Augustam peruenissent, Vlrico* (Vdalrico) *episcopo cum ciuibus et Sueuiae primatibus resistentibus, tandem, quum Hungari eamdem obsiderent ciuitatem, obstinati, nolentes de vrbe recedere, missis nunciis ad Conradum memoratum, vt celeriter vrbanis succurreret, idem non omisit venire. Hungaris igitur se incaute circa obsidionem ciuitatis gerentibus, Alemannicus et Italicus exercitus illos inuasit ex abrupto; vt, si fugere voluissent, non potuissent; ex vna parte fluuio, qui illis diebus per canales mirabiliter inundauerat, impedimentum faciente; ab altera vero exercitibus praedictis circumuallantibus, sicut muris, illosque constringentibus. Sic itaque arctati ab hostibus, quidam captiuati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco Leel et Bulchu, illustres capitanei* (non reges, aut reguli) *captiuati sunt et ducti ad caesarem. Quos quum caesar requireret: quare Christianis essent sic crudeles, dicunt: nos sumus vltio summi DEI, ab ipso vobis in flagellum destinati; tunc enim per vos captiuamur et occidimur, quum persequi vos cessamus. Quibus imperator: eligite vobis mortem, qualem vultis. Cui Leel ait: afferatur mihi tuba mea, cum qua primum buccinans, postea tibi respondebo. Allataque est ei tuba; et appropians caesari, quum se ingereret ad buccinandum, ipsum caesarem sic fortiter in fronte cum tuba fertur percussisse,*

fisse, vt illo solo ictu imperator moreretur, dixitque ei: tu praeibis ante me, mihique in alio seculo eris seruiturus. Est namque fides Scythicorum, vt quoscumque viuentes occiderent, in alio seculo ipsis seruire teneantur. Detentique sunt sine mora, et Ratisbonae patibulo suffocati. Ex hac Turotzii narratione videtur orta fuisse traditio, qua creditur illud cornu, quod Iászberényii diligenter asseruatur, non aliud esse, quam quo Lehelius Conrado vitam eripuerit. Erat eburneum hoc cornu multo quondam diues auro, quod, bona magistratus venia, mihi quoque videre licuit annis 1753. et 1777. Quum eius videndi cupidus gubernator, qui priore seculo Budensibus Turcis praefuit, suos ad illud adferendum eo misisset; Iászberényienses veriti, ne quo pretiosius appareret, eo difficilius remitteretur, suas illi gemmas et aurum detraxerunt. Nunc igitur, veteribus ornamentis spoliatum, figuras quasdam, eleganter incisas, refert, et applicatum auribus, sonum, apum examini simillimum, edit. Nihil derogare velim vetustae traditioni, quae Lehelianum fuisse hoc cornu perhibet; nam peculiarem Lehelio classicum intonandi peritiam et consuetudinem Anonymus quoque tribuere videtur, quum ita scribit: (a) *Statimque Lehu - tuba cecinit.* At hac tuba Conradum caesarem a Lehe-

A. C. 955.

(a) *Cap.* XXXIX.

A. C. 955. lio ſublatum eſſe, nullus, qui vel a limine hiſtoriam Germaniae ſalutauit, admiſerit. Ex ea namque certiſſimo conſtat, in neutrum id Conradum, Germaniae regem, cadere poſſe; quorum prior naturali morte deceſſit A. C. 918. Alter Germaniae regnum poſt S. Henricum adiit A. C. 1024. Neuter igitur vixit tempore cladis Auguſtanae, ſeu A. C. 955. Legerit nempe, vel audiuerit Anonymus Turotzianus, Conradum aliquem in eo praelio caeſum; idque, ſimilitudine nominis deceptus, ad Conradum caeſarem traduxerit. Id, quod iam ante me plures obſeruarunt poſt Timonem, qui de re tota ſic pronunciat: (a) *Quum vero cladem hanc maximam acceperunt Vngari, Conradus imperator nullus erat. Fuit itaque Conradus, dux ille Lotharingiae, in congreſſu caeſus, quem reduces Vngari dixerint fuiſſe imperatorem, et ad gloriam gentis iactauerint. Aſſeruatur adhuc cornu quoddam apud Philiſtaeos Berenii, quod illud ipſum eſſe traditur, quo interfectus eſt Conradus. At exteri hiſtorici ſagitta ictum, voti et piaculi compotem factum eſſe, ſcripſerunt.* Ita certe Vitichindum ſcripſiſſe, ſupra vidimus. Quare, quum illa Turotzii narratio nec in hunc Conradum cadere poſſit; mallem, ſiquid ei veritas ineſt, Henricum, Bauariae ducem, Ottonis regis fratrem, qui poſt Auguſtanam cladem deceſſit, quam Con-

(a) *Im. ant. H. L. III. C. V.*

Conradum, intelligere. Nam ipse Vitichindus tres Hungarorum duces captos, huic Henrico duci praesentatos fuisse, plerique ceteri Ratisbonae suspensos esse, tradunt. Hic igitur Henricus adductos ad se duces eo modo, quo Turotzius refert, interrogare poterat, et a Lehelio fortassis ictum, sed non letalem, accipere; nec enim statim fuisse mortuum, ex necrologio Fuldensi constat, quod eius obitum ad calendas Nouembres figit. Eius audita morte, Hungari poterant existimare, Lehelium ictu buccinae caedis auctorem fuisse. Ceterum noua de Lehelio difficultas occurrit apud Hepidanum, qui ducis huius captiuitatem ad aliud bellum reiicere videtur, quum ita scribit: (a) *Et aliud bellum cum Hungaris gerebatur a Poemanis, vbi comprehensus est rex eorum, nomine Lele, exstincto exercitu eius.* Sed, vt obseruat Cl. Praius, (b) *verisimile non est, geminum hoc anno bellum ab Hungaris gestum fuisse ob immensas copias, quas secum ad Licum amnem adduxerant.* Hepidanum igitur suspicatur *memoria lapsum bellumque, quod Otto, victis ad Augustam Hungaris, in Sclauos, vt Vitichindus auctor est, obmouerat, perperam Hungaris tribuisse.* Ego vero suspicor, Lehelium tunc interceptum esse, quum Hungari Bohemos, qui legionem A. C. 955.

 octa-

(a) *Ad A. C.* 955.
(b) *Ann. vet. p.* 366.

A. C. 955.

octauam in Ottonis exercitu constituebant, primos inuaserunt; vnde Hepidanus, quasi distinctum cum Bohemis bellum Hungari gesserint, confusam de Lehelio capto narrationem adornauerit. De Lehel et Bulsu captis ac suspensis etiam Anonymus ita testimonium perhibet: (a) *Tandem Bauarorum et Alemannorum nefandis fraudibus Lelu et Bulsuu capti sunt, et iuxta fluuium Hin* (Aenum) *in patibulo suspensi, occiduntur.*

XXV. Quis caesorum Hungariae ducum tertius?

CCIV. Hos igitur duos Hungarorum duces, quos Anonymus ad Aenum, alii Ratisbonae, suspensos fuisse, tradunt, certos habemus; at, quia tam Vitichindus, quam Sigebertus, tres duces supplicio hoc affectos esse, scribunt; quis tertius fuerit, difficilem esse coniecturam, cum Cl. Praio fatemur. Hic ducem illum tertium arbitratur fuisse Botondum; (b) quod eum Anonymus Belae notarius in expeditionibus plerumque cum Lehel et Bulsu coniungat et adversus Ottonem ad Rhenum pugnasse, disserte perhibeat. Sic enim ille hanc cum Ottone pugnam describit: (c) *Tunc Hoto, rex Teutonicorum, posuit insidias iuxta Rhenum fluuium* (Licum scribere debebat) *et cum omni robore regni sui eos inuadens, multos ex eis interfecit. Botond*

(a) *Cap. LV.*
(b) *Ann. vet. p.* 366. 367.
(c) *Cap. LVI.*

tond et Vreun et reliqui exercitus magis volentes mori in bello, quam appropiatam sibi victoriam amitterent (nempe Bohemicam legionem iam vicerant) *tunc hostibus pertinaciter insistunt; et in eodem bello quemdam magnum ducem, virum nominatissimum* (Conradus hic fuerit, Ottonis gener) *interficiunt; et alios, grauiter vulneratos, in fugam conuertunt, quorum spolia diripiunt.* Ita quidem factum ex Vitichindo vidimus, postquam, extrema legione profligata, sarcinis totius exercitus potiti, septimam etiam ac sextam legionem in fugam impulerunt. At, his spoliis impediti, mox victis victoriam cedere coacti, non *redierunt ad propria regna cum magna victoria*, quod Anonymus subiicit; nisi forte Botondius tertiam partem exercitus, de qua postea, duxerit. Atque hanc expeditionem Anonymus male seiungit ab ea, qua Lehelum et Bulsum interceptos ac in crucem actos superiore capite scripserat; meliusque huic cladi conueniunt, quae post eorum ducum interitum ita de Botondio refert: (a) *Botondu et alii Hungarorum milites, qui ex eis residui fuerant, videntes, se malo dolo inimicorum coarctatos, audacter et viriliter steterunt, et ab inuicem non sunt alienati; sed alter alteram partem, mensurando periculum, praecipue sumserunt adiuuare, et vulneratorum more leonum, in me-*

A. C. 955.

(a) *Cap. I.V.*

A. C. 955. *dia arma fremebundi ruentes, hostes suos grauissima caede prostrauerunt.* Haec sustineri posse, colligimus e scriptoribus etiam exteris, qui, cruentam fuisse Germanis victoriam magno consensu tradunt. Et fortasse haec fuit illa tertia pars exercitus, cuius paullo post ex Turotzio meminerimus. Anonymum enim post Arpadi mortem minus accuratum, et rerum, ab Hungaris extra patriam gestarum, minus gnarum, ordine praepostero multa narrare certum est. Haec quoque partim sub Conrado, partim sub Ottone gesta perhibet: postquam ab Ottonis inimicis euocatos Hungaros scripsit, eam expeditionem, quam ex probatis scriptoribus retulimus ad A. C. 937. male huic immiscet: rursus in fine huius procursionis ad Ottonem redit; factaque mentione caedis ab Hungaris illatae cuidam magni nominis duci, quem nos merito Conradum interpretamur, innuit se loqui de praelio, quod ad Augustam cum Ottone gestum est, cum quo nullum Hungari bellum ad Rhenum habuisse leguntur; adeoque Rheno, quem Anonymus habet, Licus esse sufficiendus videtur. Quum igitur in hoc praelio Lehel et Bulsu capti sint, eorum supplicium iterum male huic bello praemisit. Quare luxatum esse hic ordinem et chronologiam in Anonymo, quod Cl. Praius alibi probat, (a) non diffiteor; pro-

(a) *Diss. IV. p. 72.*

propterea tamen omnem ei fidem abrogandam esse non arbitror; nixus eiusdem Cl. scriptoris principio, (a) iam alias a nobis laudato; (b) quum ipse quoque censeat: (c) *Anonymo, si non aliena ab vicinorum chronographis narret; nihil esse, cur fidem eatenus non tribuamus.* Cum vicinorum chronographis, cum antiquorum annalibus, multa iam ex Anonymo conciliauimus; nihil igitur est, cur ei fidem in his non tribuamus. At in narratione cladis Augustanae, quam is iam ad Rhenum, iam ad Aenum collocat; quomodo cum vicinorum chronographis conciliari possit, non inuenio; in his igitur eius fidem mordicus defendendam non suscipio; quamuis neque hic penitus reiiciendum, sed in alium duntaxat ordinem digerendum ac in geographia, cuius extra regnum non magnam notitiam habuisse videtur, corrigendum esse, censeam. Illum igitur si hic audimus, inter captos ac in crucem actos duces tertius haberi non potest Botondius, quem is, post cladem, ceteris Hungaris illatam, victorem in Hungaria sistit, morboque sublatum ad Verötze sepultum esse, scribit, vt alibi iam innuimus. (d) A. C. 955.

CCV.

(a) *Ann. vet. p.* 342.
(b) *Num.* 21.
(c) *Diss. V. p.* 100.
(d) *Num.* 170.

A. C. 955.

XXVI. Quis sub Auentini Sura latere potest?

CCV. Auentinus, praeter Bultzkonem, quem male regem appellat, et Lelium, tres alios Hungarorum regulos, seu duces, nominat, qui Ratisbonae laqueo necati fuerint. *Bultzko*, inquit, (a) *rex, eius quatuor reguli, Schaba, Lelius, Sura, Toxus, vna cum paucis capti, traditi sunt Eberardo, Boiorum dynastae. Is regem et quatuor principes Henrico, duci Boiorum, Reginoburgum misit; vbi ante portam orientalem, quae Vngariam versus spectat, patibulis affixi, laqueo necati sunt.* Vnde ceteros, praeter Bultzkonem et Lelium, acceperit, Cl. Praius, sibi quidem incompertum esse, scribit, (b) quod nemo veterum ceteros nominatim consignarit; in suis tamen dissertationibus aliqua monumenta producit, ex quibus Auentinus Surae nomen accipere potuit. Sic enim biographus S. Henrici, quum Merseburgensem ecclesiam in nihilum redactam commemorat, de Hungaris loquitur: (c) *Tempore magni Ottonis, illius, inquam, qui iuxta Lycum fluuium, sub S. Vdalrico, pontifice glorioso, Hungaros prostrauit; et reges eorum, Lelium et Assur, Ratisbonae, principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulis suspendit.* Quem hic biographus *Assurem*, chronicon Baioaricum appellat *Surem*, vnde suum *Suram* Auen-

(a) *Ann. Boic. Libr. V.*
(b) *Ann. vet. p. 367.*
(c) *Ap. Prai. diss. IV. p. 72.*

Auentinus depromserit; vnde vero ceteros, ex laudato quidem chronico non constat, quod, praeter *Sur* et *Beel*, alios non nominet. Hoc autem chronicon, quod quaepiam cum Auentino communia habet, ita iacturam Hungarorum persequitur: (a) *Exercitu vero Hunnorum crudeli strage damnato, milites comitis Eberhardi - - Sur, regem Hungarorum, et Beel* (rectius Leel) *ducem cum aliis quam plurimis Hungaris ad castrum Ebersperg detulerunt; sed dictos regem et ducem Ratisbonam regi Ottoni et suis principibus, omni auro et argento ablato, remittentes occidendos; reliquos autem Hunnos, in Ebersperg iugulatos, dire cruciant et in foueam profundissimam praecipitant et detrudunt, terraque operiunt et suffocant. Ac Eberhardus comes primitias tollens de torquibus aureis, quae sunt ornamenta colli, et tintinnabulis, id est, auri campanellis, in immis vestium dependentibus, tres libras auri ad faciendum calicem crucemque argenteam ad ecclesiastica ornamenta dedit. Rex autem VII. reges Hungarorum, ad ignominiam suae gentis, Ratisponae crucis patibulo iussit appendi, ceterosque viuos fossatis subhumari. Qui reges in quibusdam chronicis tres fuisse leguntur; in legenda autem S. Vdalrici principes appellantur: quod et verius videtur ex eo, quod, vt legitur in chronica Hungarorum, eisdem temporibus Hun-*

A. C. 955.

(a) *Ap. Prai. diss.* X. *p.* 241.

A. C. 955.

Hunni vulgariter - - non reges, sed capitaneos habuissent. Non est dubium, sub huius *Sur* et *Beel* biographi Henriciani *Lelium* et Assurem latere; nec alium Auentini *Suram* esse; quare hunc tertium e suspensis ducibus Hungaris statui posse; nisi cui placeat coniectura Cl. Praii, qui suspicatur: (a) *Germanos, audientes ab Hungaris dici, Az Ur, hoc est, dominus, efformasse suum Assur, et ex eo fecisse nomen proprium, quod erat generale, cuiuis domino congruens.* Ceterum *Assur*, *Sur*, *Sura* multum accedit ad *Vrsuur* et *Vrsuru*, cuius Anonymus idemtidem meminit; (b) non nihil etiam ad *Vrcun*, quem interfuisse praelio huic innuit. (c) An vero suum *Schabam* Auentinus ex vetusto *Chaba* non effinxerit, ignoro; certe nullum in historia Hungariae ducum affine huic nomen inuenio.

XXVII. An in Augustano praelio Toxus etiam caesus est?

CCVI. Quod autem Auentinus Toxum, regia dignitate spoliatum, inter duces releget affixumque patibulo cum ceteris affirmet; in eo vehementer illum hallucinari, Cl. Praius censet; *cuius Sane*, scribit is, (d) *quod regem, vel potius supremum ducem, Hungarorum fuisse, non ignorarint, men-*

(a) *Diss. IV. p. 72.*
(b) *Capp. X. XXXII.*
(c) *Cap. LVI.*
(d) *Ann. vet. p. n. 367.*

mentionem facturi veteres erant, vt Ottonis gloriam a capti regis morte posteris commendarent. Nec alia mihi videtur caussa, cur exteri passim vel regem, vel etiam reges Hungarorum captos et patibulo suffixos fuisse scribant, quam vt Ottonis victoris gloriam ex dignitate captiuorum augeant. Hepidanus et *Pulsium*, seu Bultsum, et *Lelem*, seu Lehelium, reges appellat; Auentinus *Bultzkonem* quidem regem, sed *Lelium* cum ceteris regulum vocat; biographus S. Henrici *Lelium* et *Assur* peraeque reges facit; at chronicon Baioarium *Sur* quidem regis; *Beel* autem ducis titulo condecorat; et tamen septem Hungarorum reges patibulo crucis appensos in fine subiicit, ac iterum et numerum, et titulum regum corrigit, quum alibi tres tantum reges fuisse, alibi hos non reges, sed tantum principes appellandos esse, legatur. His ita dissentientibus, ac circa numerum et titulum interfectorum fluctuantibus, nobis certum est, nullum in Augustana clade regem Hungarorum capi potuisse, quod nullus ante S. Stephanum, vt videbimus, Hungaris titulo regis praefuerit. Ductores igitur exercituum erant, quos exteri, reges ad augendam victoriae magnitudinem appellant. Inter hos Bultsum et Lehelium fuisse, patrii scriptores asserunt. De Toxo tam hi, quam exteri, praeter Auentinum, tacent. *Neque Henrico imp. gloriosum post illa fuisset*, vt

A. C. 955.

Schwar-

A. C. 955.

Schwartzius obseruat, (a) *Sororem Giselam nuptum dare Stephano, cuius Toxus auus pudenda morte periit.* Haec de ducum, nunc de ceterorum Hungarorum caede, quid verisimilius tenendum sit, exploremus.

XXVIII. An septem dumtaxat ex Hungaris remanserunt?

CCVII. Quid de promiscuae multitudinis strage primum exteri, deinde domestici scriptores tradant, sub vnum hic conspectum proponere libet. Ait igitur Vitichindus, *reliquam multitudinem in tantum consumtam esse, vt nullus, aut rarus euaderet.* Gerardus, S. Vdalrici biographus, *exercitum Vngarorum, in fugam versum, virtutem praeliandi vltra non habuisse - et incredibilem numerum illorum occisum fuisse - nullam eis viam et nullum deuium ab eis inueniri potuisse, quin in omni loco vindicta domini super eos manifeste maneret.* Continuator Reginonis, (b) *tanta caede prostratos esse, vt numquam ante - victoria talis audiretur, aut fieret.* Hermannus Contractus, (b) *innumerabilem eorum exercitum ad internecionem deletum esse.* Sigebertus Gemblacensis, (b) hoc *bello in tantum esse Hungaros victos et attenuatos, vt vltra iam nec mutire ausi fuerint.* Otto Frisingensis, (c) *Gloriosissimus*, inquit, *rex occurrit, tantaque*

(a) *Init. rel.* §. 38.
(b) *Ad A. C.* 955.
(c) *Lib. VI. C. XX.*

que praedictos barbaros virtute strauit, vt ex hinc gens omnium immanissima non solum regnum inuadere non auderet; sed et suum, desperatione correpta, vallibus et sudibus in locis palustribus contra nostros munire cogitaret. Quod vero hic tradit, ex omnium hostium numero septem tantum effugisse, id etiam in chronico Garstensi legitur in hanc sententiam: (a) *Vngarii, totam Bauariam depopulantes, iuxta vrbem Augustam, DEO iuuante, ab Ottone rege pugna victi, immensa caede necantur IV. idus Augusti, vsque ad VII. viros.* Chronicon item Baioaricum idem his verbis affirmat: (b) *Barbari vero - vsque ad internecionem, septem tantum residuis, omnes deleti sunt.* Quare cum Cl. Praio huc omnino censeo referendum esse, quod Turotzius de septem Hungaris, in seruitutem cum omni posteritate sua redactis, quod inglorii domum redire, quam cum reliquis occumbere, maluerint, ita narrat: (c) *Accidit autem, temporibus ducis Toxun, Hungarorum exercitum versus Galliam pro accipiendis spoliis ascendisse. Qui quum in reditu, Rheno transmeato, diuisi essent in tres partes, duae sine honore, vna cum honore in Hungariam descendebant, quam dux Saxoniae apud Isnacum, Thuringiae ciuitatem, demtis VII.* A. C. 955.

 Hun-

(a) *Ad A. C. 955.*
(b) *Ap. Prai. Diss. X. p. 241.*
(c) *Chron. P. II. C. IX.*

A. C. 955. *Hungaris, interfecit. Septem autem ex ipsis reseruatis, amputatis auribus, misit in Pannoniam: ite, inquit, ad vestros Hungaros, taliter enarrantes, vt amplius non veniant in hunc locum tormentorum. Duae vero partes, quae iam Sueuiam introierant, audito, quod acciderat eorum sociis et cognatis, dimiserunt spolia accipere in Sueuia, et quicquid eis occurrit a flumine Illyrici vsque flumen Saar, siue Leytha, occiderunt ab homine vsque ad pecus.* Multa hic Turotzium confundere, facile quiuis animaduertet. Nam si duae partes Hungarorum haec in reditu patrarunt; vnam autem, demtis septem, Saxoniae dux interfecit; quomodo *duae sine honore, vna cum honore in Hungariam descendit?* Melius igitur MS. chronicon seculi XV. quod Cl. Praius in suis dissertationibus producit, (a) haec ita connectit: *due sine honore, vna cum honore in Hungariam descendit: quas duas partes dux Saxonie, sine septem, Hungaros omnes, interfecit.* Quicquid igitur Turotzius de duabus exercitus Hungarici partibus interserit, vel e suo perperam addidit, vel aliunde quidem sumsit; sed alio tempore gestum, loco non suo retulit. Vnde, quum nec Isenaci laudatum chronicon, quo Turotzius vsus fuisse videtur, meminerit; tanto facilius Augustam Isenaco substituemus, quanto certius est, sub Toxo nullam eius-

(a) *Diss. X. p. 240.*

eiusmodi cladem Hungaros in Saxonia, vel Thuringia passos esse; quo tamen principe haec accidisse tam chronicon illud, quam Turotzius affirmant. *Hungaris autem VII. sine auribus*, pergit Turotzius, *pro eo, quod viui redierunt, et se occidi cum sociis non elegerunt; communitas poenalem sententiam dedisse perhibetur. Nam omnia, quae habebant, amiserunt, tam in re stabili, quam mobili; et ab vxoribus et pueris illos separantes, pedites sine calceis, proprium nihil habere permiserunt; semper etiam insimul de tabernaculo in tabernaculum mendicando, vsque dum viuerent, ire compulerunt. Qui quidem septem ob offensam huiusmodi Magyorkak et Gyoz* (forte gyász) *siue Lazari sunt vocati.* Hucusque Turotzius ipsis paene MS. chronici verbis vsus; cetera manuscriptum ita prosequitur: *qui Zentlasar vsque modo Zegun* (szegény) *nuncupantur. Et he sic vocate, quod sanctus rex Stephanus omnes illicite procedentes corrigebat, istorum generaciones vidit per domos et tabernas tantando, ad ipsorum sectas et trussas voluit edoceri, qui per singula, qualiter eorum patribus per communitatem acciderat, enarrarunt. Sed beatus Stephanus considerans, quod sine capite et principe nemo bonus extitit, ideo eis commisit, vt ad subieccionem auersorum sancti Lazari de Strigonia subdere se teneantur, et ideo vocari Zent Lazar Ziginy constat*, quasi dicas, pauperes sancti Lazari. Vix maior Romanorum, captiuos suos bello Punico

A. C. 955.

A. C. 955. non redimentium, feueritas fuit, ac ifta Hungarorum, qui tamdiu cladis acceptae memoriam in his, qui honeftam in praelio mortem defugerunt, eorumque pofteris fupereffe voluerint.

XXIX. Quomodo diffentientes fcriptores conciliari poffunt?

CCVIII. Ioannes Pinius in notis ad vitam S. Vdalrici miratur, (a) feptem dumtaxat Hungaros dici cladem effugiffe, quum in chronicis Germaniae, vbi res ex profeffo narratur, minorem elapfam effe Hungarorum partem, referatur. Nec mihi fatis verofimile videtur, ex tanta multitudine non plures, quam feptem, in patriam rediuiffe; nec Germanos, fi tam internecina clades fuiffet, in Hungariam irrupturos non fuiffe, vel faltem Mellicium, quod ad tempora Geifae Hungari fub fua poteftate cum fubiectis ad Anafum plagis retinuerunt, iisdem non erepturos. Quare videtur fuftineri poffe, quod Turotzius, Auguftana clade narrata, his verbis refert: (b) *Alius autem exercitus Hungarorum, in quo erant bene virorum armatorum quadraginta millia, caftra metatus eft, longe ab Augufta ciuitate, qui fentientes, focios fuos tam crudeliter arctari, captiuari et occidi, feorfum in quamdam filuam fe receperunt, exfpectantes, vt fe ab inuicem imperatoris exercitus fepararet. Et dum maior* pars

(a) *Act. SS. Iul. T. II. p.* 112.
(b) *Chr. P. II. C. XXV.*

pars caesaris exercitus iret versus Rhenum; Hungari, in campo quodam illos inuadentes, sagittis primitus illorum equos occiderunt, tota die ipsos nec descendere, nec quoquam fugere permittendo. Tandem vero, dum se mouere non possent, captiuari se dederunt, cum quibus socios suos, Ratisbonae detentos, redemerunt. Et haec fuerit illa tertia pars copiarum Hungaricarum, quae iuxta Turotzium alio loco, cum honore rediuit. (a) Septem illi, resectis auribus remissi, fuerint ex duabus partibus intercepti, quas Otto, Saxoniae dux, vt annales nostri loquuntur, simul tamen etiam Germaniae rex, internecione deleuit. Ita dissentientes scriptores, quorum aliqui partem Hungarorum, (b) alii septem dumtaxat rediuisse, (c) scribunt, conciliari posse videntur. Ita locum etiam habere potest, quod Anonymus de Botondio refert, eum *cum aliis Hungarorum militibus, qui ex eis residui fuerant, - vulneratorum more leonum, in arma ruisse; hostes, grauiter vulneratos, in fugam conuertisse*; (d) cuius rei scriptores exteri, magnitudine victoriae suae absorpti, ne hanc quoquo modo funestarent, non meminerint. A. C. 955.

(a) *Chr. P. II. C. IX.*
(b) *Chron. Germ. Hung.*
(c) *Chron. Baioar. et Garst.*
(d) *Capp. LV. LVI.*

A. C. 956.

XXX. An Geisa mox ab Augustana clade Toxo suffectus?

CCIX. Postquam Auentinus ea, quae prius ex Ottone Frisingensi vidimus, de Hungaris, Augustana clade fractis, narrasset, eos nempe, tanta suorum ruina prostratos, non de bello Germanis inferendo, quod antea per annos 55. continenter fecerant; sed de patria, vallo, fossa, sudibus contra victores munienda, cogitasse; quia Toxum inter eos, qui patibulo suffixi perierunt, retulit, ei filium Geisam suffectum ab Hungaris fuisse, perhibet. *Ne mutire quidem*, inquit, (a) *de cetero ausi fuere; regem tamen creant Geisonem, filium Toxi.* Iam antea, quum Bultzkonem Hungarorum regem; Toxum autem ei subiectum regulum fecit, Auentinum errasse monuimus. Praeterquam enim, quod patrii scriptores Arpadum eiusque posteros supremam apud Hungaros potestatem obtinuisse testentur; id etiam e Porphyrogenito, cui maiorem, quam Auentino, fidem deberi, nemo dubitat, non obscure colligitur. *Ante hunc Arpadem*, scribit ille, (b) *Turci principem alium nullum vmquam habuerunt; ex cuius etiam posteris ad hunc vsque diem princeps constituitur.* Et alibi (c) *Habent autem primum ducem exercitus principem e prosapia Arpadae, cum*

(a) *Ann. Boic. Libr. V.*
(b) *De adm. imp. C.* 38.
(c) *De adm. imp. C.* 40.

cum quo duo alii gylas et carchan., qui iudicum vicem obtinent. Si proinde Bultzko, quem Porphyrogenitus melius Bultzum vocat, charchas duntaxat, nec ex Arpadi posteris erat; perperam Auentinus eum regia potestate fulsisse scripsit; perperam ei Toxum, quem ex Constantino nepotem Arpadi fuisse constat, subiecit. Atqui Porphyrogenitus nusquam Bultzum inter Arpadi filios, aut nepotes censet; immo disserte carchan illum, tertiumque Hungarorum principem, et alia stirpe prognatum fuisse, docet, quum ita loquitur: (a) *Telesque* (nepos Arpadi) *moriens filium reliquit Termatzum, qui nuper in gratiam rediit cum Bultzo, tertio principe et carcha Turciae. Bultzus autem hic carchas filius est Cale charcha.* Quum igitur neque Bultzum, neque Calem, eius patrem, inter Arpadi posteros Porphyrogenitus numeret, e quibus tamen supremos ad suam vsque aetatem principes ab Hungaris constitutos fuisse, perhibet; Bultzko suprema potestate, seu regis, seu ducis titulo, Hungaris non praefuit. Quid, quod Auentinus ipse, velut aliud agendo, Toxum, tempore cladis Augustanae, supremum fuisse ducem Hungarorum, innuat, quum Geisonem, filium Toxi, regem creatum esse scribit? Quum enim e patriis scriptoribus certum sit, Toxum ante Geisam suprema potesta-

A. C. 956.

(a) *De adm. imp. C. 40.*

A. C. 956. te Hungaris praefuisse; si hoc bello caesus est, vt Auentinus vult, eodem bello Toxus, non regulus Bultzkoni subiectus, sed supremus Hungarorum dux fuit, aut numquam fuit. Licet autem supremam ei hoc tempore potestatem tribuamus; eum tamen interfuisse bello huic non asserimus; certe non fuisse caesum, neque Geisam ei statim ab Augustana clade suffectum, aduersus Auentinum contendimus. Nam Toxum Augustanae cladi superuixisse principatumque longo post tempore retinuisse, testis est Aloldus, quatuor seculis Auentino vetustior multoque fide dignior, qui tam cladem Augustanam, quam quae hanc exceperunt, ita describit: (a) *Tandem Deus, iustus iudex, retribuit eis mensuram confertam et coagitatam, confortans brachium Ottonis, magni imperatoris, - vt cum praedis redeuntes barbaros apud Vindeliciam immaniter superaret in die sancti Laurentii; innumeros ense mactaret et multa millia captiuorum ex eis viuos in terra sepeliret. Qua ex contritione ita defecit Hunnorum temeritas, vt numquam amplius in Germaniam auderent redire. Sed tamen Osterrichiam, eis proximam, nequaquam in pace esse sinebant; donec eorum dux, quem Vrzum appellabant, homo ferox et rapax instar belluae, a quo nomen habebat, superesset.* Superfuit ergo post Augustanam cladem Toxus, quem Vr-

zi

(a) *Ad A. C.* 955.

zi nomine venire iam alias innuimus, cuique Geisam Aloldus idem successisse scribit A. C. 972. Nec enim statim ab Augustana clade tanta Geisae fuit aetas, vt succedere tunc Toxo patri potuerit. A. C. 956.

CCX. *Nam, quum Constantinus*, verba sunt Cl. Praii, (a) *genealogiam Arpadi vsque ad Toxum pertexat; Geisae autem mentionem non faciat; videtur eo anno, quo librum suum Constantinus scripsit, Geisa aut nondum natus, aut puer admodum fuisse*, vt nondum eius natiuitatem Porphyrogenitus intelligere potuerit; alioqui mentionem eius inter Arpadi posteros iniecturus erat. Scripsit autem Porphyrogenitus caput XL. quo hanc genealogiam texit, sub A. C. 952. quum anno hoc eum scripsisse caput XLV. ex notis temporis colligatur, quas eo capite sic exponit: *Hodie, quae est indictio* 10. *a condito vero mundo* 6460. Ergo vel eodem hoc anno, vel huic proximo quintum retro caput scriptum fuerit. Trium igitur, aut quatuor annorum ducem Hungari sibi praefecissent, si, quod vult Auentinus, *regem crearunt Geisonem, filium Toxi*, quem interfectum esse retulit ad A. C. 955. Si vero Belae notarium audiamus, (b) qui natum fuisse Toxum scribit A. C. 931. licet daremus, ab illo statim

XXXI. Quo circiter tempore Geisa natus?

 aeta-

(a) *Ann. vet. p.* 367.
(b) *Cap. LV.*

A. C. 956.

aetatis anno 15to susceptum fuisse Geisam; hic nondum decem annos aetatis numerare potuit A. C. 955. quo dux ab Hungaris creatus fuisset. Quod licet a more Hungarorum id temporis non prorsus alienum esse censeamus, qui Zoltanum etiam puerum Arpado successisse, iam alias docuimus; quia tamen nusquam vllum vestigium praematuri huius principatus in Geisa, sicut in Zoltano, deprehendimus; non videtur admittendum, Geisam quadrimum, vt ex Porphyrogenito sequeretur, aut, vt ex Anonymo summum dici posset, nouennem fuisse ducem ab Hungaris creatum.

XXXII. Quo sensu Phalitzim inter principes censendus?

CCXI. Maior difficultas occurrit circa Phalitzimum, quem Constantinus sub haec tempora principatum inter Hungaros obtinuisse scribit, de quo nec nostri, nec externi scriptores quicquam memorarunt. Sed non alio hic sensu Porphyrogenitus principem Hungarorum Phalitzimum facit, quam alias Liunticam principem iisdem, Arpado superstite, dedit; principem nempe, vicaria potestate praeditum, et vel alicui parti Hungarorum praefectum, vel exercitui ducendo praepositum. *Ad eumdem modum,* inquit Cl. Praius, (a) *Phalitzim eam dignitatem ad tempus tenuisse censendus est; praesertim, quod ex Iutotza natus fertur, quem nemo vmquam Hungaris principem tribuit;* *quum*

(a) *Diss.* X. *p.* 242.

quum tamen iam a primordio instituti ducatus mos obtinuerit, vt filii hereditario iure patribus in principatu succederent. Quamquam, quae Porphyrogenitus de Phalitzim hoc loco habet, inter se conciliari vix possint. Ait, Phalitzimum, quum haec scripsisset, principatum obtinuisse; mox tamen addit, omnibus Arpadi filiis iam tunc mortuis, eorum tantum nepotes superstites fuisse. Atqui paullo prius Phalitzimum Iutotzae filium, non nepotem, esse, dixit; non igitur iam tunc, quum haec scripserat, superstes esse, nec adeo principatum obtinere potuit. Secus enim vel Phalitzim Iutotzae filius non erat, vel non soli nepotes Arpadi filiorum superstites erant; sed vel ille nepos, vel etiam filii superstites. Nec id satis assequor, quomodo Phalis et Thasis patruelem vocet Taxim, seu Toxum, quem Zoltani filium fuisse testatur, nisi Phales et Thases filii potius, quam nepotes, Arpadi filiorum fuerint. Nam, vt patrueles dici potuerint, sicut Toxus Zoltanum, Arpadi filium, patrem habuit; ita Phales et Thases eumdem Zoltanum patruum, eiusdem Zoltani fratres habere patres debuissent; adeoque non nepotes Arpadi filiorum, sed filii fuissent. Propter implexum igitur istum Constantini locum nullam nobis necessitatem imponi censemus, vt Toxum hoc tempore ducem Hungarorum fuisse, non profiteamur.

A. C. 956.

A. C. 957.

A. C. 957. *Tox.* 11. *Indict.* 15.

XXXIII. Quos colonos Toxus in Hungariam admisit?

CCXII. Vt Toxus imminutum Augustana clade Hungarorum numerum suppleret ac instauraret; nouos in regnum colonos ex aliis prouinciis libenter admisit ac fortassis etiam inuitauit. Huc enim pertinere videtur illud Anonymi de Toxo: (a) *Et audita pietate ipsius, multi hospites confluebant ad eum ex diuersis nationibus. Nam de terra Bular* (Bulgar) *venerunt quidam nobilissimi domini cum magna multitudine Hismahelitarum, quorum nomina fuerunt Billa et Bocsu; quibus dux per diuersa loca Hungarorum condonauit terras, et insuper castrum, quod dicitur Pest, in perpetuum concessit. Bylla vero et frater eius Bocsu, a quorum progenie Ethey descendit, inito consilio, de populo secum ducto duas partes ad seruitium praedicti castri concesserunt; tertiam vero partem suis posteris dimiserunt. Et eodem tempore de eadem regione venit quidam nobilissimus miles, nomine Heten, cui etiam dux terras et alias possessiones non modicas condonauit.* Eo libentius nouas hasce colonias Toxus in Hungariam recepit, quo maiorem popularium suorum iacturam nuper ad Augustam fecit. Monet vero Cl. Palma, nunc E. M. C. canonicus, olim mihi studiorum communione familiarissimus, (b) *Ismaelitas nul-*

(a) *Cap. LVII.*
(b) *Not. rer. Hung. P. I. p.* 41.

nulla ratione cum Iazygibus confundendos esse; hos enim Iudaeos, vel Saracenos origine, variis tempestatibus quaestus caussa in Hungariam illapsos, pone Iazygum terras sua habuisse tentoria, Caroli I. et Ludouici M. curis ad Christum traductos. Vtrumque fieri poterat, vt primum quidem a Toxo, quo vacuas cultoribus plagas ob nupernam cladem impleret, admitterentur; deinde plures etiam quaestus caussa variis tempestatibus in Hungariam illaberentur. Neque hic litem cultissimo scriptori mouere volo de Philistaeorum appellatione, quae his Ismaelitis olim tribui potuerit. A. C. 958.

A. C. 958. *Tox.* 12. *Indict.* 1.

CCXIII. Interea Hungari vires attritas sensim instaurarunt deque nouis expeditionibus suscipiendis, nouis colonis et sociis aucti, deliberarunt. Postquam igitur longum bellicosae genti triennium videbatur, quod ab Augustano praelio quieti datum est; arma rursus induerunt, eaque non iam in occidentem, vbi toties aduersam fortunam experti sunt, sed in orientem conuertenda censuerunt. *Turcis vero*, scribit Simeon Logotheta, (a) *ad ipsam vsque vrbem per paschae sollemnia excurrentibus Thraciamque omnem populantibus, ac quum multam egissent praedam, misit statim imperator* (Con-

XXXIV. Quomodo Porphyrogenitus Hungaros ex Thracia repulit?

(a) *Edit. Ven. p.* 371. *Par.* 496.

A. C. 958. (Constantinus Porphyrogenitus) *Pothum Argyrum, patricium ac excubitorum domesticum, cum subiecta illi legione, Bucellariorumque et Opsicii et Thracesii duces, qui e vestigio eos insequerentur; noctuque irruentes, eorum stragem fecerunt et contrucidarunt; praedamque, ac quotquot captiuos habebant, receperunt.* Scribit ista Simeon, postquam natum Porphyrogenito nepotem Basilium ad annum eius, solius imperantis, quartum decimum narrasset, qui congruit cum hoc anno 958. quo quia pascha incidit in XI. Aprilis; mensis quoque huius procursionis innotescit. Eadem, mutatis paullum verbis, continuator Theophanis ita refert: (a) *Turcis porro, expeditione aduersus Romanos suscepta, et ad ipsam vsque vrbem per diem festum paschae excurrentibus, Thracesque, quotquot in eos incurrebant, captiuos ducentibus multamque praedam abigentibus; mox imperator Pothum Argyrum, patricium et excubitorum domesticum, cum sua legione, ducisque Bucelariorum et Opsicii ac Thracesiorum, misit, qui traiicientes e vestigio eos insequerentur. Quamobrem, DEO acceptis Porphyrogenneti communiti precibus, facta noctu in hostem impressione, eorum late stragem dederunt. Expugnatis illorum castris, praeda recepta atque captiui. Turci vero ingenti ea clade ac fuga confusi, ad sua reuersi sunt.* Atque hic

(a) *Edit. Venet. p. 216. Par. 288.*

hic quidem precibus Conſtantini victoriam attribuit ingentemque Hungaris cladem adſcribit; et licet nullam temporis notam addat, ex qua diſci poſſit annus rei geſtae; quia tamen his paullo poſt Conſtantini morbum et mortem ſubiungit, quae contigit anno ſequente, haec excurſio figenda videtur ad hunc annum 958. Ad quem Baronius ducum Hungariae, Buloſudis et Gylae, baptismum itidem commemorat; ſed hoc eodem anno ſuſceptum ab iis fuiſſe, non aſſerit; quare corrigendus non eſt, vt Cl. Praius monet. (a) Id quod iam ante me Schwartzius aduerſus Inchofferum obſeruauit, (b) quum ait, Baronium hic ſupplere voluiſſe, quae ſuo loco notare neglexit, quod alias quoque ſcriptor eminentiſſimus facit. A. C. 959.

A. C. 959. Tox. 13. Indict. 2.

CCXIV. Poſtquam Anonymus Geiſae natiuitatem attigiſſet, quam Cl. Hellius ad ſuperiorem annum, nos anterius ob dicenda figendam cenſemus; nobiliſſimo duce Biſſenorum auctam fuiſſe Hungariam, his verbis narrat: (c) *Et in eodem tempore de terra Byſſenorum venit quidam miles de ducali progenie, cuius nomen fuit Thomizoba, pa-*

XXXV. Qui per Biſſenos, in Hungariam receptos, intelligendi?

(a) *Ann. vet. p.* 367.
(b) *Init. rel. p.* 34.
(c) *Cap. LVII.*

A. C. 959. *pater Vrcund* (distinctus hic est ab illo, cuius patrem Euseum Hungarum alibi (a) facit) *a quo descendit genus Thomoy, cui dux Tocsun dedit terram habitandi in partibus Remey vsque ad Tysciam, vbi nunc est portus Obad.* Quia Toxus sedes ad Tibiscum his Bissenis attribuit, eodemque subinde loco Cumanos Bela IV. destituit; Cl. Praius suspicatur, (b) id ex vetusta rei gestae memoria factum esse; *vt ob morum ac generis communionem ab rege illo locati sint, vbi eorum populares primum domicilia fixere.* Censet nimirum Cl. auctor, *Bessos et Bissenos nostrorum a Cumanis et Patzinacitis nomine solum, non item genere, differre, si ditionis, quam colebant, rationem habeamus.* Bessos enim in Moldauia, quam Patzinacitas olim incoluisse, certum est, habitasse probat ex eo Carthuitii loco, *quum Transsiluanos a S. Stephano monitos narrat,* (c) *vt aduersum Bessos, quos in eam prouinciam irrupturos, diuinitus cognorat, se suaque tutarentur.* Et Stiltingum, qui, Bessos ex Bosnia venisse, putat, ita refellit: *Quem enim in modum Bosnenses, emensa Seruia, traiecto Istro ac percurso banatu Temesiensi, in Transsiluaniam per populos istic colentes tam repente irrupturi erant, vt regem coelitus de subitaneo periculo*

lo

(a) *Capp. L. LVI.*
(b) *Diss. VII. p.* 169.
(c) *Vit. S. Steph. C.* 3.

lo admoneri oportuerit, quod fama ipsa, nec enim tam longinquae incursiones clam et sine strepitu fiunt, cognoscere poterat, ac suos de discrimine per nuncios admonere? Igitur, ne miraculi vim et anctoritatem elidamus, quod in auerso praesentissimo periculo eluxit, oportebat Bessos Carthuitii Transsiluaniae, cui imminebant, omnino vicinos fuisse, cuiusmodi praeter Blachos et Moldauos, ea aetate non alios exstitisse, compertum habemus. His addo, S. Stephanum, dum haec Bessi molirentur, a Transsiluania non procul abfuisse, quum Carthuitius dicat, *infra diem et noctem ad Albam Transsiluaniam veredarium* venisse; (a) potuit igitur Bessis arma tanto facilius opponere, quanto verosimilius est, circa plagas Temesienses, si tamen hac Bessis iter erat, eum venatui tunc institisse, quod Mellicense MS. innuit. (b) Nec obesse, quod MS. hic codex, Bessos Carthuitii de partibus Bulgarorum venisse, referat, Cl. Praius inde probat, quod Graeci Moldauiae partem non raro Bulgariam quoque dicant. *Qui situs*, inquit, *Bissenis nostris omnino congruit, quorum pars iam ante Andream II. Transsiluaniam colebat;* quum is *siluae Blachorum et Bissenorum* in priuilegio, Saxonibus dato, meminerit. Quoniam igitur Patzinacitas Russi Petsenigas, Luitprandus A. C. 959.

(a) *Ed. Prai. p.* 148.
(b) *Ap. Stilting. n.* 327.

A. C. 959. Picinacas, alii Picenos appellant; ex his Bisseni Bessique, qui Bessarabiae hodiernae nomen indiderint, oriri facile poterant. Quia vero Bissenos biographus S. Ladislai Cumanos appellat; (a) Cumanos autem, seu Cabaros, a Chazaris ortos esse, Porphyrogenitus affirmat; (b) Patzinacitae, cum Chazaris sensim permixti, Moldauiam simul incoluerint, iidemque iam Bissenorum, iam Cumanorum appellatione serius innotuerint. Hinc etiam, quum Cuni, seu Cumani, tempore Salomonis in Hungariam irruperunt; eorum ducem *Gyulam*, qui tribus Patzinaciticae, *Gyla* dictae, fuerit, Turotzius vocat. (c) Idem sub eodem rege Bissenorum principem *Kazar* nominat. (d) Quibus omnibus in vnum collatis, Patzinacitae cum Chazaris, seu Bisseni cum Cumanis, in vnam gentem coaluisse videntur, eademque subinde gens, iam sub Bissenorum, iam sub Cumanorum appellatione, diuersis temporibus in Hungariam traducta, merito putatur. Quumque hos seu Bissenos, seu Cumanos Hunnico genere prognatos esse constet; facilis semper illis aditus ad supremas in Hungaria dignitates patuit. Certe Thomoynum, ex genere Thomiszobae, ducis eorum Bissenorum, quos nunc in

(a) *Num. III.*
(b) *De adm. imp. C. 39.*
(c) *Chr. P II. C. XI.IX.*
(d) *Chr. P. II. C. L.*

in Hungariam a Toxo receptos ex Anonymo narrauimus, ortum, S. Stephani regis diplomati, comitis titulo, ſubſcriptum legimus A. C. 1037. (a) Quod difficilius fieri potuiſſet, ſi Biſſenos, ſeu Beſſos ex Boſnia cum Stiltingo profectos admitteremus. A. C. 960.

A. C. 960. Tox. 14. Indict. 3.

CCXV. Hungari, quod adhuc, Aloldo teſte, Mellicium in ſua poteſtate retinerent; in omnem nocendi ſuis hoſtibus occaſionem intenti, licet in Germaniam interiorem inſinuare ſe non auderent; *Oſterrichiam* tamen, vt ex eodem Aloldo vidimus, *nequaquam in pace eſſe ſinebant.* (b) Idque nunc potiſſimum eos feciſſe cenſendum eſt, quum nouas ſibi vires e Bulgaris ac Biſſenis accreuiſſe ſenſerunt. Ne vero Germani, furtiuas has incurſiones (nam ad manus ventum eſſe non legimus) vlturi, Hungariam perinde poſſent ex occaſione laceſſere, Toxus ex iis ipſis Biſſenis, quorum partem ad Tibiſcum collocauerat, quosdam iis in regni limitibus oppoſuit. *Et in eodem confinio*, ſcribit Anonymus, (c) *vltra lutum Muſun collocauit etiam Biſſenos non paucos habitare pro defenſione regni ſui, vt ne*

XXXVI. An Hungari rurſus Auſtriam aggreſſi?

(a) *Ap. Prai. diſſ. de S. Steph. p. 148.*
(b) *Ad A. C. 955.*
(c) *Cap. LVII.*

A. C. 961. *ne aliquando in posterum furibundi Tentonici, propter iniuriam sibi illatam, fines Hungarorum deuastare possent.* Ista quidem Anonymus sub Zultano refert, quia tamen nullam sub eo Bissenorum ad Hungaros accessionem factam fuisse legimus; his temporibus melius congruere videntur. Toxo quoque rectius ea conueniunt, quae de regni limitibus Ruthenorum opera communitis Anonymus ibidem ita perhibet: *Et in eisdem partibus dedit castrum construere Ruthenis*, quod ab eorum appellatione hodieque nomen in *Orosz-vár* retinet. Nec enim tantum sub Zoltano, quantum sub Toxo Hungariae discrimen a vicinis Germanis impendebat, vt eiusmodi gentium adscitarum praesidiis Hungaricus populus praemuniri debuerit.

A. C. 961. *Tox.* 15. *Indict.* 4.

XXXVII. Quantam Hungari cladem iterum in Thracia passi?

CCXVI. Quia Hungari non ignorarunt, Romanum iuniorem, Constantini Porphyrogeniti filium et successorem, bello Saracenico distineri, quum Nicephorus Phocas Candacem obsidione premeret; eius vero frater Leo Chabdanus Calepi ducem impeteret; in Thraciam, militibus, vt putabant, vacuam irruperunt. Sed senserunt, in suos motus excubare Marianum Argyrum, a quo cum clade reiecti, nonnullis amissis, inglorii domum repetierunt. Haec continuator Theophanis ante Candacem a Nicephoro captam attingit, quod anno sequente mense

Mar-

Martio, non indictione VI. quod hic continuator, neque XV. quod Cedrenus, sed V. quod Curopalata habet, contigit. Quare verosimiliter ad hunc annum referenda sunt, quo toto Candacis obsidio tenuit. Ita vero continuator laudatus rem compendio narrat: (a) *Turcis aduersus Thraciam erumpentibus, Marianus patricius, Argyri filius, summa ducis potestate Macedonum legioni praefectus, occidentique praepositus, in illos incurrens, ipsos praelio fudit, multisque captis, reliquos cum dedecore ad sua redire coegit.* Leuiorem hanc fuisse cladem e silentio ceterorum Graecorum colligimus; nam neque Cedrenus, neque Simeon eius meminere, non omissuri victoriam suorum celebrare, si memoranda fuisset. Ea proinde Hungarorum excursio non multorum, sed qualem paullò post memorabimus, paucorum, spe praedarum in Thraciam allectorum, fuerit.

A. C. 962.

A. C. 962. Tox. 16. Indict. 5.

CCXVII. Hungari, leui iactura, quam anno superiore fecerant, nihil moti, rursus in Graeciam non tam bellum illaturi, quam praedas acturi, procurrerunt. Ea vero fuerat illorum audacia, vt, licet non plures trecentis essent, vsque Thessalonicam excurrerent; ea fortitudo, vt hi tre-

XXXVIII. Quod facinus 300. Hungari iuxta Thessalonicam ediderunt?

 centi

(a) *Ed. Ven. p. 225. Par. 300.*

A. C. 963.

centi quingentos Graecos interciperent, et per medias hostium terras in Hungariam vsque secum adducerent. Testem admirandi huius facinoris habemus Luitprandum, legatione post sexennium Constantinopoli defuncturum, qui, quae narrat, ex ipsis Graecis accepit; immo, quae postea subiicit, suis oculis ipse spectauit. Hic igitur, in legationis suae historia de Nicephoro loquens, ad quem, iam tunc imperatorem, ab Ottone I. Romanorum imperatore, missus erat, ita, quae diximus, perhibet: (a) *Quum obsideret is Bareas; trecenti tantummodo Vngari iuxta Thessalonicam quingentos Graecos comprehenderunt et in Vngariam duxerunt.* Non est dubium; quin per Bareas Berrhoeam intelligat, quam Nicephorus Phocas, postquam Candaçem expugnasset et Cretam insulam Saracenis eripuisset, contra Chabdanum, a fratre Leone iam antea fusum, ire iussus, euastauit. (b) Quod quia hoc anno contigit; ad eumdem tempus huius incursionis Hungaricae tuto defigimus.

A. C. 963. Tox. 17. Indict. 6.

XXXIX. An eamdem fortunam 200. prope Constantinopolim habuerunt?

CCXVIII. Successu hoc prouocati Hungari, rursus in ditionem Graecorum irrupere; et, licet ducent tant in numero fuerint, prope Constantinopolim praedas egerunt.

(a) *Murat.* T. *II. p.* 485.
(b) *Cedr. ed. V. p.* 505. *Par.* 645.

runt. Quum tamen onusti spoliis iter domum reflecterent; in eas viarum angustias incauti deuenerunt, vt Graeci quadragenos ex iis interceperint. *Quae res*, pergit Luitprandus, (a) *quia prospere successit; compulit ducentos Vngariorum haud longe Constantinopoli Macedonia similiter facere; ex quibus, quum incaute per angustam redirent viam, quadraginta sunt capti.* Quid subinde his factum sit, ex eodem Luitprando postea referemus. A. C. 964.

A. C. 964. *Tox.* 18. *Indict.* 7.

CCIX. Quia Nicephorus, vir bellicosus, rerum apud Graecos anno superiore potitus est; Hungari non iam Graeciam, vbi nonnullam suorum iacturam, vt vidimus, passi sunt, sed Bulgariam incursarunt, lectisque spoliis, vt ex Byzantinis scriptoribus postea videbimus, Bulgaris nihil aduersus eos proficientibus, in patriam incolumes reuerterunt.

XL. Quo successu Bulgariam incursarunt?

A. C. 965. *Tox.* 19. *Indict.* 8.

CCXX. Ex iisdem scriptoribus Graecis colligimus, Petrum, Bulgariae principem, auxilia contra Hungaros a Nicephoro, cum quo pacis foedera, filiis obsidibus datis, inno-

XLI. Quibus conditionibuspacem cum Bulgaris iniuerunt?

(a) *Loc. cit.*

A. C. 966. innouauerat, (a) hoc circiter anno petiisse. Quae quum Petrus nullis precibus impetrare potuisset, seque solum imparem repellendis Hungaris sentiret; pacem cum his ea conditione sancire coactus est, ne Graecis alterutra gens armorum societatem polliceretur, si bellum cum iis aliquo tempore gerendum esset.

A. C. 966. Tox. 20. Indict. 9.

XLII. Quo de hinc arma conuerterunt?

CCXXI. Hungari, hac fiducia noui foederis erecti, liberius in Thraciam incurrerunt damnaque grauissima Graecis intulerunt. Quominus suis Nicephorus succurrere posset; bellum, quod cum Saracenis partim in Cypro, partim in Sicilia per suos duces gerebat, impedimento fuit. Certe, postquam in Sicilia tam exercitum imprudentia Manuelis ducis, quam classem ipsumque praefectum Nicetam amisisset; (b) infirmior euasit, quam vt pares Hungaris copias opponere posset.

A. C. 967. Tox. 21. Indict. 10.

XLIII. Cur Petrus, Bulgariae rex, Hungaris non obstitit?

CCXXII. Nicephorus igitur, ad tristia Hungaricae cladis, quae fortassis in hunc etiam annum continuabatur, vestigia contemplanda profectus, vbi Thraciam foedum-

(a) *Cedr. ed. V. p.* 506. *Paris.* 646.
(b) *Cedr. ed. V. p.* 512. *Paris.* 654.

dum in modum euastatam vidit; continuo Petrum, Bulgariae regem, per litteras hortabatur, vt Hungaris Istrum traiicientibus ac in Graecorum agros irrumpere volentibus deinceps obsisteret. Tempus actae rei Cedrenus ita nos docet: (a) *Anno imperii sui quarto, indictione decima, mense Iunio, exiit Thraciae vrbes contemplatum; quumque vsque ad magnam Sudam* (Scylitz. fossam) *peruenisset; Petrum, Bulgariae principem, hortatus est per litteras, ne sineret Turcos Istrum traiicere et Romanorum ditionem infestare.* Atque hic quidem tempus rei huius indicatur; cur tamen Petrus non obtemperauerit, quibusue praetextibus adhibitis, id recusauerit; Zonaras clarius in hunc modum exponit: (b) *Turcis autem, Vngris scilicet, Thraciam vastantibus, Bulgariae principi scripsit, ne illos Istrum transire pateretur et Romanas prouincias vastare. Id ille recusauit, quod imperator ipsi quoque auxilia negasset, quum ab iisdem inuaderetur. Nunc autem, postquam pacem cum iis facere coactus sit, postulare, vt foedus rumpat, et, armis sumtis, bellum suscipiat, cuius rationem reddere non possit.* Quae hic compendio referuntur, apparet, pluribus annis acta fuisse. Haec nos ita digessimus, vt primum Bulgariam vastatam ad A. C. 964. Tum, auxiliis a Nicephoro frustra petitis,

A. C. 967.

Hh 5 pa-

(a) *Ed. Ven. p.* 517. *Paris.* 660.
(b) *T. II. p.* 205. 206.

A. C. 968.

pacem cum Hungaris initam ad A. C. 965. Poſtea Thraciam ab iisdem eraſam ad A. C. 966. demum epiſtolam ad Petrum miſſam referremus ad A. C. 967. Quum Petrus nullis Nicephori ſeu iuſſionibus, ſeu comminationibus permoueri poſſet, vt, foedere rupto, periculoſum cum Hungaris bellum ſuſciperet; Nicephorus irritatus, quia vindictam de Petro ſuis viribus ſumere non potuit, Calocyrum patricium ad Suatoslaum, Ruſſorum principem, cum 15. centenariis auri miſit, vt eum ad inuadendam Bulgariam acciret.

A. C. 968. Tox. 22. Indict. 11.

XLIV. Quantum Nicephorus 40. Hungaris captiuis tribuit?

CCXXIII. Antequam Ruſſi Bulgariam inuaſiſſent; Nicephorus, contra Saracenos in Syriam profecturus, illos quadraginta Hungaros, quos ante quinquennium a Graecis interceptos narrauimus, e carceribus eduxit; ſplendidis veſtibus induit; inter corporis cuſtodes adlegit; in expeditionem Saracenicam ſub exitum Iulii ſecum accepit. Tantam is in virtute Hungarorum fiduciam habuit. Haec omnia Luitprandus, teſtis oculatus, qui tunc legatione Conſtantinopoli fungebatur, ita refert: (a) *Quos* (captos 40. Hungaros) *nunc Nicephorus de cuſtodia eductos pretioſiſſimisque veſtibus ornatos, patronos ſibi et defenſores pa-*

(a) *Murat. T. II. p.* 485.

parauit, *secum in Assyrios* (Syrios) *ducens*. Dum in Syria Nicephorus contra Saracenos bellum gerit; *Rossi obsequuti*, scribit Cedrenus, (a) *indictione undecima*, *Augusto mense*, *anno imperii Nicephori quinto*, *in Bulgariam impressione facta*, *multas vrbes ac castella Bulgarorum solo aequauerunt*, *praedaque potiti ingenti*, *domum redierunt*. A. C. 969.

A. C. 969. *Tox.* 23. *Indict.* 12.

XLV. Quomodo Hungari pro Russis bellum contra Graecos susceperunt?

CCXXIV. Russis Bulgariam iterum ingressis, Nicephorus, a suis XI. Decembris interfectus, Ioannem Zimiscam successorem accepit. Hic, de Russis e Bulgaria, quam pro sua iam vsurparunt, pellendis sollicitus, per legatos Suatoslaum monuit, vt ea mercede, quam Nicephorus addixerat, contentus, patriam repeteret. (b) Sed quia Suatoslaus prouincia hac occupata decedere noluit; bellum vtrimque magnis animis apparabatur ac a Russis etiam Hungari cum Patzinacitis in societatem armorum euocabantur.

A. C. 970. *Tox.* 24. *Indict.* 13.

XLVI. Quid erroris in hoc bello commiserunt?

CCXXV. Quum vndique hostiles copiae confluunt; *imperator*, scribit Cedrenus, (c) *ar-*

(a) *Ed. Ven. p.* 517. *Paris.* 660.
(b) *Cedr. ed. V. p.* 522. *Par.* 666.
(c) *Ed. Ven. p.* 522. 523. 524. *Parisin. p.* 666. 667. 668. 669.

A. C. 970. *armis eam rem disceptare coactus, missis litteris, celeriter exercitus ab oriente in occidentem transfert, eisque ducem, a se nominatum, praeficit Bardam magistrum, cognomento Sclerum, id est, Durum, cuius sororem Mariam priuatus adhuc legitimo sibi matrimonio coniunxerat; statuitque veris initio ipse quoque in bellum proficisci. Sed Rossi eorumque ductor Sphendosthlabus* (aliis Suentislaus, vulgo Suatoslaus) *audito, Romanas copias traiecisse, coniunctis, quas iam in sua habebat potestate, Bulgaris, adscitis etiam ad belli consortium Patzinacis et qui in Pannonia versus occasum habitabant, Turcis, exercitu bellicoso congregato ad CCCVIII. virorum millia* (vel, vt Leo diaconus habet, XXXVIII. millia) *Aemum egressi, vniuersam Thraciam incendiis ac praedationibus vastarunt; castrisque prope muros Adrianopolis factis, praelii occasionem praestolati sunt. At Bardas, qui se numero hostibus multo inferiorem sentiret, quippe duodecim omnino millium exercitu instructus, artibus imperatoris statuit barbaros circumuenire, astuque et machinis tantam opprimere multitudinem. Neque eum is conatus frustratus fuit. Quippe se cum suis intra muros continens, barbarisque crebro prouocantibus ad certamen de summa rerum ineundum non obtemperans metumque simulans, quantumuis suorum res ab hoste agi ferrique, cerneret, tamen suum tenebat propositum. Hoc pacto magnum sui contemptum apud Bulgaros excitauit. Ii enim rati, omnino formidine du-*

ctum

ctum Bardam suos moenibus inclusos detinere, neque audere egredi, libere porro vagari, castra negligenter metari et excubias debitas posthabere; noctes, potando, per ebrietatem inter fistulas et cymbala et saltationes barbaricas ducere; denique nihil eorum, quae attinebat, curare. Ergo Bardas occasionem nactus, et quomodo hostes adoriretur, accurate meditatus, die horaque ad hoc designatis dispositis per opportunissima loca insidiis, Ioannem patricium Alacasensem cum modica manu emittit, qui speculatum hostes excurreret; vbique ii essent, illico sibi renunciaret; hostibus appropinquantibus manum consereret; subitoque terga dans, speciem fugae exhiberet, non quidem vt effuse laxatis equorum habenis fugerent; sed paullatim et composito agmine recederent; nonnumquam etiam aequo loco conuersi, cum hoste pugnarent, donec eum in insidias pertraherent; tum vero effuse, et nullo ordine, fugam facerent. Erant barbari in tres diuisi partes. In prima erant cum Rossis Bulgari, seorsim Turci, seorsim etiam Patzinacae. Fors ita tulit, vt Ioannes primo omnium in Patzinacas incideret; quumque, vti mandatum ei fuisse demonstrauimus, oblique recedens, fugam simularet; Patzinacae, turbatis suis ordinibus, instabant, spe fugientes subito omnes delendi. Romani, modo agmine composito, fugientes, modo hostibus se se obuertentes ac praeliantes, ad insidias cursum tenebant; in quas medias vbi venerunt; laxatis habenis, effuse fugerunt, ac Patzinacae, dissipatis ordinibus, promiscue eos sunt inse-

A. C. 970.

A. C. 970. *insequuti. Sed vbi Bardas subito cum toto exercitu apparuit; re improuisa consternati, omissa persequutione, non quidem fugae, sed defensioni se se pararunt. Vehementi autem cum impetu Bardae exercitu irruente, atque altera quoque a tergo phalange, compositis ordinibus, ingruente, statim fortissimi quique Scytharum ceciderunt, et eorum phalange late dissipata, cornibus Romanorum coeuntibus, in medio deprehensi Patzinacae atque in orbem circumuenti, non diu vim sustinuerunt; sed, inclinata acie, prope vniuersi sunt occisi. His hoc modo victis, Bardas, quum ex captiuis intellexisset, reliquos adhuc integros, instructa acie, pugnam exspectare, recta in eos ducit.* Atque hos inter non solos Hungaros fuisse, vel inde colligitur, quod pedestris quoque militiae, quam Hungari hac aetate non profitebantur, mentio fiat.

XLVII. Quam a Barda cladem acceperunt?

CCXXVI. *Ii vero,* pergit Cedrenus, *tametsi recens acceptus de Patzinacarum clade nuncius animos eorum, insperata calamitate fractos, deiecerat; tamen mutuo sese cohortati, adscitis etiam, qui ex fuga confluebant, Romanis occurrunt, praemissis equitibus ac subsequentibus eos peditibus. Primo congressu equites a Romanis, quorum vis sustineri non posse videbatur, reiecti inque peditatum compulsi sunt. Ibi se recollegerunt et Romanorum impetum sustinuerunt. Aliquamdiu dubio Marte pugnatum est, donec Scytha quidam, mole corporis et robore animi elatus*

tus, ante alios progressus, in ipsum fertur Bardam, qui eques ordines obibat atque dictis animabat. Huius cassidi Scytha quum gladium inflixisset, ictu delabente, conatus irritus fuit. Bardas vero ense galeam Scythae feriit; et ob vim manus ac ferri praestantem tincturam ictui tanta fuit efficacitas, vt medium Scytham dissecuerit. Sed et Constantinus patricius, Bardae frater, alium Scytham, qui vna cum priore ingruebat ac se ferocius gerebat, vt fratri opitularetur, caput ferire dum vult, declinante ictum barbaro, huius equi ceruicem gladio tangit caputque amputat; collapsumque Scytham, ab equo descendens, manu mento eius accepto, iugulat. Hoc facinus Romanis animos auxit; Scythas autem metu impleuit. Itaque, obliti mox virtutis, terga dederunt; turpemque, nullo ordine, fugam fecerunt; quos insequuti Romani campum cadaueribus oppleuerunt. Plures interfectis capti sunt, et superstites, paucis demtis, omnes fuerunt saucii. Quod nisi nox ingruens Romanos a persequendo hoste reuocasset; nemo sane euasisset. De tot millibus barbarorum perpauci superfuerunt; de Romanis in acie ceciderunt XXV. vulnerati sunt vniuersi. Haec fusius ipsis Cedreni verbis, cum quo Zonaras in tota narratione conspirat, dare placuit, quod magna pars cladis etiam ad Hungaros pertinuerit. Certe hos maiore numero pugnae huic interfuisse, vel inde coniici potest, quod non tantum viciniores, sed etiam remotiores ex Pannonia Hungari fuerint

A. C. 970.

ad

A. C. 971. ad belli societatem adsciti; quodque seorsim integrum exercitum constituerint. An vero duo Scythae, quorum alterum Bardas Sclerus, alterum Constantinus interfecit, Hungari fuerint, quod Cl. Praius extra dubium ponit, (a) ratio subiecta non omnem dubitationem tollit. Nam licet Patzinacae, quos itidem nomine Scytharum apud Graecos venire constat, iam prius fusi fugatique fuerint; iidem tamen auctores etiam Russis Scytharum appellationem promiscue tribuunt. Quum igitur, Patzinacitis profligatis, in reliquos Bardas irruerit, qui partim ex Hungaris, partim ex Russis ac Bulgaris componebantur, *adscitis etiam*, vt Cedrenus ait, Patzinacitis, *qui ex fuga confluebant*; incertum manet, an audaces illi Scythae Hungaris sint adnumerandi.

A. C. 971. *Tox.* 25. *Indict.* 14.

XLVIII. An Hungari Russos porro quoque iuuerunt?

CCXXVII. Russos internecina clade non fuisse profligatos, inde patet, quod anno hoc fortiter bellum sustinuerint diuque Ioanni Zimiscae, Graecorum imperatori, restiterint; dum tandem et ad Peristlauam, et ad Durostolum ingenti clade victi, missa Bulgaria, Russiam repetiissent. An auxiliares Hungari hoc etiam anno Russis adfuerint clademque cum iis acceperint, quam-

(a) *Ann. vet. p.* 370.

quamuis id verosimile videatur, tacentibus Graecis scriptoribus, affirmari certo non potest.

A. C. 971.

XLIX. Quo successu S. Wolfgangus Hungaris Christi fidem annunciauit?

CCXXVIII. Certius est, Wolfgangum, eius coenobii monachum, quod in silua Hercinia Sueuiae situm est, studio fidei verae Hungaris annunciandae permotum, ad confinia Pannoniae hoc tempore venisse, de quo tam Anonymus eius biographus, (a) quam Arnolfus Vohburgensis, (b) ita scribunt: *Erat quidam vir, genere ingenuus, virtute strenuus, natione Alamannus, nomine quidem Wolfgangus. - - Is primum inter canonicos, siue clericos, laudabilem et castam duxerat vitam; dein arctioribus regulis implicari desiderans, in Sueuia apud coenobitas, qui solitarii vocantur, monachum professus est. - - Acrius intendens aciem mentis in speculum geminae dilectionis, - monasterium et monachum deserens; immò secundum apostolum maiora aemulari charismata cupiens, per Alamanniam deuenit exsul in Noricum, ad cuius orientalem partem cum humili comitatu pertendens, praedicandi gratia, Pannoniae petiit confinia; vbi veterum frutices errorum exstirpare et steriles squalentium cordium agros euangelico ligone proscindere semenque DEI inseminare frustrà laborabat.* Id hoc anno tentatum esse, patebit

(a) Cap. XIII.
(b) *De mem. B. Emmer. Lib. II.*

A. C. 972.

tebit ex iis, quae sequentur. Laudandus certe grataque memoria prosequendus est hic Wolfgangus ob tam pium conatum ac incensum in salutem gentis Hungaricae studium, licet ferocia nostrorum maiorum, armis assiduis induratorum, spem eius ac operam eluserit.


A. C. 972. *Tox.* 26. *Indict.* 15.

L. Quando Toxus ex hac vita demigrauit?

CCXXIX. Quominus optatum S. Wolfgangus fructum ex apostolicis laboribus suis retulerit; aspera potissimum Toxi ducis, ad hunc annum superstitis, indoles in caussa fuit. Quare Piligrinus, Lambecio Peregrinus, anno superiore Passauiensis antistes creatus, *quod dolebat*, scribit biographus, (a) *tantum colonum in sulcis sterilibus expendere laborem*, reditum eidem imperauit. *Itaque revocatus omnique humanitatis studio susceptus Wolfgangus, apud Piligrinum rogatus commorabatur aliquot dies, hoc inter cetera prudenti tractans mente, quare prohibitus sit ab adducenda ad DEVM Pannoniorum gente.* Cognita Wolfgangi virtute, Piligrinus apud Ottonem effecit, vt is ad Ratisbonensem cathedram non multo post eueheretur. (b) Quare pios conatus Wolfgangi tuto defigimus ad priorem et hunc

(a) *Ap. Hans. G. S. T. I. p.* 205.
(b) *Herm. Contr. et Ann. Einsidlens. ad A. C.* 972.

hunc annum; nam anno sequente magno cum prouentu Hungarorum conuersionem ipse Piligrinus, missis aliis euangelii praeconibus, tentabit, vt ibi videbimus. Nempe tunc Geisa mitior et in Christianos propensior Hungaris praeerit, Toxo hoc anno rebus humanis erepto, postquam aetatis quadragesimum primum, principatus vicesimum quintum annum compleuisset, sextumque iam inchoasset. Auo patreque ferocior, vtroque bellicis in expeditionibus infelicior, grandes hinc a Germanis, illinc a Graecis clades accepit, attritisque suorum viribus, ab armis cessandi necessitatem successori filio reliquit. Eum in vico Taksony, cui hanc appellationem a suo nomine videtur indidisse, sepultum esse, Turotzius his verbis innuit; (a) *Quia ipse Leuente catholice non vixit; ideo circa villam Toxun vltra Danubium est sepultus; vbi iacere dicitur Toxun, auus eius, more pagano.* Proauum dicere debebat; Toxus enim, praeter Geisam, alium quoque filium, suscepta Christi fide, Michaelem dictum, reliquit, qui subinde Ladislaum Caluum, et Vazulem, Leuentae patrem, suscepit. A. C. 972.



(a) *Chr. P. II. C. XLII.*

A. C. 972.

§. V.

GEISA, DVX V.

Coepit A. C. 972. desiit A. C. 997.

A. C. 972. Geis. 1. Indict. 15.

CCXXX.

I. Quot circiter annos Geisa numerauit, quum patri successit?

Geisae nomen, quod ab Ademaro *Geitz*, a Vitzenbergio *Gizo* scribitur, Hungari quidam, vt Cl. Praius innuit, (a) *ob relatas crebro victorias, ex vernaculo gyözöm, seu vinco, deducunt;* vnde Belius quoque Geisae nomen *Győző* rectius efferendum insinuat. (b) At vero nusquam in historiis illae victoriae, quas Geisa, pacis alioqui studiosissimus, crebro retulerit, comparent; nisi forte hoc nomen ob speratas victorias ei parentes indiderint, quin tamen vmquam omen huic nomini responderit. Apud Ditmarum Geisae nomen in *Deiux*, vel *Dewir* transformatum occurrit; (c) sub quo tamen Toxum potius, auum S. Stephani, quam patrem Geisam latere, censet is, qui sub Eusebii Verini nomine latet, in commentatione iuridica critica, quam de hereditario iure serenissimae

(a) *Diss. de S. Steph. p.* 118.
(b) *Not. nou. H. P. I. p.* 108.
(c) *Hist. Libr. VII.*

mae domus Austriacae in apostolicum regnum Hungariae vulgauit A. C. 1771. (a) Sed hunc *non nimis vere scripsisse*, Ditmarumque *de D. Stephani patre*, *non de auo*, *loqui*, Cl. Szarka recte quidem obseruat; (b) an tamen *Ouidianum* et *alcumysticum artificium*, quod Verino tribuit, ipsi quoque non conueniat, quum ex *Deiux* et *Dewir* per miras ambages *Geisa-Ur* exsculpere conatur, penes lectores arbitrium esto. Cl. Hellius Geisae natalem annum figit ad A. C. 958. eique, quum patri successisset, tribuit annum aetatis 24. (c) quia scilicet Toxum obiisse putat A. C. 982. Non dubitamus, virum celeberrimum, certa coniectura nixum, ita sentire; nos tamen, dum eius rationes patescant, Aloldi testimonio persuasi, decennio Geisae principatum occupamus. Hoc enim anno tam Toxum decessisse, quam Geisam successisse, colligimus ex his Aloldi notulis: (d) *Vrzo mortuo, Vngari elegerunt Geizzam, suae quidem gentis, sed natura mitiorem, quam barbari patres sui fuerunt. Hunc gratia DEI praeuenit, vt prudens consideraret mala maxima, quae sua gens tot aliis regionibus intulit; et crudeles strages, quas ipsa vicissim passa est; et ideo in pace maiorem* A. C. 972.

Ii 3 *spem*

(a) *Cap.* 1. §. 5. *p.* 9.
(b) *Coniect.* *p.* 32. 33.
(c) *Adium. mem.* *p.* 244.
(d) *Ad A. C.* 972.

A. C. 972. *spem habuit.* Opinationem Melchioris Inchofferi, qui Toxum e vita migrasse scribit A. C. 970. neque Geizam illico, quod per aetatem regnare non posset, sed quadriennio post, patri successisse, bene Timon reiicit; (a) additque, *propius fidem esse, Geisam et regno eo anno maturum, et nuptiis alligatum fuisse.* Quod multo propius fidem erit de hoc anno, ad quem eius initium principatus tamdiu figendum censebimus, quamdiu testimonium Aloldi vetustiore quodam elisum non fuerit. Ea porro, quae tam Aloldus hoc loco, quam Carthuitius aliique scriptores de Geisa produnt, arguere videntur, illum plures, quam quatuordecim aetatis annos, quum principatum auspicatus fuisset, numerasse; natum igitur esse ante A. C. 958. Nam, quia Porphyrogenitus, vt supra iam innuimus, quum Arpadi filiorum genealogiam texit, nullam Geisae mentionem facit; bene Cl. Praius arguit, (b) *eo anno, quo librum suum Constantinus scripsit, Geisam aut nondum natum, aut puerum admodum fuisse*, vt nondum eius natiuitatem audire potuerit. Scripsit autem Constantinus caput XL. quo posteros Arpadi recenset, sub A. C. 952. quum hoc anno se caput XLV. scripsisse, his verbis testetur: (c) *Hodie*

(a) *Im. ant. H. Libr. III. C. VII.*
(b) *Ann. vet. p.* 367.
(c) *De adm. imp. C.* 45.

Hodie, quae est indictio 10. *a condito vero mundo* 6460. Quum igitur vel eodem hoc anno, vel huic proximo quintum retro caput scripserit; annum Geisae natalem statuere possumus A. C. 952. quin Constantino repugnemus. Quamuis igitur in tam pertinaci veterum monumentorum silentio nihil de hoc certi pronunciare possimus, donec plura dies aperiat; Geisa haberi potest initio principatus annorum 20. quodque Timoni placuit, nuptiis alligatus. A. C. 972.

CCXXXI. De his Turotzius, quum de Gyula, Transsiluaniae principe, loquitur, ista subiicit: (a) *Habebatque filiam, nomine Sarolt, pulcherrimam, de cuius pulchritudine prouinciales duces diutius loquebantur; quam Geisa dux, consilio et auxilio Beliud, qui terram Kulam possederat, duxit in vxorem legitimam.* An non hic *Beliud* idem sit cum *Billa*, cuius nuper ex Anonymo meminimus; an non terra *Kulam* eiusdem Anonymi *Bular*; suspicari, sed certi nihil affirmare licet. Saroltam porro fuisse Gyulae filiam, matrem S. Stephani, non tantum Anonymus, (b) sed ceteri quoque patrii scriptores vno consensu tradunt, nosque deinceps etiam ostendemus. Haec igitur, Christiano patre nata, quod iam alibi vidimus, (c) postquam Geisae seu viuente

II. An iam tunc Saroltam, Gyulae filiam, coniugem habuit?

(a) *Chr. P. II. C. V.*
(b) *Cap. XXVII.*
(c) *Ad A. C.* 948.

A. C. 972.

uente patre, seu paullo post eius obitum, nupsisset; eius animum ad ea, quae Christianae religionis caussa sub initium principatus agere coepit, sensim emolliuerit. Nam, nisi hanc et Geisae iam hoc tempore nuptam fuisse, et, quia Christiana fuit, animum coniugis ad ea, quae mox caussa fidei suscepit, inflexisse, dicamus; difficulter illud Albertini biographi de hac Geisae coniuge testimonium explicabimus: (a) *Qua duce erat Christianitas coepta.* Haec enim accipi non posse de secunda Geisae coniuge, quam illi frustra Polonici scriptores attribuunt; sed de Sarolta, S. Stephani matre, cui, tamquam Christianae, visio de nascituro filio diuinitus oblata fuit, suo loco docebimus.

III. Quibus rebus suos intentos esse voluit?

CCXXXII. Quid Geisa statim initio principatus cordi sibi praecipue sumserit, Aloldus in laudatis notulis ita prosequitur: (b) *Igitur admisit consilium, sibi a DEO in animo inspiratum; et proposuit formare Pannoniam suam in rempublicam, et illam ditare non amplius iniustis praedis, sed licitis lucris. Et quia terram suam nouit esse bonam et fertilem; suasit genti suae, vt arma deponeret, et merces suas potius vicinis distraheret, quas sibi prouincia sua copiose germinaret.* Saluberrimum hoc Geisae ducis consi-

(a) *Cap. V.*
(b) *Ad A. C. 972.*

filium eius felicitatis initium erat, in quam regnum hoc tandem effloruit. Tamdiu certe nulla spes stabilis in fertilissima hac regione sedis erat, nec esse poterat; quamdiu Hungari, praedis agendis assueti, res domesticas negligentius curabant. At, vbi tot cladibus, quas partim in oriente, partim in occidente postremis annis acceperant, edocti, cum ingenti suorum iactura didicissent, tutiorem esse certioremque viam diuitias accumulandi, si res suas domi sedulo procurarent, quam si belli cum tanto periculo dimicarent; ad pacis studia tandem animum transtulerunt, seque ne hoc quidem viuendi genere quicquam aliis concedere docuerunt.

A. C. 972.

CCXXXIII. Otto M. rebus in Italia rite compositis, nuper in Germaniam cum filio reuersus, postquam Geisam Toxo patri successisse Hungarosque his studiis intentos esse didicit, Brunonem, episcopum Verdensem, legatum ad Geisam destinauit, seu dignitatem nouo principi gratulaturum, seu viam ad Christi fidem Hungaris annunciandam rimaturum ac praemuniturum. Nec alia videtur caussa fuisse, cur episcopum potius, quam alium aliquem e proceribus, hac legatione defungi voluerit, quam vt eius opera facilius euangelii praeconibus aditum in Hungariam aperiret. Erat nempe mirificum in Ottone M. propagandae verae religionis studium, quod iam alias in Bohemis et Polonis ad

IV. Cur ad eum Otto legatum Brunonem misit?

A. C. 972.

Christiana sacra traducendis eluxit. Vt porro cautius in tanto negocio procederet, Piligrino, Passauiensium episcopo, maiorem in modum commendauit, vt Bruno rebus ad hanc legationem obeundam necessariis instrueretur, ac ad fines Hungarorum, quibus Piligrinus ex episcopis vicinissimus erat, quam cautissime deduceretur, litteris in hanc sententiam ad eum datis: (a) *Otto, DEI gratia, imperator Augustus, Piligrino, venerabili Patauiensis ecclesiae episcopo, salutem et gratiam. Brunonem episcopum vestrae mittimus et committimus dilectioni, vt, quibuscumque apud vos indiguerit, vtensilibus, abundantissime adiuuetur; et tam vestris hominibus, quam et caballis aliisque in itinere rebus necessariis, quanto propius possit, Vngarorum confinio honorifice ac cautissime perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quo rex eorumdem nostro quam propere arbitrio sit colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc cautissime fieri legationem. Nam, si, vt apud nos sedet, prosperabitur; vobis in hoc vestrisque omnibus consuletur. Valete.*

V. Quis hic Otto, quisue Bruno, legatione perfunctus, fuit?

CCXXXIV. Quia nec vlla nota temporis epistolae huic affigitur, neque quis Otto, qui misit; neque quis Bruno fuerit, qui missus est, exprimitur; vtrum anno huic legatio haec alligari debeat, merito du-

(a) *Ap. Hans. G. S. T. I. p.* 207.

dubitatur. Piligrinus enim, ad quem epistola dirigitur, sub tribus Ottonibus ecclesiae Patauiensi praefuit; episcopus creatus A. C. 971. e viuis sublatus A. C. 991. Tres itidem Brunones eodem fere tempore floruerunt, quo Germaniae fasces Otto III. tenuit. Primus eiusdem amitinus, subinde sub Gregorii V. nomine Romanus pontifex creatus A. C. 996. Alter Russorum apostolus, teste Ditmaro, nonnisi post Ottonis tertii mortem episcopus consecratus. Tertium itidem Russorum apostolum Ademarus facit, et cum priore confundit. Sed nec ab Ottone III. nec Brunonem vllum ex his ad Hungaros missum fuisse, bene Hansizius ex epistolae laudatae titulo colligit. *Vocat enim se imperatorem Augustum, quod Otto tertius nondum fuit, Piligrino viuente; obiit namque Piligrinus anno* 991. *Otto tertius creatus est imperator anno* 996. prius tantum regis titulo Germaniam moderatus ab A. C. 983. Rursus idem auctor, rerum Germaniae studiosissimus indagator, obseruat, (a) *toto tempore quo Piligrinus ecclesiae Patauiensi praefuit, nullum omnino Brunonem episcopum occurrere, praeter vnum Brunonem, ex monacho Corbeiensi Verdensem episcopum, Hermanni, Saxoniae ducis, consanguineum, qui sedere coepit A. C.* 962. decessit, vt Callesius ex Ditmaro l. III. et An-

A. C. 972.

(a) p. 209.

A. C. 972. Annalista Saxone notat (a) *VII. idus Martii A. C.* 975. Quare tam sub Ottone I. quam sub Ottone II. legationem hanc obire potuit, inter A. C. 971. quo Piligrinus sedere coepit; et A. C. 975. quo Bruno viuere desiit. Vt tamen Ottoni I. laudatam epistolam tribuamus; et hanc Brunonis legationem ad annum istum figamus; suadet legatio Hungarorum ad Ottonem III. anno sequenti missa, quam illa Brunonis praecedere debuisse videtur; nec enim tanta cautione fortassis vsus Otto fuisset, si iam prius eum Hungari legatione, quam ad annum sequentem exhibebimus, excoluissent. Atque hinc etiam arguit Cl. Praius, (b) Geisam Toxo patri hoc anno successisse. Hanc enim legationum missitationem non in *Toxum, quem omnes praeferocem et ab externis abhorrentem; bene contra in Geisam, quem mitiori ingenio praeditum ac suos mercatus magis et politices, quam belli artibus condoce facientem exhibent, quadrare censet.* Quod vero Cl. auctor subiicit ex Carthuitio, qui Geisam fuisse principem scribit, (c) *quartum ab illo, qui ingressionis Hungarorum in Pannonia dux primitus fuit;* vel sic accipi potest, quod quartus post illum, scilicet Almum, fuerit; vel quod quartus inter illos, qui supre-

(a) *Ann. Aust.* P. I. *p.* 259.
(b) *Diss.* X. §. *VII. p.* 242. 243.
(c) *Edit. Prai.* C. I. *p.* 117.

premam more Chazarorum potestatem habuerunt; vel quod quartus ab Arpado, qui reuera primus Hungaros in Pannoniam, proprie dictam, induxit; Almo patre, qui dux itineris Vnguarinum vsque tantum fuit, iam exstincto.

A. C. 973.

A. C. 973. *Gei.* 2. *Indict.* 1.

VI. An Geisa huic legationi respondit?

CCXXXV. Postquam Otto Brunonem, episcopum Verdensem, ad Geisam vt fortassis ei nouam dignitatem gratularetur, reuera, vt viam ad inducendam in Hungariam Christi fidem rimaretur, dimisisset; hic, opera Piligrini, caute promotus ac ad Hungarorum ducem adductus, eum ad consilia pacis ita flexit, vt et ipse legatos ad Ottonem mitteret. *Otto imperator senior*, scribit Lambertus Schaffnaburgensis (a) *cum iuniore venit Quidilinburg, ibique celebrauit sanctum pascha X. cal. Aprilis; illucque venerunt legati plurimarum gentium, videlicet Romanorum, Graecorum, Beneuentanorum, Italorum, Vngarorum, Danorum, Sclauorum, Bulgarorum, atque Russorum, cum magnis muneribus.* Idem ceteri chronographi scribunt ac inter reliquos etiam Hungarorum legatos referunt; qui si legatione Brunonis, vt verosimillimum esse iam vidimus, ad id erant permoti, quum ad 23. Martii, in quam anno hoc incidit pascha

(a) *Ad A. C.* 973.

A. C. 973. ſcha, iam Quidlinburgi fuerint, Otto legatum illum anno ſuperiore miſerit, quum is non celeriter ac directe, ſed exploratis prius Hungarorum animis, quod moram requirebat, ad eos penetrare potuerit. Quare hinc etiam annus datarum ab Ottone I. litterarum a nobis ſtatutus confirmatur. His vltro citroque miſſis legationibus earum rerum fundamenta ſunt iacta, quae non tantum publicam pacem, ſed Chriſtianae quoque religionis per Hungariam propagationem plurimum promouerunt. Licet enim Lambertus aliique chronographi cauſſam et effectum harum legationum non prodiderint; aliunde tamen ſatis certum habemus, inter pacis initae conditiones illam non fuiſſe poſtremam, quam Otto poſtulauit, vt doctoribus Chriſtianis aditus in Hungariam aperiretur copiaque Chriſtianam fidem annunciandi daretur. Satis id innuit Piligrinus, datis ad Benedictum VI. non multo poſt litteris, vbi haec inter cetera leguntur: *A neophyta Hungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto ſub occaſione pacis fiduciam ſumſimus, operam exercere praedicationis.* Hoc igitur Otto ſua legatione ſpectabat; in hoc pactum foedus inter illum et Geiſam coaleſcebat; in hanc conditionem non inuitus Geiſa deſcendebat, de quo Carthuitius ita loquitur. (a) *Ea ſiquidem tempeſtate, qua gens*

(a) *Edit. Prai. Cap. I. p.* 117. 118.

gens praefata (Hungarorum) *Dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam, quartus ab illo, qui ingressionis Hungarorum in Pannonia dux primitus fuit, nomine Geysa; seuerus quidem et crudelis, veluti potentialiter agens in suos; misericors autem et liberalis in alios, et praecipue Christianos, ritu paganismo licet adhuc quidem obuolutus: tamen appropinquante spiritualis fulgore charismatis, cum omnibus circumquaque positarum prouinciarum vicinis de pace coepit attente tractare, vt iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri, secundum dictum saluatoris nostri, dicentis in euangelio: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Statuit insuper praeceptum, cunctis Christianis, ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis et securitatis gratiam exhiberi. Clericis et Monachis potestatem concessit, suam praesentiam adeundi, quibus voluntarium libenter aditum praebens orthodoxae fidei semen, pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere.* Hic fuit effectus legationis Ottonis; effectus pacis recens initae, quam Geisa tam sancte seruauit etiam post obitum Ottonis I. nonis Maii subsequutum, vt euocatis ad se verae fidei praeconibus omnem hospitalitatem et securitatem exhiberi voluerit ipseque suum in conspectum eosdem admiserit, ac pronis auribus audiuerit. Quod hoc loco Carthuitius perhibet; id ex Piligrini quoque litteris robur accipit, quibus se quoque scribit ab Hungaris inuitatum multisque precibus oratum, A. C. 973.

vt

A. C. 973. vt si minus ipse venire posset, alios illuc in opus euangelii dirigeret.

VII. An Geisae coniux in fidei Christianae negocium influxit?

CCXXXVI. Tantus ardor promouendae fidei; tantum studium euocandorum verae fidei praeconum aliunde repeti vix potest, quam a Saroltha, Geisae coniuge, filia Gyulae, Transsiluaniae principis, quem cum Bulosude, seu Bultsu, Constantinopoli Christianam fidem amplexum fuisse docuimus ad A. C. 948. Neque mirum cuiquam videri debet, si DEVM ad hoc opus opera mulieris vsum fuisse dicamus. Nam, vt obseruat Balbinus, (a) *pulcherrima in eam rem exempla suppeditant historiae, in quibus feminae multorum bonorum, maximeque religionis Christianae, regibus et regnis amplectendae caussa fuerunt.* Postquam Schwartzius, in vicem Giselae, quam Hungarorum populum Christianam fidem docuisse Balbinus asseruit, Saroltam substituendam affirmat; non esse dubitandum ait; (b) *quin socer Geisae, Gyula dux, incitamenta filiae pro virili parte sua, optimis consiliis fouerit, salutaribus monitis suffulserit, generoque in exsequendo praeclaro facinore, praesidio et ope adfuerit.* Pluribus deinde coniecturis, vt id persuadeat, vtitur; sed quia quid factum fuerit; non, quid fieri potuerit, inquirimus; an ipse Gyula quicquam in eam rem in-

(a) *Miscell. dec. I. l. 6. s. 1. C. 16.*
(b) *Init. rel. §. 32. p. 30.*

A. C. 973.

influxerit; an ad haec vſque tempora vitam produxerit, veterum teſtimoniis deſtituti, ſolas coniecturas aliis obtrudere nolumus. Certius aliquid de Sarolta, quam eius patre Gyula, habemus; quam proinde non iam coniectando, ſed ſynchroni ſcriptoris auctoritatem ſequendo, plurimum ad Chriſti religionem in Hungaria propagandam contuliſſe, contendimus. De hac biographus Adalbertinus, poſtquam S. Adalbertum a Bohemis iterum reiectum fuiſſe narraſſet, ita loquitur: (a) *miſerat* (S. Adalbertus) *his diebus ad Vngarorum ſeniorem magnum* (ſenior pro domino tunc accipiebatur; vnde Gallicum ſeigneur) *immo ad vxorem ſuam, quae totum regnum viri manu tenuit; et quae erant viri, ipſa regebat; qua duce erat Chriſtianitas coepta.* Non eſt igitur dubium, hanc Geiſae coniugem, quae viri partes in gubernandis Hungaris obibat, praecipuam in iisdem ad Chriſti fidem adducendis induſtriam adhibuiſſe; quae num eadem cum Ditmari Belegnegini, cum Polonorum Adleida fuerit, alibi diſcutiemus. Satis hic nobis eſt detexiſſe praecipuam cauſſam euocatorum in Hungariam euangelii praeconum, Geiſaeque ducis ad Chriſtianos benignius complectendos inflexi.

 CCXXXVII.

(a) *Acta SS. T. III. menſ. April C. V. n. 22. p. 195.*

A. C.
973.

VIII. An ipse Geisa Piligrinum in Hungariam acciuit?

CCXXXVII. Et Ottonis auctoritate, quae grandis apud omnes eo tempore fuit, et vxoris assidua cohortatione, quae plurimum apud maritum valuit, inductus Geisa Piligrinum, vt diximus, in Hungariam ad praedicandam Christi fidem inuitauit. Non libet hic morosius in dubium vocare, quod Schwartzio placuit (a) an ipse Geisa Piligrinum euocauerit; *neque enim*, inquit, *si ab ipso Geisa fuisset accitus*, *quum cetera tam diligenter apud pontificem praedicaret*, *memorabile inprimis facinus referre omisisset.* Sed quid erat opus nominare Geisam, postquam vniuerse Piligrinus ad pontificem scripsit: *a qua ergo praefata Vngarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire*, *aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere?* Meminerit Cl. Schwartzius argumenti, quod iam prius ex Piligrini litteris in haec verba duxerat: (b) *Quis sine bona magistratuum venia principisque ipsius voluntate*, *nutu*, *auspiciis*, *ea omnia acta sibi persuadeat*, *quae Piligrinus apud pontificem tanto praedicabat opere?* Sicut igitur ista sine Geisae ducis auspiciis fieri non potuisse censet, ita Piligrinum ad ea peragenda multis precibus inuitari non potuisse, quin vel ipse dux inuitauerit, vel inuitantibus consenserit, pari iure censeri debet. Sed quicquid de hoc sit, inuitatum certe Piligrinum in Hungariam fuisse, dubitare non pos-

(a) *Init. rel.* §. 17. *p.* 18.
(b) §. 8. *p.* 9.

possimus. Aberat tunc cum reliquis Bauarorum episcopis in Franconia, quod ex vita S. Vdalrici colligitur, vbi post Ottonis I. mortem Otto II. in sede regni collocabatur. Postquam Vdalricus mense Iulio decessisset, eodem cum aliis ex Franconia reuersus Piligrinus simul Hungarorum inuitationem intellexit, simul ad Christianae doctrinae sementem, tota late Hungaria spargendam, strenuas ex monachis et canonicis operas misit. Nam ipsum quoque Hungariam accessisse, recentiores quidem asserunt; ipsius autem litterae, paullo post referendae, non innuunt. Tantam vero messem in agro nouello collectam, fuisse testatur iisdem litteris, vt, anno nondum circumacto, quinque millia capitum sacri fontis aspersione coetui Christianorum aggregarentur. Maior tamen fructus ad illos Christianos pertinuit, quos Hungari per tot procursiones ex variis Europae prouinciis in miserrimam seruitutem abripuerant. Quum enim his nulla prius vel templorum, vel sacrorum copia fuisset; nunc, absterso metu, certatim et proles ad sacrum lauacrum, et manus ad exstruenda DEO vero templa conferebant. Tam faustis Christianae religionis initiis laetus Piligrinus, gaudium suum cum summo pontifice comunicaturus, per duos presbyteros epistolam ad eum direxit; quae saepius quidem a pluribus vulgata (a) huc A. C. 973.

 ta-

(a) *A Lazio, Lambecio, Bibl. caes. l. 2. p. 641. T. IX. Conc. p. 719. A Pagio ad. A.*

A. C. 973. taman etiam transferenda videbatur, vt, quae dicta sunt, confirmentur; neque qui mea lecturi sunt, eam aliunde petere cogantur.

IX. Quomodo Piligrinus messem, in Hungaria collectam, ad pontificem perscripsit.

CCXXXVIII. *Ordinis ac nominis carismate praerogato sanctae Romanae sedis vniuersalis pontifici Benedicto, Piligrinus, sanctae Lauriacensis ecclesiae humilis seruitor, fidelitatem precum deuotumque seruitium. Notum fieri dignetur vobis, summe sacerdotum praesul, quod supra omne animi mei desiderium nunc delectarer, et apostolorum visitare limina vestraque optabili perfrui praesentia, et ea facie ad faciem, quae litteris et internunciorum committo indiciis, sanctissimae paternitati vestrae, coram ratiocinari, nisi quod a neophyta Vngrorum gente, huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumsimus operam exercere praedicationis. Huius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum prouinciarum praedicatoribus meae dioecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus praesentis opportunitas temporis ire me vocauit. Quibus DEVS omnipotens, qui solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire di-*

C. 979. *A Timone Im. ant. H. l. 3. C. 7. Ab Hansiz. G. S. T. I. p. 211. A. Prai. Ann. Vet. T. 3. p. 373. A. Stilt. T. I. Sept. p. 476. A Karoly. Spec. laur. eccl. p. 22.*

dignatus est, ianuam cordis sui, diu clausam, vt, discisso velamine duritiae suae, depositaque ferina crudelitate, leui iugo domini colla submittant. A qua: ergo praefata Vngrorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. Ad hos dum transmitterem satis idoneos viros, ex monachis canonicisque presbyteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos, et vita et omni conuersatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici, tantum diuina gratia suis institutionibus fructum statim ministrauit, vt ex eisdem nobilioribus Vngaris vtriusque sexus Catholica fide imbutos atque sacro lauacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt, captiui, quibus numquam soboles suas licuit, nisi furtiue, domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore, offerunt eas baptizare; et gratulantur omnes, tamquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano more oratoria audent construere, et licentia percepta, linguam ligatam in laudem Saluatoris praesumunt, soluere. Ipsi enim barbari mira omnipotentis DEI operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus inuident, quocumque lubet proficisci; sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, vt illic Isaiae videatur impleri prophetia: lu- A. C. 973.

A. C. 973. *pus et agnus pascentur simul; leo et bos comedent paleas. Factum est ergo, vt paene cuncta Vngrorum natio sit prona ad percipiendam fidem sanctam. Sed et aliae Sclauorum prouinciae ad credendum promtae; et est ibi messis qnidem multa, operarii autem pauci. Vnde quoque visum est, iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic aliquos iubeat ordinari episcopos; quia et quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios septem antistites eadem orientalis Pannonia habuit, et Moesia, meae sanctae Lauriacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiae subiectos, quorum etiam quatuor, vsque dum Vngri regnum Bauariorum inuaserunt, sicut praesenti cognitum est aetati; in Morauia manserunt, quod nimium graue, ac valde onerosum est mihi, vt tot pontificii parochias solus praedicando circumeam, quibus necessitate et adiutorii inopia cogor numquam meam subtrahere praesentiam. Ecce dominorum amantissime, huiusmodi ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, et, ni fecissem moram saepe dictae gentis conuersioni, ire et prosterni ad vestra sanctissima vestigia non distulissem. Legatos tamen meos, praesentium scilicet portitores, ad vestram destinaui serenitatem, quos audire dignetur, quaeso, clementia vestra, et eorum meisque mixtim precibus praebere assensum, quatenus pallium infulamque pontificalem, quod speciale munus honoris ex hac sede tantum dirigitur metropolitanis; quod etiam mei praedecessores a gloriosis huius principalis cathedrae primatibus*

bus accipere soliti erant; mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam priuilegia apostolicae auctoritatis meae ecclesiae, per eosdem missos vestris praesentata sacris obtutibus, more praedecessorum vestrorum roborari supplico et confirmari, vt hac apostolica sanctione et benedictione munitus, mihi commissam populi gubernationem canonice exsequi valeam; et vestris rationibus in die iudicii imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua ecclesia domino lucrata sit. His professionem fidei de more veterum adiungit ac demum epistolam suam ita concludit: *Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire debeam, et ipse in suscepta nouitiorum ecclesia conuersari; rescripto paternitatis vestrae cautius, flagito, vt merear edoceri.* Non est dubium a pontifice responsum Piligrino redditum esse; sed quoniam illud intercidit, eius loco litteras alias eiusdem pontificis, ad metropolitas Germaniae datas, anno sequenti producemus ac vtriusque simul epistolae chronotaxim ita firmabimus, vt earum epocha non possit ante postremos huius, vltra primos sequentis anni menses collocari. Vtrum autem isti religionis verae praecones idioma Hungaricum iam antea calluerint, an Hungari Teutonicum a vicinis Germanis, vel Christianis captiuis prius edocti fuerint, incertum est. Fortasse iam tunc Hungari, saltem nobiliores, e quibus quinque millia sacro latice tincta fuisse Piligrinus scribit, linguam Latinam, quam

A. C. 973.

A. C. 973. gens ista semper familiarissimam habuit, edidicerunt. Hanc enim necessitatem iis imposuit ignorantia linguarum Europaearum, vt commune omnibus gentibus idioma sibi familiare redderent, cuius beneficio sermones cum populis adeo diuersis miscere possent. Nondum Geisam baptizatum esse, quum epistolam hanc Piligrinus ad pontificem scripsisset, ex eiusdem silentio colligitur. Quum enim quinquies mille Hungaros nobiliores salutaribus vndis ablutos commemorat; non erat silentio pressurus spolium omnium praestantissimum, ducis ipsius baptismum, si reuera collatus illi iam tunc fuisset.

X. Quos septem episcopatus quondam Pannonia Moesiaque habuit?

CCXXXIX. Altioris disquisitionis est, quod in eadem epistola Piligrinus in haec verba prodit. *Quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. antistites eadem orientalis Pannonia habuit et Maesia, meae sanctae Lauriacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiae subiectos, quorum etiam quatuor, vsque dum Vngari regnum Bauariorum inuaserunt, in Morauia manserunt.* Nam si septem illi episcopatus, quos ecclesiae Laureacensi subiectos fuisse, Piligrinus affirmat, in Pannonia fuerunt et Maesia, quomodo quatuor ex illis, ad incursionem Hungarorum in Bauariam, in Morauia manserunt? an Pannonia, Maesia, Morauia prouinciam eamdem constituerunt? Id quidem de Pannonia Morauiaque dici posset, postquam Suatoplugus rerum potitus Pan-

no-

noniam quoque magnae Morauiae nomine complexus est. Ast de Maesia non tam promtum est, constituere, num et quos episcopatus ecclesiae Laureacensi subiectos habuerit. Hansizius, quum de veteribus in Pannonia sedibus episcopalibus agit (a) inter has ait certas et indubitatas esse *Sirmiensem*, *Cibalensem*, *Sissiensem*, *Petouionensem*, *quam postremam tamen alii Norico adscribunt; his adde Mursensem ad Drauum*, *Singidonensem in Maesia prima &c.* Si certum esset Singidunum in Maesia prima fuisse, nihil esset difficultatis in episcopatu Maesiae designando, qui Laureacensi metropolitae subiectus fuerit. *Si verum est*, inquit laudatus Hansizius (b) *iurisdictionem metropolitanam Laureacensium ad Maesiam vsque proprie dictam, pertigisse, tum recte colligas, ad eam etiam spectasse Singidonensem, quem quum in Maesia sit, quidam tamen Pannoniae accensent.* Atque ego quidem ita statuo, Singedunum, adeoque Singedunensem etiam episcopatum, seu iam ille Laureacensibus obnoxius fuerit, seu non; in Pannonia, non Maesia, collocandum esse. Rationes opinionis huius eo libentius hic producam, quo certius illis non tantum propositam de Maesia difficultatem, sed Pannoniae quoque geographiam illustratum iri spero.

A. C. 973.

(a) *Germ. S. T. I. p.* 21.
(b) *Loc. Cit.*

A. C. 971.

XI. An Singedinensis episcopatus in Moesia fuit

CCXL. Recentiores Singedonem, seu Singidunum, in Seruia, quae Maesia superior veteribus dicebatur., plerique collocant. Christophorus Cellarius, *superioris* inquit, (a) *Maesiae ad Danubium fuerunt Singidunum, post Senderouia dicta &c.* Geographiae Hübnerianae synopsis inter Seruiae seu Maesiae superioris vrbes quinto loco numerat (b) *Semendriam, Graecis Sphenderouiam, nobile veteris Singeduni vestigium.* Laurentius Karolyus, vbi veteres Pannoniae episcopatus ex Martino Szentiuanyio recenset, (c) tertio numero ponit *Singidunensem, Hungaris Vég-Szendrö.* Horum igitur opinatione Singidunum stetit, vbi hodie Semendria, Senderouia, Hungaris Vég Szendrö, quae vox, e *Szent Endre* contracta, sancti Andreae ciuitatem indicat. Contra vero Timonis et Seuerini sententia Singidunum, vbi Belgradum; Taurunum, vbi hodie Zemlinum iacet, collocat. Horum prior, *illorum*, inquit, (d) *ipsorum scriptorum, qui Semendriam existimauerunt esse Singidunum, ratio vel coniectura stat pro Belgrado. Si enim quidam auctor topographiae magni regni Hungariae, ex Cellario idcirco opinatus est, nomen Singiduni recte attribui Semendriae, quia in colle*

(a) *Geogr. ant. p. m.* 145.
(b) *Edit. Tirn. p.* 231.
(c) *Spec. laur. eccl. p.* 17.
(d) *Im. ant. Hung. l. I. C. VI. p. m.* 29.

le sita est, prout exigit notio verbi Dunum, quod Celtarum vel Graecorum lingua montem aut collem valet; iam controuersia diiudicata est, et vicisse debeo. Belgradum enim in monte et decliui, Semendria in plano solo explicata est. Posterior e tabula Peutingeriana, *quae inter confluentem Saui et Danubii inter Taurunum loco numeri ponit CO*, arguit, (a) *indice velut digito ostendi, Taurunum (Semlinum) et Singidunum (Belgradum) non multis parasangis inter se cohaerere.* Vtriusque huius scriptoris argumentum euincit, Singedonem olim non illic, vbi hodie Semendria visitur, stetisse; neutrius tamen ratiocinatio conficit, eamdem Singedonem illic, vbi hodie Belgradum surgit, olim iacuisse. Nam perinde fuerit ad distantiam exiguam, a tabula Peutingeriana has inter vrbes indicatam, etiamsi Taurunum in loco Belgradi; Singidunum in loco Semlini collocemus, quum non magis distet Belgradum Semlino, quam Semlinum Belgrado. Timoniana ratio tamdiu meum assensum morabatur, quamdiu meis oculis ipse situm Semlini non perlustraui. Quum enim nullum vel scriptorem, vel oculatum testem habere potuissem, qui me doceret, an mons, aut collis, quem etiam testimonio Cl. Seuerini *Dunum* veteres vocabant, Semlini habeatur, hoc in loco Singidunum, vt iam dudum

A. C. 973.

(a) *Pann. illustr. l. I. C. XII. p.* 31.

A. C. 973.

dum ex rationibus mox adferendis suspicabar, collocare non audebam. At postquam feriis autumnalibus inferiores Hungariae partes oculis historicis perlustrandas sumsissem A. C. 1775. Belgradoque naui circumuectus, Semlinum accessissem; collem adsitum, in quo tristia veteris arcis rudera superant, conscendissem; oculis in omnem late viciniam circumlatis, quicquid in historicis de Singiduno legeram, in memoriam reuocassem; explicare non possum, quod gaudium in animo senserim, quando situm Semlini ad amussim Singiduno respondere measque suspiciones ipso visu confirmari deprehendi.

XII. Qui scriptores Singedunum in Pannonia locant?

CCXLI. Harum suspicionum, quae iam in sententiam apud me migrarunt, origo prima fuit, quod et apud Ammianum Marcellinum, et apud Sextum Aurelium Victorem, vtrumque seculi IV. scriptorem, legerim, Iouianum imperatorem in Pannonia Singiduni natum esse. Noueram enim ex Plinio (a) *Pannoniae iungi Maesiam, ac incipere a confluente Saui*; Singidunum igitur, si fuit in Pannonia, cis confluentem Saui quaerendum esse, statuebam; nam vltra confluentem, vbi Belgradum est, Maesia iam incipit. Noueram, quod ipse Cl. Seuerinus agnoscit, (b) *itinerarium Hierosolymitanum*

(a) *Hist. Natur. L. III. C. XXXVI.*
(b) *Pan. ill. l. I. C. 12. p. m. 32.*

solymitanum, *seu Burdigalense*, *post Singidunum*, *finem Pannoniae statuere initiumque Maesiae*; non igitur in Maesia, sed in Pannonia Singidunum esse locandum inferebam; secus enim non post Singidunum, sed ad Singidunum initium Maesiae fuisset. Noueram, apud Procopium, (a) *in Pannonum vrbibus Singidunum ac Sirmium numerari*; historiam miscellaneam testari (b) *Gepides villas*, *quae sunt circa Singidonem et Sirmium*, *habitauisse*; hinc arguebam, vt Sirmium, ita Singidunum cis Sauum, et in Pannonia, stetisse. Neque his tam manifestis testimoniis satisfacere mihi videbatur seu Timon hoc responso: (c) *Propter hanc Singidonis*, quam in Maesia Belgradi collocauit, *et Pannoniae propinquitatem Ammianus existimauit*, *Iouianum imperatorem patre comite Varroniano Singidone in Pannonia natum fuisse*; seu Cl. Seuerinus eodem argumento his verbis exposito: (d) *Quia Singidunum ita proximum erat Panno-niae*, *a plerisque etiam huic adscriptum est regioni*. Quo minus aquiescerem his responsis, effecit Menandri locus hic de Cagano Auarum, (e) *cum omni exercitu mouens*, *inter Sirmium oppidum* (*hoc ex insidiis capere*

A. C. 973.

(a) *Goth. I. C.* 15. *p. m.* 30.
(b) *L. XIV.*
(c) *Im. ant. H. L. I. C. VI. p. m.* 29.
(d) *Pan. ill. p.* 32.
(e) *In. exc. Leg. ed. Ven. p.* 65. *Par. p.* 127.

A. C. 973.

pere cogitabat) et Singedonem castra ponit; ad eamdem igitur septemtrionalem Saui ripam et Sirmium, et Singedon erat. Quod magis elucet ex iis, quae mox subiiciuntur: *et fluuium ponte iungere suscipit*; quid opus erat ponte, si Singedon in aduersa ripa fuit, intra quam et Sirmium, castra iam posuit Caganus?

XIII. An Timon et Seuerinus eorum auctoritatem eneruant?

CCXLII. Miror igitur, Timonem hoc Menandri loco non ad corrigendam, sed confirmandam suam sententiam vti potuisse: *Suffragatur*, inquit, (a) *Menander*, *Graecus scriptor*, *qui Cagani*, *hoc est principis Abarorum*, *Sirmium oppugnaturi*, *apparatum exponens*, *notificat*, *principem illum magnam vim trabium ex superiore Pannonia secundo Danubio ad Sauum Singidonemque deuexisse.* Nihil in tota Menandri narratione suffragari video sententiae, quae Singedonem in loco Belgradi statuit; immo facilius Caganus *cum omnibus Abarorum*, vt Menander loquitur, *pedestribus copiis per Sirmianam insulam cursum tenuit et ad Sauum peruenit*, si Singidunum, non vbi Belgradum, sed ubi Semlinum est, stetit. Sic enim insula, quae Semlino praetexitur, Auares, in orientali Danubii brachio nauigantes, aduersus Semlinenses, non item aduersus Belgradenses, vt loci situm non ignorantibus clarum est, tueri poterat. Auaribus autem Sin-

(a) *L. I. C. VI. p. m. 28. 29.*

Singidunum ita praeteruectis, vt, quin a Graecis impeti possent, ad Sauum, qui mox ad Belgradum Danubio miscetur, peruenerint, Sethus, Singedonis praefectus, ea, quae postea Menander pluribus narrat, cum Cagano transegit. Quod quia perinde fieri poterat, seu hic Sethus Belgradi, seu Semlini praefectus fuerit, hic quidem locus Timonianae sententiae non suffragatur, cui iam alias eiusdem Menandri sententias aduersari docuimus. Non minus etiam miror Cl. Seuerinum, contra clarissima testimonia laudatorum scriptorum ita concludentem: (a) *Rectius tamen vrbs haec cum a Ptolemaeo, tum a tabula Theodosiana, notitia imperii Romani, et Simocatta in Maesiam superiorem transfertur.* Cur vero rectius? *quod Singedonem cum Sirmio tenuerint Gepidae*? atqui vel ideo Singedonem in eadem cum Sirmio Saui ripa verosimilius collocatur; an, quod *quinta hinc ad Mursam apud Drauum castra locari poterant*? atqui hoc *scitissime* non tantum *ad Belgradum*, sed multo magis ad Semlinum *quadrat.* Nec vsquam inuenio locum, quo seu Ptolemaeus, seu Simocatta Singedonem in Maesiam superiorem transferant. Quum enim Ptolemaeus in Illyridis geographia, Drinum in Sauum influere scribit, *ab occidentali latere Tauruni*; pro nobis, qui non Singedonem, sed Taurunum in loco

A. C. 973.

(a) *Pan. ill. p.* 32.

A. C. 973. co Belgradi ſtatuimus, totus eſt. Senſit vim huius teſtimonii Timon, eiusdem cum Cl. Seuerino ſententiae, ſatisque habuit erroris eum arguere: *Alter*, inquit, (a) *Ptolemaei locus in geographia Illyridis rem dubiam reddere videtur, quo ſcilicet Drinum fluuium, in Scardo monte ortum, aſſerit, in Sauum influere ab occidentali latere Tauruni; ſed, ne ſecum pugnet, dicendum eſt, illum hic potius, quam in definitione Myſiae oſcitanter egiſſe.* Mirum certe, quomodo hic oſcitantiae Ptolemaeus argui poſſit; quomodo ſecum pugnare dicatur. Dixerat, Myſiam ſeu Maeſiam ſuperiorem oſtio Saui terminari; dixerat ab occidentali latere Tauruni Drinum cum Sauo miſceri, num haec dicendo ſecum pugnat, ſi Taurunum ad oſtia Saui fluminis, vbi nunc Belgradum eſt, conſtituamus? admonere potius hic locus Timonem debebat, *Taurunum illud ipſum oppidum eſſe, quod hodie paſſim Belgradum appellatur;* neque hoc in dubium vocare, neque cum Magino *Taurunum in ſolo Zemblinii*; neque Singidunum in ſolo Belgradi collocare vel ideo debuiſſet, hocque faciendo nullam Ptolemaeo pugnam, aut oſcitantiam obiicere potuiſſet. Quare fruſtra hunc eumdem Ptolemaeum Cl. Seuerinus pro ſe laudat, fruſtra Simocattam quoque ſententiae ſuae patronum facere conatur. Quum enim is, *Sin-*

(a) *Loc. cit. p.* 28.

Singidonem Sao et Drao cinctam ait, (a) eam non vbi Belgradum, quod infra Danubium et Sauum iacet; sed vbi Semlinum, quod intra Sauum et Drauum est, stetisse satis innuit. Cellarium igitur male corrigit, (b) quod is Taurunum ibi collocauerit, vbi hodie Belgradum est; male Timon etiam pro se Plinium adducit; qui, quum ait: *Taurunum, vbi Danubio miscetur Saus*, pro nostra potius, quam illius sententia facit. Nec enim ad Zemlinum, sed ad Belgradum Sauus Danubio miscetur. Atque hoc Zemlinum deinde fuisse dictum Zeugminum, non, quod Cl. Praio placuit, (c) Sirmium, alio loco reseruamus ostendendum, quum et ea, quae hactenus disputauimus, prolixius extra scopum accumulata videri quibusdam possint. Nobis tamen ad lucem Piligrini litteris affundendam necessarium videbatur, argumentis altius petitis ostendere, Singedunensem episcopatum non in Maesia prima, quod Hansizius innuit, (d) sed in Pannonia stetisse; neque proinde Piligrini litteris, quae septem episcopatuum, in Pannonia Maesiaque Laureacensi sedi subiectorum, meminerunt, satisfieri, dicendo, Singidunensem antistitem, qui sedem in Maesia superiore habue-

A. 973.

(a) *L.* 7. C. 11. *p.* 262.
(b) *Pan. ill. p.* 30.
(c) *Ann. Reg. P. I. p.* 117.
(d) *Germ. S. T. I. p.* 21.

A. C. 973. buerit, Laureacenſibus archiepiſcopis obnoxium fuiſſe.

XIV. An Maeſia proprie dicta hic intelligitur?

CCXLIII. Mihi quidem veroſimile numquam apparebat, *iurisdictionem metropolitanam Laureacenſium ad Maeſiam vſque proprie dictam pertigiſſe*, quod neque Hanſizius veluti certum et indubitatum, lectoribus obtrudit; ſic enim paullo poſt ſubiicit, (a) *Quod ſi cui promtum ſit, Maeſiam illam, quae metropolitanae Laureacenſi ſuffragio pontificum ſubiicitur, de alia quapiam regione minus diſſita, non illa, quae vltra Taurunum eſt, interpretari; tum nihil morabimur fines metropolis Laureacenſis a Drauo amne finiri.* Maeſiam proprie dictam occuparunt Serblii ſub A. C. 640. Ab his ſubinde ſicut Maeſia ſuperior Serblia, iam Seruia, dici coepit; ita fortaſſe regionibus, trans Danubium et Carpathum ſitis, vnde hos prodiiſſe conſtat, Maeſiae nomen adhaeſit; quod iidem Serblii Maeſiam inſederint, qui regiones illas prius incoluerunt. Turotzius certe per Maeſios, vel, vt ille corrupte ſcribit, Maeſianos, non alios, quam Bohemos, vel potius Marahanenſes Slauos intelligit, quum de quinto capitaneo haec tradit: (b) *Quintus Leel eſt nominatus, qui Maeſianos, ſcilicet Bohemicos de partibus Golgatae* (Galgotzii) *expulit. - Ex iſto*

(a) *Loc. cit. p.* 22.
(b) *Chr. P. II. C. VII.*

isto quidem Zuard oritur generatio. Confundit quidem hic aliqua Turotzius, quae distinctius Anonymus prodit, ex quo constat, per Zuardum, Huleki, non Leheli filium, seu Bohemicos, seu Morahanicos Suatoplugi milites Galgozio depulsos esse; satis tamen vel per has tenebras innuit, non tantum Anonymi narrationem clariorem veram esse, sed etiam Maesiam trans Danubium quoque fuisse, fortassis eae regiones, quae medio (hoc enim Graecis Mesos est) spatio Danubium inter et Tibiscum intercipiebantur, Mesiae, seu Maesiae nomine veniebant. Et sane Piligrinus ipse videtur innuere, se non Maesiam proprie dictam intelligere, quum ait: *proprios VII. antistites eadem orientalis Pannonia habuit, et Maesia - quorum quatuor in Morauia manserunt.* Quamuis enim Pannonia, numquam tamen Maesia proprie dicta, Marauiae nomine veniebat. Hansizius laudatus alio loco suum de Maesia dubium sic explicat, (a) *Medii aeui scriptoribus, vti biographo S. Maximiliani, aliisque nihil noui fuit, Maesiae nomen prouinciis, trans Danubium e regione Norici sitis, - tribuere. Benedictus VII.* (nobis VI.) *de Pannonia et Maesia scribens, quarum, ait, prouinciae sunt Auaria et Marauia; ceu per Pannoniam et Maesiam, nihil aliud, quam Auariam et Marauiam intelligat. Eugenins* A. C. 973.

(a) *Germ. S. T. I. p. 12.*

A. C. 973.

II. Vrolphum vicarium apostolicum constituit in regionibus prouinciarnm Pannoniae, siue Maesiae; neque Eugenius Bulgarorum (vel Seruiorum) *sed Hunnorum tantum et Marauorum principibus et plebibus Vrolphum archiepiscopum commendauit, in quorum partibus septem episcoporum exstiterint olim parochiae, Laureacensibus subiectae.* Subinde vero, postquam e biographo S. Maximiliani 22. ciuitates, a Quirino possessas, recitasset; Maesiae vocabulum in ea descriptione sumit (a) *pro tractu regionis trans Danubianae, contra Rhaetiam secundam, Noricum et Pannoniam extensae. Maesiam enim occidentalem* (loquitur de biographo) *vocat illam, in qua Nabus et Egra decurrunt, ille Nariscorum, hic Boiohemiae fluuius; Tirnam autem ciuitatem et Nitrauam in Maesiis collocat, nempe orientalibus.* Ita veteres isti Maesiae nomen tribuerunt regionibus, ad septemtrionalem Danubii ripam sitis; nec aliam Piligrini litterae Maesiam intellexisse videntur.

XV. Qui fuerunt IV. episcopatus quos in Morauia mansisse, Piligrinus testatur?

CCXLIV. Respexerit is iisdem ad Eugenii II. litteras, quibus Vrolfum in jura Laureacensis ecclesiae restituit. Ex earum inscriptione colligimus, qui fuerint illi quatuor episcopatus, quos Piligrinus *vsque dum Vngri regnum Bauariorum inuaserunt, in Marauia mansisse,* testatur. Sic enim illa

(a) *Germ. S. T. I. p.* 25.

la habet (a) *Eugenius episcopus, seruus seruorum DEI. Rathfredo, sanctae Fauianensis ecclesiae, et Methodio, sanctae Speculi-Iuliensis, quae et Soriguturensis nuncupatur, atque Aleuino* (al. Alchunino) *sanctae Nitrauiensis ecclesiae; parique modo Annoni, sanctae Vetuariensis ecclesiae, episcopis: simul etiam Tutundo, nec non Moymaro ducibus et optimatibus exercitibusque plebis Hunniae, quae et Auaria dicitur, et Morauiae.* Idem autem Eugenius septem episcopatus in his regionibus olim extitisse paullo post ita testatur: *In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidarumque aetate, vt e lectione certum est, in septem episcoporum parochias antecessores sui,* (Vrolfi) *iure metropolitano obtinuerunt dioecesim.* Dubium autem est, an illi quatuor episcopatus quos inscriptio pontificiarum litterarum indicat, his septenis olim adnumerati fuerint. Primus eorum fuit *Fauianensis* seu Viennensis; nam idem haec significare, testis est Otto Frisingensis, quum in gestis Friderici I. imp. ita scribit: (b) *Dux in vicinum oppidum Viennis, quod olim a Romanis habitatum Fauianis dicebatur, declinauit.* Haec autem Vienna sub Vindobonae nomine municipium Pannoniae superioris erat iam A. C. 161. Post At- A. C. 973.

 tilani

(a) *Ap. Hans. G. S. T. I. p.*149.
(b) *L. I. C.* 32.

A. C. 973. tilani temporis procellam, a Faua, Rugiorum rege, Fauianae nomen accepit, (a) quam quia Germani Fauien exprimebant, extrita subinde syllaba prima, Vien remansit, indeque Vienna surrexit. Alter episcopatus erat *Speculi-Iuliensis*, vel, vt in potioribus exemplaribus visitur *Speculunensis*, alias Olomucensis; nam hodiernum Olomucium Hansizius ait olim pronunciatum Holmonz; vnde suspicatur, (b) *vt erat tunc solenne voces vernaculas in Latium transfundere, ex voce Höl, quod specum significat, et voce Mond, quod lunam, Vrolfum composuisse Speculunam, seu Speculunense.* Quod si verum est, quod Timon tradit, (c) *Olomucii locum quemdam esse, insignis olim latronis receptaculum, qui specus Iulii nominatur;* hinc speculi Iuliensis episcopatus appellatio manare potuit. Sorigurturensem ab eo Lazius distinguit et Turnauiensem per eum intelligit, cui Meconem episcopum ab Vrolfo putat impositum; sed huius nulla mentio fit in litteris Eugenianis, quae has appellationes eidem loco tribuunt, neque speculi Iuliensem ecclesiam a Soriguturiensi distinquunt.

XVI. Quis tertium ex his, Nitrauiensem, excitauit?

CCXLV. Tertius episcopatus *Nitrauiensis* ipso nomine se prodit; nec enim vllus du-

(a) *Calles. Ann. Austr. P. I. p.* 538. *et* 542.
(b) *Germ. S. T. I. p.* 147.
(c) *Im. ant. H. L.* 2. *C.* 14.

dubitat, Nitriensem intelligi, quem quidam a Frigedilda, Rosemundi, Morauorum principis, coniuge, sub exitum seculi IV. conditum esse putant, sed nullo veterum testimonio probant. Ego sane non alium auctorem huius episcopatus esse censeo, quam Vrolfum, qui sub initium seculi IX. factus Patauiensis episcopus, statim animum ad vitam apostolicam adiecit: prouincias, iuribus Laureacensibus dudum obnoxias, sibi vindicare coepit: Auaribus, inter Carnuntum et Sabariam colentibus, ac Morauis, trans Danubium sitis, Christi fidem annunciando ius metropolitarum Laureacensium, quod nuper Carolus M. in Arnonem Iuuauiensem, seu Salisburgensem transtulerat, vsurpauit. Certum enim est, (a) *Laureacensem ecclesiam prouinciae Pannoniarum sedem fuisse metropolitanam* ex litteris Symmachi, pontificis Romani, qui sedit ab A. C. 498. ad A. C. 514. Auaribus subinde regionem omnem circa Laureacum depopulantibus ac tandem ipsam metropolim occupantibus et funditus euertentibus, Viuilo, Laureacensis episcopus, in tutiora se recepit, ac Pataulam, seu Passauium, demigrauit, (b) A. C. 737. Postquam Carolus M. Auaribus profligatis, imperii Christiani fines in Pannoniam propagasset; de religionis etiam procuratione sollicitus ar- A. C. 973.

(a) *Ap. Hansiz. G. S. T. I. p.* 7.
(b) *Ibid. p.* 98. 120. 121.

A. C. 973. chiepiscopi sedem, qui Pannoniae prouideret, Salisburgi constituit, ac Arnoni praesuli pallium archiepiscopale Leo III. pontifex Rom. concessit A. C. 798. Ita titulus archiepiscopi, quem Laureacenses, amissa sede, deseruerant iusque metropolitanum in Pannoniam Laureaco, quod hostium incursionibus patebat, Salisburgum, quod aduersus hostium incursus, perpetuo veluti montium vallo natura communiuit, Valderico Patauiensi propter inualidam senectutem dissimulante, transmigrauit. At Valderico suffectus Vrolfus A. C. 804. vetera Laureacensium, in quorum locum Passauienses successisse credebat, iure postliminio reuocaturus, curas suas in Pannoniam ac Morauiam, quae suis decessoribus creditae dudum erant, vertit, multisque tam Auaribus, quam Morauis ad Christi fidem traductis, duas episcoporum sedes in Morauia, Speculunensem et Nitrauiensem, totidem in Pannonia, Fauianensem et Vetuariensem, erexit. Quartum enim hunc *Vetuariensem* episcopatum Hansizius, (a) Timonius, (b) Callesius, (c) Praius, (d) Ouarini stetisse censent, cui plane consonat vocabulum Latino-Hunnicum Vetuar, quasi vetus arx, quae Hunnis,

(a) *p.* 148.
(b) *p. m.* 133.
(c) *p.* 174.
(d) *p.* 286.

nis, Auaribus, Hungaris *vár* dicitur. Iam vero horum quatuor episcopatuum nusquam apud veteres, ante has Eugenii litteras, vlla mentio reperitur, ex quibus igitur illud quoque colligitur, Vrolfum, vt conuersionis horum ducum, ita conditorum episcopatuum auctorem esse. *Cuius*, inquit Eugenius, *optabilis rumoris index fuit reuerendissimus Vrolfus, sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscopus et sanctissimus frater noster; vester autem spiritualis pater, qui per suam sanctam praedicationem adoptiuos DEO vos genuit filios.* Vrolfus igitur, qui hoc salutis alienae studio ius metropoliticum recuperauit, et Tutundum, Auarum caganum, et Moymarum, ducem Morauorum, per suam praedicationem Christo genuit ac ad condendos hos episcopatus eosdem induxit. Hortatur quidem Eugenius hos principes ad iuuandum Vrolfum, *vt dudum illic constitutorum episcoporum numerus impleatur;* non tamen asserit, eos episcopos, *qui modo constituti sunt*, in iis sedibus esse locatos, in quibus olim illi septem exstiterunt. Immo quia iam supra *nouam* hanc *ecclesiam* vocauit; innuere videtur, non antiquam instauratam, sed nouam ab eo fuisse conditam. Certe septem illas ecclesias exstitisse scribit *Romanorum quoque Gepidarumque aetate.* Horum autem aetate fides in Morauiam nondum illata fuit; nondum igitur vel Nitriensis, vel Olomucensis episcopatus exsistere potuit. Nam quicquid sit de Fridegilde, cui qui- A. C. 973.

A. C. 973. dam aliquos episcopatus erectos sine teste tribuunt, quum eam Paulinus, Ambrosii biographus, Marcomannorum reginam appellet, neque ditio Marcomannorum vsque Nitriam pertigerit; ea quidem episcopatus Nitriensis autor haberi non potest. Eodem tempore, quo ceteris Morauis Moymarus, ab Vrolfo Christianis sacris initiatus; Nitriensibus Priuina ducis nomine praefuit. Et hic ab Vrolfo nondum ad baptismum suscipiendum inflecti potuit, licet ecclesiam illic erigi passus fuerit, quam Adalramus archiepiscopus postea consecrauit. Nullum igitur vestigium Nitriensis episcopatus ante laudatum Vrolfum exstitit, cuius *arbitrio et deliberationi*, *qui*, *vel vbi disponantur episcopi*, *concedit* Eugenius; quamuis optet, *vt maxime in illis locis*, *si opportunitas et vtilitas commendauerit*, *ordinentur antistites*, *vbi indicia ecclesiarum et aedificiorum sedes pontificales olim fuisse demonstrant*. Licet autem Eugenius his litteris Vrolfum ecclesiis Pannonicis et Morauicis archiepiscopum dederit; Adalramus tamen Salisburgensis ius metropolitanum pariter in Pannoniam et Morauiam sibi vindicauit, et *vltra Danubium*, vt refertur in vetusta historia conuersionis Carantanorum (a) *in proprietate Priuinae*, *loco vocato Nitraua*, *consecrauit ecclesiam*. Haec Hansizius optime figit ad A. C. 828. quo Pri-

(a) *Ap. Hansiz. T. I. p.* 151.

Priuina, principatu ſpoliatus a Moymaro, confugit ad Radbodum, Pannonici limitis praefectum; nec multo poſt ſacro fonte reſperſus eſt. A. C. 973.

CCXLVI. Poſtquam igitur omne ius metropoliticum in Pannoniam Salisburgenſes ad ſe traxiſſent, ac Morauis S. Methodius archiepiſcopus ſubinde datus fuiſſet; episcopis Patauienſibus in eccleſiam Pannonicam et Morauicam nihil poteſtatis manſit. Methodio, cui Ioannes VIII. Vichingum, Nitrienſem epiſcopum, ſuffraganeum dederat A. C. 880. ſub ipſum Hungarorum aduentum ad coelum translato, Hungarisque Nitriam occupantibus, epiſcopatus ille, breuis admodum aeui, ceſſauit: Vichingus poſt Aleuinum, ſecundus eius ſedis epiſcopus, ad Arnulfum ſe contulit: poſt geſtum triennio cancellarii munus, Paſſauienſem epiſcopatum obtinuit et iura Laureacenſium innouare ſtuduit. Sed irrita haec erant ſtudia, Salisburgenſibus acriter obſiſtentibus; donec Hungari, Bauariam populati, litem diremerunt, eorumque curas ad ſua potius tutanda conuerterunt. Miteſcentibus Hungaris, poſtquam Gerardus Laureacenſis eccleſiae pallium a Leone VII. recuperaſſet, eique Herolfus Salisburgenſis modis omnibus obſtitiſſet; poſt Auguſtanam Hungarorum cladem, eorumque conuerſionem, Piligrinus cauſſam eccleſiae Laureacenſis iterum iis litteris, quas ſupra vidimus, egit, ad quas intelligendas longius hoc epiſodi- XVII. Quot hic praeſules ante Hungarorum aduentum numerauit?

um

A. C. 974.

um adhibendum censuimus. Quia vero tam illae, quam Benedicti VI. litterae magnum cum rebus Hungaricis nexum habent, has quoque hic exhibebimus, et animaduersionibus nostris illustrabimus.

A. C. 974. Geis. 3. Indict. 2.

XVIII. Quid Benedictus pontifex ad Piligrini litteras respondit?

CCXLVII. Piligrini postulatis annuisse Benedictum pontificem, intelligi potest ex his eiusdem ad Germaniae principes et praesules litteris: (a) „ Dilectissimis nobis in „ Christo filiis, Hrodberto (*Roberto*) S. „ Moguntinae ecclesiae, et Dioterico, S. „ Treuirensis ecclesiae, atque Adalberto, „ S. Magdeburgensis ecclesiae, parique „ modo Gereoni, S. Coloniensis eccle„ siae, atque Friderico, S. Iuuauiensis „ ecclesiae, sed et Adaldago, S. Bremen„ sis ecclesiae, archiepiscopis; pariterque „ domino nostro, Ottoni gloriosissimo, im„ peratori augusto, atque nepoti suo Hein„ rico, praecellentissimo duci Bauariorum, „ ceterisque omnibus episcopis et abbati„ bus, ducibus atque comitibus Galliae „ atque Germaniae, Benedictus, diuina „ gratia praeditus, apostolicae sedis pon„ tifex, seruus autem seruorum DEI, in do„ mino salutem. Oportet iustis supplicanti„ um petitionibus nos semper faciles et hu„ miles exhibere, et praecipue, quum fra„ ter-

(a) *Ap. Stilt. T. I. Sept. p. 477.*

„ ternis religiosorum consacerdotum pre- A. C. 974.
„ cibus sollicitamur, qui passim ab omni
„ mundi termino tenorem et regulam, at-
„ que proprii officii vigorem ab hac vni-
„ uersali S. Romana matre ecclesia, eius-
„ que sortiuntur ministro, vicario scilicet
„ principis apostolorum, cuius, quamuis
„ indigni, eiusdem tamen gratia et dono,
„ potestati nos successimus, et ordini, cui
„ voce dominica dicitur: *Tu es Petrus*,
„ *et super hanc petram aedificabo ecclesiam*
„ *meam*. Quapropter dignum aestimauimus,
„ assensum praebere congruis postulationi-
„ bus reuerendissimi archiepiscopi Piligri-
„ ni, quas per probabiles personas nobis
„ intimauit, responsalium suorum, duorum
„ videlicet presbyterorum, quatenus sibi
„ pallium et metropolitanum honorem ca-
„ thedrae suae sanctae Lauriacensis eccle-
„ siae restitueremus, confinio Vngarorum
„ adiacenti; quod omnino nos eidem ec-
„ clesiae debere, testantur antiquissima se-
„ cum adportata priuilegiorum testimonia,
„ in quibus continebatur, quod aetate pon-
„ tificatus beati Symmachi, huius almae
„ sedis apostolici praesulis, praefata S. Lau-
„ riacensis haberetur ecclesia metropolis;
„ et in quantum tam exinde, quam etiam
„ de possessionibus beatorum martyrum,
„ qui illic plures in tempore persequutio-
„ nis pro fide Christi variis sunt tormentis
„ multati, colligere possumus, ex omni-
„ bus ecclesiarum dioecesibus Pannoniae,
„ haec antiquitate et archiepiscopii digni-

„ tate

A. C. 974. „ tate esse primitiua creditur; quae iam „ multis retroactis temporibus ex vicino- „ rum frequenti populatione barbarorum „ deserta et in solitudinem redacta, nullum „ Christianae professionis habitatorem me- „ minit, vsque dum inuictissimus augustus „ et pater patriae, genitor quippe pii im- „ peratoris nostri, quem adhuc superesse „ et diu dominari mundus exoptat, bel- „ lico trophaeo eorum vires retudit. Nunc „ autem, quamobrem vocibus exsultanti- „ bus in laudem omnipotentis DEI erum- „ pimus, non solum saepedicta sancta „ Lauriacensis ecclesia, hostium cessante „ terrore, cum accolis suis pace et tran- „ quillitate potitur; verum etiam ipsi, du- „ dum inimici, illum, quem persequuti „ sunt more gentili, iamiam Christum ba- „ ptizati profitentur; et sacerdotes modo „ habere desiderant, ac prout scire rudes „ poterunt, venerantur; et ecclesias quas- „ dam in sua terra, quas patres incendio „ delerunt, posteri restaurare videntur. „ Hac ergo suadente ratione, quod prae- „ nominati sanctae Lauriacensis ecclesiae „ archiepiscopi postulatio, antiqua aposto- „ lica auctoritate commendatur; et prae- „ terea, quod, quum iustum esset, pari- „ terque vtile etiam visum est, vt ad fru- „ ctificandas DEO gentes ex nouitiis cul- „ toribus fidei Vngrorum atque Marauo- „ rum, siue etiam aliis multis Sclauorum „ suae parochiae finitimis, illic ordinatis „ episcopis, secundum quod antiquitus dis-

„ po-

„ positi erant, eis hunc constitueremus „ archiepiscopum. Quoniam autem Saltz- „ burgensis ecclesia metropolis abusa est „ subiectione sanctae Lauriacensis ecclesiae „ pontificii, oblitterata et attenuata sua „ dignitate ex deuastatione barbarorum, „ quam propterea perceptis apostolicis pri- „ uilegiis nequaquam patimur priuari, „ quum et priora sint Saltzburgensibus, „ et ideo auctoritatiua, quae conditio te- „ stimonii etiam apud secularia iudicia vi- „ get et praeualet; nos vero in huiusmo- „ di constitutione omnem calumniam at- „ que contentionis occasionem, domino „ adiuuante, facile propulsamus, parochiis „ ab inuicem certis limitibus sequestratis, „ et tamen apostolicis sanctionibus vbique „ stabilitis, quas nostrum est semper defen- „ dere, et, secundum euangelicam senten- „ tiam, nihil ex eis soluere, sed adim- „ plere. „

A. C. 974.

CCXLVIII. „ Vnde ergo, auctoritate et „ potestate beati Petri, principis aposto- „ lorum, atque exemplo pontificum, sci- „ licet praedecessorum nostrorum, eamdem „ sanctam Lauriacensem ecclesiam eiusque „ rectores iam archiepiscopos a modo perpe- „ tim ab omni Saltzburgensis ecclesiae eius- „ que praesulum subiectione ac ditione absol- „ uimus et honore metropolitano sublima- „ mus; et, sicut modernis temporibus san- „ ctae memoriae Agapitus papa terminos „ earumdem parochiarum ab inuicem di-

XIX. Quomodo Pannoniam inter Laureacensem et Salisburgensem metropolitas diuisit?

„ stin-

A. C. 974. „ stinxit, sic et ipsi diffinimus ita quoque, „ vt sancta Saltzburgensis ecclesia superioris Pannoniae episcopos habeat suffraganeos, quibus vsque huc sui pontifices praeesse videbantur, cum tanta talique dioecesi, quali hactenus in inferiori vsi sunt Pannonia: sancta autem Lauriacensis ecclesia in inferioris Pannoniae atque Moesiae regiones, quarum prouinciae sunt Auaria atque Marauia, in quibus septem episcoporum parochiae antiquis temporibus continebantur, suique antistites archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta talique dioecesi, quali hactenus in superiori vsi sunt Pannonia. Quibus vtique in praeceptis insuper iniungimus, vt, iuxta beati Gregorii papae decretum, Anglorum archiepiscopis directum, alter illorum, qui prior sit in ordinatione, ipse etiam, quoad viuat, prioratum teneat et in ordine. Penitus etiam determinatis vtriusque ecclesiae dioecesibus, omnique exclusa altercandi occasione, canonica sub districtione interdicimus, vt neuter earumdem ecclesiarum archiepiscopus inuadere alterius parochiam praesumat, vel quibuscumque iurgiis aut disceptationibus super diffinitis a nobis modo rebus alter alterum sollicitare audeat. His igitur sedatis, venerabilem confratrem nostrum Piligrinum archiepiscopum, canonicis litteris munitum, sedi sanctae Lauriacensis ecclesiae inthro-

„ ni-

„ nizauimus, palliumque ei, secundum „ antiquum eiusdem ecclesiae suae vsum, „ dieximus; atque in prouinciis Auariae „ et Morauiae regionumque inferioris Pan„ noniae, siue Moesiae, et in contiguis „ sibi Sclauorum nationibus, circumquaque „ manentium, nostram apostolicam aucto„ ritatem et vicem exercere committimus „ atque delegamus, quatenus illic, more „ antecessorum suorum, sanctae Lauriacen„ sis ecclesiae archiepiscoporum, habeat „ potestatem presbyteros atque episcopos „ ordinare atque constituere, et ex prae„ dictis gentibus sua sancta praedicatione „ parare domino plebem perfectam. „

A. C. 974.

XX. Quid Pannoniae superioris, quid inferioris nomine venit?

CCXLIX. Laurentius Karolyius, in *speculo Iaurinensis ecclesiae*, putat, (a) errorem in has Benedicti litteras irrepsisse Pannoniamque superiorem cum inferiore confundi, quum Piligrinus inferioris; Salisburgensis contra superioris Pannoniae metropolita constituitur; ac ex Bonfinio probat, eam partem, quae hic inferior dicitur, superiorem Pannoniam fuisse. Sed enim Pannoniam non omnes eo, quo Bonfinius, modo diuiserunt. Romani primam et secundam appellarunt. Alii superiorem et inferiorem ita distinxerunt, vt, linea per Arabonem fluuium in meridiem ad Sauum vsque directa, quae pars Cetium mon-

Mm tem

(a) *p.* 29.

A. C. 974. tem respiceret, superior; quae Danubium, inferior illis Pannonia diceretur. Censet autem Timon, (a) Salisburgensibus assignatam fuisse *superiorem Pannoniam non omnino totam: alioqui iurisdictio Laureacensis interrupta fuisset.* Certe Benedictus per inferiorem Pannoniam et Moesiam, Laureacensibus attributam, eas regiones intelligit, *quarum prouinciae sunt Auaria atque Morauia.* Sicut igitur ea Moesiae, minus proprie dictae, pars, quae Morauia dicitur; sic illa Pannoniae superioris pars, quam Auares inter Carnuntum et Sabariam a Carolo M. consequuti sunt, Laureacensibus subiecta fuisse videtur. Sed, quia Benedictus ad factam ab Agapito, decessore suo, partitionem prouocat; videndum, num aliquid lucis inde mutuari possit. Agapitus II. inter Gerardum Laureacensem, et Heroldum Salisburgensem Pannoniam ita diuisit A. C. 946. (b) *Heroldo archiepiscopo occidentalis Pannoniae cura committitur et custodia; tibi autem* (Gerardo scribit) *successoribusque tuis - prouidentiam orientalis Pannoniae regionemque Auarorum atque Marahanorum, sed et Schlauorum - credimus.* Eadem igitur hic orientalis, quae Benedicto inferior, Pannonia dicitur; *id est regio omnis*, vt Hansizius explicat, (b) *quam Danubius ad vsque Draui ostium stringit.*

CCL.

(a) *Im. ant. H. L.III. C. VII.*
(b) *Ap. Hansiz. G. S. T. I. p.* 198.

A. C. 974.

XXI. Vter Benedictus, sextus, an septimus, has litteras dedit?

CCL. Vter Benedictus, VI. an VII. has litteras, quibus nullus annus est additus, de Piligrini iure metropolitano dederit, ambigi vel ideo potest, quod Piligrinus vtrique Benedicto conuixerit. Cl. Praius satis habuit referre (a) sententiam Stiltingi, qui Benedictum VI. et Hansizii, qui Benedictum VII. auctorem epistolae facit. At mihi sicut omnium rerum, quae de Hungaris in historiis occurrunt, eorum ad Christi fidem accessio iucundissima lectu fuit; ita felicissimi huius temporis epocham inquirere non contemnendi laboris esse videtur. Id vero non alia via certius cognosci potest, quam, si decernatur, vter Benedictus fuerit, ad quem Piligrinus suas de conuersione Hungarorum litteras dederit. Sed hoc me labore leuauit eruditissimus Stiltingus, qui solidis rationibus euincit, (b) sexto potius, quam septimo Benedicto laudatas litteras adscribendas esse. Nam, quotquot in iis laudantur, omnes sexto, non omnes septimo conuixerunt. Benedictus VI. electus post mortem Ioannis XIII. quae contigit 6. Septembris A. C. 972. secundum Marianum Scotum, Martinum Polonum et catalogos, sedit annum vnum et menses sex; secundum Onufrium et Baronium annum vnum et menses tres. Quamuis autem incertum sit, quoto die, vel mense, post

(a) *Ann. vet. p.* 374.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 478. 479.

A. C. 974. mortem Ioannis, electus ac consecratus fuerit, ac vnde pontificatus eius inchoari, vbi terminari debeat; certum tamen est, illum adhuc sedisse mense Aprili huius anni 974. quum eo mense dederit priuilegium Hildesindo, monasterii Rodensis abbati, cum hac subscriptione: (a) *Mense Aprilio et indictione secunda.* Post hunc rursus incertum est, quando Donus II. sedere coeperit et desierit. Donum excepit Benedictus VII. cuius initium itidem incertum est; quia tamen eius pontificatum nouem annis et quinque, vel sex mensibus omnes fere catalogi circumscribunt, et eius mortem ex epitaphio veteri Baronius et Pagius affigunt (b) ad X. Iulii indictionis XII. quae respondet anno 984. hinc retro numerati nouem anni cum mensibus quinque, vel sex, nos deducunt ad decimam Ianuarii, vel Februarii A. C. 975. Certe Pagius ostendit, (c) ante 25. Martii huius anni iam sedisse Benedictum VII. Si proinde Piligrinus ad Benedictum VII. et Benedictus VII. ad Germaniae praesules et principes laudatas litteras dedit; eae dari debebant post initium anni 975. Atqui tunc eas dari non potuisse, docet earumdem inscriptio. Nam inprimis inscribuntur illae Hrodberto Moguntino, quem certum est ex ne-

(a) *Ibid. et ap. Mabill an. T. III. p.* 627.
(b) *Ad A. C.* 984. *n. I.*
(c) *Ad A. C.* 975. *n. III.*

necrologio Moguntino, Hildesiensi, Fuldensi, decessisse XIII. Ianuarii A. C. CMLXXV. Hunc eumdem annum eius morti tribuunt Ditmarus et annalista Saxo, (a) quorum auctoritatem elidere non potest vnus Trithemius, in rebus chronologicis alioqui minus accuratus, cuius vnius testimonio Pagius Hrodberti mortem figit ad A. C. 977. (b) Certe prius illum fuisse mortuum, ex eo diplomate liquet, quo Benedictus VII. eius successori Villigisio pallium concedit A. C. 975. (c) Item ex Ottonis II. diplomate, quo Piligrini fidem remuneratus, Villigisum iam archiepiscopum vocat A. C. 976. (d) Iam vero, si Piligrinus ad Benedictum VII. post X. Ianuarii, vel Februarii Dono II. suffectum, scripsit; dum eius electionis nuncius in Germaniam perferretur; dum legati Piligrini, post auditam eius electionem, in Italiam ex Germania proficiscerentur; dum Romae, caussis legationis expositis, audirentur, examinarentur, cum pallio remitterentur; plures dies, hebdomades, immo menses elabi debuerunt, intra quos nuncium mortis Hrodberti Moguntini Romam non fuisse perlatum, est incredibile, cui tamen A. C. 974.

 epi-

(a) *Ap. Hansiz. T. I. p.* 215.
(b) *Ad A. C.* 979. *n. IX.*
(c) *Ap. Goden. T. I. p.* 9. *Apud Grebner. T. II. p.* 314.
(d) *Ap. Hansiz. T. I. p.* 217.

A. C. 974. epiſtola pontificis inſcripta legitur. Prius igitur illa, nec a Benedicto VII. ſed VI. ſcribi debuit. Ipſe Piligrinus ſatis indicat, non ad recens electum, qualis Benedictus VII. fuiſſet, ſed alium, iam per orbem cognitum, ſe ſcribere, his verbis: *dignam veſtrae ſublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat eccleſia, ego cum omnibus mihi ſubditis, votis et orationibus celebrare non deſiſto.* Praeterea litteras ſuas Benedictus inſcribit Gereoni Colonienſi, cuius obitum Ditmarus (a) praemittit obitui Hrodberti Moguntini; ſcribitque Mabillonius, (b) eum deceſſiſſe III. kal. Iulii A. C. 974. ſed hoc tempore Benedictum VII. eccleſiae iam praefuiſſe, nullus admittit; non igitur hic Benedictus, ſed ſextus, cuius aetate Gereo, ſeu Gero, vixit, eam epiſtolam dediſſe cenſendus eſt. Denique titulus eiusdem epiſtolae *Heinricum praecellentiſſimum ducem Bauariorum* appellat; vnde Hanſizius infert, (c) eam eſſe datam ante Henrici ſeditionem, in Ottonem II. commotam, cuius motus erupiſſe probat ſub finem anni 974. *ob quos idem Henricus vel tum, vel ſub initium anni* 975. *in cuſtodiam ab Ottone compactus, deinde penitus Bauariae principatu proſcriptus eſt.* Atque hinc nouum exſiſtit argumentum chrono-

no-

(a) *Annal. Libr. III.*
(b) *Ann. T. III. p.* 630.
(c) *Germ. Sacr. T. I. p.* 215.

notaxis nostrae, non item Hansizianae; verosimillimum enim est, eas litteras fuisse datas, quum ea Henrici ducis ambitio, sequutaque captiuitas, Romae nondum innotuit; atqui, si post aliquot menses anni 975. datae fuissent, tam ambitio, quam captiuitas Henrici Romae cognosci potuissent; quare scriptas fuisse concludendum est, ante finem huius anni, quo Benedictus VII. nondum pontificatum adiit; immo scriptas ante medium huius anni, quum Gereo Coloniensis, cui praeter ceteros inscribuntur, 29. Iunii decesserit A. C. 974. scriptas denique sub initium eiusdem anni, quo Benedictus VI. quo Hrodbertus, quo Gereo vixerunt; quo seditio Henrici nondum erupit, nondum innotuit. Nouum his robur accedit ex Schreitueino, qui seculo XV. hoc elogium Piligrino scripsit: (a) *Piligrinus, archiepiscopus Laureacensis, sedit Patauiae annis XII. electus anno domini CMLXXI. Iste fuit vir magnificus, et ecclesiam suam strenue tam in temporalibus, quam in spiritualibus, gubernauit. Huic papa Benedictus VI. pallium misit ad scripta sua, in quibus se a personali accessu ad sanctorum Petri et Pauli limina, prout desiderauerat, excusat propter neophytam Vngarorum gentem* Vnde vix porro dubitari potest, vt pallium, ita litteras a Benedicto VI. fuisse datas, quum nihil in iis legatur,

A. C. 974.

(a) *Ap. Stilting. T. I. Sept. p.* 476.

A. C. 974.

quod huic non congruat; multa vero, quae Benedicto VII. non conueniant.

XXII. Cur Otto II. serius Piligrini dignitatem stabiliuit?

CCLI. Pagius igitur litteras, de quibus agimus, male refert ad A. C. 977. quo non iam Benedictus VI. sed VII. ecclesiae praefuit. Nam etsi non negemus, Ottonem II. hoc primum anno metropolitanam ecclesiae Laureacensis dignitatem suo diplomate confirmauisse; hinc tamen non credimus, Benedictum ad defunctos dudum praesules, et ad Henricum, Bauaria sua tunc exsulem ac Ottonis hostem, scripsisse; sed potius, quod Stiltingus obseruat, (a) *Fridericum, Salisburgensem archiepiscopum, cuius prouinciae auferebatur, quicquid accedebat Laureacensi, pro viribus obstitisse, ne litterae pontificiae exsequutioni mandarentur; ideoque, vel etiam ob alias rationes, potuit Otto II. confirmationem metropolis Laureacensis tamdiu differre, eamque tandem dare, post pacatam Bauariam;* ne scilicet alienissimo turbarum tempore Fridericum abalienaret.

XXIII. Ad quem annum initium praedicationis apud Hungaros defigi debet?

CCLII. Ex his igitur, quae hactenus disputauimus, elucet, eum praedicationis fructum, cuius Piligrinus in suis ad Benedictum VI. litteris meminit, in Hungaria collectum fuisse *sub occasione pacis*, quae Quidlenburgi conclusa fuit A. C. 973. Bene-

(a) *Tom. cit. p.* 479.

nedictum vero VI. de hoc edoctum esse sub exitum eiusdem anni, vel sequentis principium. Ex iisdem Piligrini litteris apparet, verisimiliorem esse Hansizii sententiam, qui censet, (a) Wolfgangum ad Hungaros profectum fuisse, priusquam Ottonis I. legatione liber in Hungariam accessus impetratus erat; ideoque nullum fuisse praedicationis effectum; quam Stiltingi, qui putat, (b) *a Piligrino missos in Hungariam monachos et clericos, interque eos Wolfgangum, eo tantum venisse post legationem Ottonis, quae verisimiliter annecti potest anno 971.* Piligrinus enim ab iis, quos *foedere pacto, sub occasione pacis* in Hungariam misit, tantum fuisse collectum fructum scribit, vt quinque millia Hungarorum nobiliorum sacris vndis abluerint. Contra vero, dum Wolfgangus ad agrum domini colendum in Hungariam e Sueuia prouolasset, tantam sterilitatem expertus est, vt a Piligrino reuocatus ob eam caussam fuerit. *Dolebat enim idem pontifex Piligrinus, tantum colonum in sulcis sterilibus expendere laborem*, vt iam alias ex biographo S. Wolfgangi vidimus. (c) Certe violentum ac arbitrarium est sentire, quod Stiltingo placuit, haec *ex mera coniectura dixisse biographum;* id quoque mihi nimis A. C. 974.

(a) *Germ. S. T. I. p.* 204.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 480.
(c) *Ad A. C.* 972.

A. C. 974. ambiguum est, quod paullo post innuit, adnecti posse legationem Ottonis anno 971. quo constat, Ottonem ex Italia necdum in Germaniam reuersum esse. Quare tam initium praedicationis, apud Hungaros a Wolfgango tentatae, defigimus ante pacem initam, ad A. C. 971. quam legationem Ottonis, post eiusdem ex Italia reditum, ad A. C. 972. ipsam vero pacem, inter Ottonem et Geisam compositam, messemque, per operarios, a Piligrino missos, in Hungariae solo collectam, vt iam diximus, ad A. C. 973. Neque nobis officit, siue Wolfgangus ad cathedram Ratisbonensem promotus cum Hansizio dicatur A. C. 972. siue cum Stiktingo A. C. 973. Satis est, hanc eius electionem factam fuisse, postquam ex Hungaria reuocatus ac vberius Piligrino cognitus est. Immo, quia per Ottonem II. promotus a biographo dicitur; hic autem patri post nonas Maii successit A. C. 973. videtur Wolfgangus creatus episcopus sub exitum, non initium, huius anni, vel principium sequentis; sed haec, vt dixi, nobis non officiunt.

XXIV. An haec laus et Graecis attribui potest?

CCLIII. Iuuerit iam hic obiter obseruare, postquam ex litteris Piligrini, cuius testimonium, *omni exceptione maius*, Schwartzius recipit ac praedicat, (a) incredibile

(a) *Init. rel. p.* 8.

le Latinorum in adducendis ad Christi fidem Hungaris studium, initiumque conuersionis, per eos factum, vidimus; postquam nullum Graecorum in Hungaria praedicationis vestigium sub Geisa deprehendimus; an tolerari possint illae Schwartzii coniecturae, quas his verbis insinuat: (a) *Erit igitur primus Hungariae episcopus Hierotheus, Hungaris ab ecclesia Graeca datus. - A vero non abludit, plures cum ipso sacerdotes Constantinopoli in Hungariam exmissos: crescente saltem credentium in Christum numero, plures ab Hierotheo inaugurari oportuit, qui sacris tractandis iisque plus vltra propagandis sufficeret.* Vbi hic credentium in Christum numerus delituit, quum ne captiuis quidem Christianis *soboles suas licuit, nisi furtiue, domino consecrare?* Postqnam autem Benedictus Piligrinum ea praecipue de caussa metropolitam instituit, vt *ex praedictis gentibus*, Hungaris et Slauis, *sua sancta praedicatione pararet domino plebem perfectam*; qua veritate Schwartzius dicere potuit: (b) *Romanis pontificibus id curae circa Hungarorum ad Christum conuersionem fuisse potissimum, vt maturam messem, cuius sementem fecerunt alii, laici et sacerdotes Graeci, procedente tempore, in sua horrea congererent?* Ergone matura iam messis erat, quum *Vngrorum natio prona fuit ad* A. C. 974.

per-

(a) *Ibid. p.* 41.
(b) *Ibid. p.* 19.

A. C. 974. *percipiendam fidem sanctam*, vt Piligrinus loquitur? Et an Graeci sacerdotes, vt ita prona esset, effecerunt? an nullam ibi sementem Latini sparserunt? De horum, non item illorum, opera testes synchronos habemus; nam de Hierotheo, qui primus Hungaris episcopus obtruditur, iam alias diximus, eum Hungariam numquam attigisse; certe nulla conuersorum Hungarorum vestigia reliquisse. Poterat ille quidem plures secum Constantinopoli sacerdotes educere; poterat plures subinde sacris inaugurare; sed an eduxerit; an inaugurauerit; an in ipsam Hungariam vmquam penetrauerit; quaeritur; quod nullis veterum testimoniis, sed ex meris coniecturis affirmatur. Contra vero de Latinorum apostolicis in Hungaria laboribus certa synchronorum testimonia producimus; et tamen gloria conuersae Hungarorum gentis Graecis adscribitur? De sollicitudine Romani pontificis, vt ex Hungaris Latinorum praedicatione plebs domino perfecta pararetur, indubitatum documentum proferimus; et tamen ab eo matura tantum messis in sua horrea congeritur? Occupauit Schwartzius vim argumenti huius, quod e silentio Graecorum, testimonio Latinorum petitur, in haec verba: (a) *Nullum Graecos in Hungaros meritum venditare, nullo verborum ambitu officia sua praedicare, nullum in vniuer-*

(a) *Ibid.* p. 40.

uersum, vel praesens commodum, vel ius quoddam in futurum aucupari videas. Si praetexta haec modestia Graecorum ad aliquid asserendum sufficit; iam tuto, non tantum sacerdotes, sed etiam episcopos plures, Constantinopoli cum Hierotheo missos; plures iterum ab his episcopos initiatos; omnes Hungaros ab iis ad sacra Christiana traductos, asserere poterimus. Atqui de his Graeci nihil perhibent? nihil officit; nam illi nullum in Hungaros meritum venditant; nullo verborum ambitu officia sua praedicant; nullum commodum, vel ius aucupantur. *Secus Latini*, sic Schwartzius testimonia Latinorum eleuat, *qui quoties Hungaros, sua cura studioque Christo lucratos, narrant; lucrum simul, quod fecerunt ipsi, adnectunt.* Atqui nihil alienum ab exemplo doctoris gentium agunt, quum in domino sic gloriantur. Pergit deinde traducere Piligrinum, ad suam ac suorum operam celebrandam effusum; cuius testimonium omni exceptione maius antea dixerat. Ita verissimum, quod Stiltingus obseruat: (a) Schwartzius *scriptores sibi fauentes supra meritum attollit; aduersantes vero infra meritum deprimit.* Immo scriptores eosdem iam attollit, iam deprimit, vt in Piligrino manifeste videmus.

A. C. 974.

A.

(a) *T. I. Sept. p.* 472.

A. C. 975. Geis. 4. Indict. 3.

A. C. 975.

XXV. An Henrici Bauari rebellio conuersioni Hungarorum obfuit?

CCLIV. Laetissima religionis inter Hungaros initia, quae non minus Benedictus, quam Piligrinus, promouere satagebat, abrupit bellum, quod Henricus, Bauariae dux, aduersus Ottonem II. suscitauit. Non multo post, quam Benedictus VI. anno superiore decesserat; Piligrinus quidem, eius litteris ad procurandam Hungarorum salutem erectus, curas in id intendebat; quum Henricus, consiliis quorumdam in transuersum actus, et Germaniae regnum arripuit, et vnctionem regiam ab Abrahamo, Frisingensi episcopo, Ratisbonae suscepit. Fauebat illi Henricus, Carantaniae dux; Henricus alter, Augustanus antistes; Boleslaus, Bohemiae; Micislaus, Poloniae; Heraldus, Daniae principes. *De Hungaris*, inquit Hansizius, (a) *quamquam nulla mentio; tamen ex dicendis patebit, arma ipsos quoque in Osterichara, seu Austriam, breui intulisse contra marchionem et Piligrinum, qui constantes in fide Ottonis permanserant.* Sub initia quidem seditionis, quae sub exitum anni superioris eruperat, nihil aduersus Ottonem Hungari susceperunt. Tunc enim Otto celeritate sua periculum discussit; et, antequam socii foederis in arma conuenire possent; indictis procerum comitiis, ad ea Henricum euocauit. Hic, ad

(a) *Germ. S. T. I. p. 216.*

ad fustinendam tanti belli molem, nondum rite comparatus, vt obsequio festino praesens exitium redimeret, ad ea se se stitit, procerumque sententia custodiae mancipatus, Geilheimium sub anni huius principium deportatus est. *Anno* 975. scribit Ditmarus, (a) *medii* (secundi) *Ottonis secundo, Henricus, Bauariorum dux, captus est, ad Geilheim deductus, caute custoditur.* Haec ante nonas Maias acta fuisse, secundus Ottonis annus, quem tunc expleturus erat, ac tertium inchoaturus indicat. Henricus, e captiuitate non multo post elapsus, arma iam palam induit, et cum foederis sociis, inter quos etiam Hungaros plerique censent, in eos potissimum, qui suas partes non sequerentur, multa tristia perpetrauit. Tunc etiam familia Piligrini, qui maluit omnia tolerare, quam fidem, Ottoni iuratam, violare, hostium gladiis occubuit; tunc coepta nuper apud Hungaros verae fidei propagatio, tantis vbique tumultibus exortis, abrumpi debuit. *Nam, quum Hungari,* scribit Stiltingus, (b) *tuerentur partes Henrici, Piligrinus vero Ottonis; quotquot missi erant a Piligrino in Hungariam, procul dubio solum vertere coacti sunt, quod pro hostibus haberentur ab Hungaris.* A. C. 975.

A.

(a) *Annal. Libr. III.*
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 480.

A. C. 976.

XXVI. Quando rursus negocium praedicationis Piligrinus resumsit?

CCLV. Otto, signis in Bauariam illatis, saeuitiae modum posuit: Henricum exauctoratum omni prouincia depulit: eius ducatum Ottoni, filio Ludolfi, fratris sui, contulit: in remuneranda Piligrini fide nihil fere sibi reliquum fecit: *Piligrinus*, inquit, (a) *sanctae Patauiens. ecclesiae praesul venerandus, partibus nostris fauens pro viribus, fide inconcussa, in perturbatione atque vacillatione regni Baioariorum, ab aduersariorum perniciosissima persequutione, tam in incendiis, quam interfectione familiae ac deuastatione non parua, episcopatus sui perpessus est iacturam.* Ergo calente tum maxime recentis obsequii gratia, plures ei fauores eodem hoc anno pridie calendas Augusti Ratisbonae concessit; plures eidem abbatias et monasteria contulit, quae Hansizius ait, (b) *fuisse Piligrino virorum apostolicorum velut armamentaria, e quibus monachi illi et canonici et omnis ordinis clerici ad Hungarorum conuersionem emissi sunt.* Sed enim, armis adhuc vndique circumstrepentibus, omnis Piligrini conatus in conuertendis Hungaris irritus euasit.

A.



(a) *Ap. Hans. T. I. p.* 217.
(b) *T. I. p.* 222.

CCLVI. Quum Ottones duo, rex et dux, insequuti rebelles, in Bohemiam ad Boleslaum foederatum elapsos, anno superiore Slauorum regionem ad Pilsnam vsque vastassent ac Bauarorum culpa cladem accepissent; duo Henrici, nudatam milite Bauariam aggressi, Patauiam, Piligrini sedem, interceperunt. (a) Otto, cum exercitu male multato reuersus, reparatis hoc anno viribus, Passauii Henricum obsedit ac ad deditionem coegit. Omnibus turbis in Bauaria compositis, Laureacensis archiepiscopi dignitatem, bellorum tumultibus adhuc suspensam, caesareis litteris stabiliuit. (b) Prius enim, vt anno superiore vidimus, Piligrinum Patauiensis ecclesiae praesulem dumtaxat appellauit, quod tunc, factionum metu, Friderico Salisburgensi hunc aculeum infigere noluerit. Piligrinus, iam prius a Benedicto VI. sibi concessum, nunc etiam Ottonis diplomate confirmatum ius metropolitanum, in salutem Hungarorum exserturus, euangelicos operarios ad repetendam in Pannonia messem, bellis, quae narrauimus, interruptam, dimisit. Nec enim est credibile, virum sanctum, propagandae Christi religionis studiosissimum, occasioni rei bene gerendae, post

A. C. 977. XXVII. Quando Geisa verosimilius baptismum suscepit?

Nn

(a) *Lamb. Schaffn. ad A. C. 977.*
(b) *Ap. Hansiz. T. I. p. 223.*

A. C. 977. post pacatam Bauariam, indormiuisse, postquam et antea tam laetos illic euangelicae praedicationis fructus collegit, et ea quoque de caussa pallium sibi dari petiit, et *in prouinciis Auariae, regionum quoque inferioris Pannoniae, siue Moesiae, - - apostolicam auctoritatem et vicem exercendam* a summo pontifice sibi commissam habuit; *quatenus illic habeat potestatem, presbyteros et episcopos ordinare atque constituere, et ex praedictis gentibus sua sancta praedicatione parare domino plebem perfectam* Hanc ille potestatem, vt primum per bellicos tumultus licuit, in vsum deducturus, ex illis coenobiis, quibus Otto II. eum anno superiore donauerat, monachos et omnis ordinis clericos ad fidem veram Hungaris annunciandam emisit. His Geisa, teste Carthuitio, (a) *potestatem concessit, suam praesentiam adeundi, quibus voluntarium libenter aditum praebens, orthodoxae fidei semen, pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere. Quid plura? adest tempus, coelitus dispositum: credidit ipse cum familiaribus suis, et baptizatus est, et omnes, ditioni suae subditos, se pollicens Christiano nomine mancipaturum.* Hoc illud est felicissimum tempus, quo Geisa pacis, quinquennio prius initae, fructum optatissimum tulit, vt Aloldus in suis notulis obseruat. *Geizza vero Vngarus*, inquit ille,

(a)

(a) *Edit. Prai. p.* 129.

A. C. 977.

(a) *pacis fructum dulciter quoque gustauit, dum sequentibus annis illustratus lumine fidei, agnouit verum dominum ac DEVM IESVM Christum. A cuius deinde filio Stephano Vngaria in regnum florens et Christianum transiuit. Laudemus mirabilem DEVM et vere magnum dominum nostrum, qui, peccatis hominum per maxima mala longo tempore castigatis, misericordiam tandem superexaltauit iudicio, et conuertens corda regum, quae sunt in manu sua, populis fecit solem oriri de mediis tenebris, et prouidentia sua rite moderans tempora, omnia ordinauit in electorum salutem.* Haec quidem Aloldus interserit rebus gestis A. C. 980. Sed, vt clarum est, non ideo, quasi haec omnia simul eodem anno facta fuissent. Occasionem solum arripuit narrandi conuersionem Hungarorum, postquam Mellicii collegium sacerdotum et templum a Leopoldo, pulsis inde Hungaris, erectum, et dominatum, hac pietate posteritati stabilitum, asseruisset. Non igitur Geisae baptismus ad annos, hanc Leopoldi pietatem, sed initam inter Ottonem et Geisam pacem, consequutos, referendus est. Sicut autem Aloldus annum conuersionis Geisae non determinat; ita scriptores alii certum tempus non assignant, quo dux ille sacro fonte lustratus sit. Vt nos eius baptismum ad hunc annum figeremus; sola hac conie-

(a) *Ad A. C.* 980.

A. C. 978. ctura sumus inducti, quod eius conuersionis Piligrinus in suis ad Benedictum pontificem litteris non meminerit; cuius tamen memoriam minime putamus ab eo silentio praetereundam fuisse, si iam tunc, quum eas dedit, baptismum suscepisset. Eas autem Piligrini litteras mox bellici motus exceperunt, qui messem euangelicam Piligrini colonorum interruperunt. Sedatis igitur illis tumultibus, opportunissimum hoc tempus visum est, vt et Piligrinus viros apostolicos rursum in Hungariam dimitteret, et Geisa doctrinam eorum auidius exciperet, et tandem ad baptismum suscipiendum animum inflecteret.

A. C. 978. Geis. 7. Indict. 6.

XXVIII. Cur difficiliores Hungaros in conuersione sensit?

CCLVII. Geisa, quum baptismum suscepisset, pollicitus, se praestiturum, vt omnes ditioni suae subiecti, Christianam religionem amplecterentur; maiores, quam animo praecepisset, in ea re difficultates experiebatur. Nec id mirum videri debet in tanta religionis mutatione, quae tunc Hungaris, Christianos alias vexare solitis, imperabatur. Nam etsi non ignoremus, sectas eiusmodi, quae sensibus et carni blandiuntur, coelumque vix non dormientibus pollicentur, facillime propagatas esse; nemo tamen diffiteri potest, plurimum difficultatis habere propagationem religionis, sensibus inimicae carnique contrariae, quae bonorum operum studium, ieiunia, corporis

ris afflictationes, voluptatum, honorum, diuitiarum contemtum praecipiat, rapinasque, quibus Hungari dudum insueuerant, prohibeat. Tenebant adhuc Hungari trans montem Cetium eam Austriae partem, quae Mellicium vsque procurrit; neque prohibere Geisa potuit, quin Hungari, hic positi, partes vlteriores incursarent. *Interim tamen*, ita laudatus Aloldus, postquam studium pacis in Geisa commemorasset, subiicit, (a) *Osterrichiam, a maioribus suis ex maxima parte occupatam, non dimisit; sed constanter retinuit. Neque suos ibi commorantes prohibere valuit ab excursibus et praedis, ad quas in reliquam adhuc terram Australem saepe, quasi ex insidiis, excurrerunt.* A. C. 978.

CCLVIII. Angebatur interea Geisa, quod apud suos et difficilius inolita populandi consuetudo coerceri posset, et lentius negocium conuersionis procederet; quumque suos conatus in abolendis ritibus superstitiosis piisque stabiliendis, quod episcopatuum erectione fieri debebat, irritos videret, eaque cura tam sollicitus esset, vt, nimio difficultatum timore perculsus, de successu paene desperaret; diuina misericordia hanc formidinem depellere voluit, eumque per internuncium suum docuit, vt bene coepta non omitteret, etiamsi non sta-

XXIX. Qua visione DEVS Geisam, de Hungarorum conuersione sollicitum, erexit?

(a) *p. m.* 96.

A. C. 978. ſtatim ad perfectionem perduci poſſent. Haec omnia Carthuitius ita narrat: (a) *Quumque nimium eſſet ſollicitus de rebellibus domandis, et ritibus ſacrilegis deſtruendis, et epiſcopatibus ſecundum aeſtimationem ſuam ad profectum eccleſiae ſanctae ſtatuendis, mirabili viſione nocte conſolatus eſt eum dominus. Fecit adſtare ſibi iuuenem delectabilem adſpectu, qui dixit ei: pax tibi, Chriſti electe! iubeo te de ſollicitudine tua fore ſecurum. Non tibi conceſſum eſt, quod meditaris; quia manus, pollutas humano ſanguine, geſtas. De te filius naſciturus egredietur, cui haec omnia diſponenda diuinae prouidentiae conſilio commendabit dominus. Hic erit vnus ex regibus electis a domino, corona vitae ſecularis commutaturus aeternam. Verum tamen virum, ſpirituali legatione tibi tranſmittendum, honorificabiliter ſuſcipito, ſuſceptum venerabiliter habeto; exhortationibus eius non fictum cordis fidelis aſſenſum praebeto. Expergefactus princeps, viſione ſtupidus, prius ſecum, poſt cum Chriſti fidelibus et ſuis pertractans, DEO gratias, pauimento manibus expanſis adhaerens, humiliter egit; ſe principatumque ſuum, cum filio naſcituro, cuſtodiae illius, qui non dormit, neque dormitat, lacrimis ſuis commendauit.* Geminum omnino hoc eſt iis, quae ſacrae litterae de Dauide referunt. Sicut enim hic Geiſae, nimium ſollicito de conſtitu-

en-

(a) *Edit. Prai. p.* 119. 120.

eodis in Hungaria religionibus sanctis; ab internuncio coelesti dictum est: *Non tibi concessum est, quod meditaris;* ita Dauidi, sollicito de domo honori veri numinis excitanda, per Nathan prophetam a DEO nunciatum est: (a) *Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum.* Sicut Geisae, quod meditabatur, concessum non est: *quia manus, pollutas humano sanguine, gestabat;* ita Dauid eamdem suae destinationis omissae caussam Salomoni filio reddit: (b) *Voluntatis meae fuit,* inquit, *vt aedificarem domum nomini domini DEI mei; sed factus est sermo domini ad me dicens: multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris aedificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Sicut Geisae promissum est, haec ab eius filio perficienda: *De te filius nasciturus egredietur, cui haec omnia disponenda diuinae prouidentiae consilio commendabit dominus;* ita Dauidi: (c) *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. - Ipse aedificabit domum nomini meo.* Acquieuit Geisa dispositioni diuinae prouidentiae, sicut acquieuit Dauid; et quemadmodum hic illa DEI denunciatione: *Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum,* non existimauit, se prohiberi, ne congre-

A. C. 978.

(a) I. Paralip. XVII. 4.
(b) I. Paral. XXII. 7. 8.
(c) Ibid. v. 9. 10. Item. C. XVII. v. 12. II. Reg. VII: 13. III. Reg. V. 5.

A. C. 978.

garet *omnes proselytos de terra Israel; et constitueret ex eis latomos ad caedendos lapides et poliendos, vt aedificaretur domus DEI,* (a) ita Geisa hac coelestis genii declaratione: *Non tibi concessum est, quod meditaris*, non putauit, omnem sibi sollicitudinem de traducendis ad Christi fidem Hungaris interdici.

XXX. Quid huic visioni Bonfinius perperam assuit?

CCLIX. Quare perperam omnino Bonfinius huius visionis sensum sic exposuit: (b) *Omnem*, inquit, *sollicitudinem deponere ac bono animo esse iubet; neque eum tali cura vexari oportere, vt sacella dicet, sacrosanctos introducat antistites, Scythicamque gentem a profana religione vindicet, quando sanguine pollutas manus habet.* Merito hoc Timon in Bonfinio sugillat, ridiculumque, si non impium, commentum vocat, (c) quo fingitur coelestis genius Geisam dehortatus, ne sacras aedes dicaret, ne viros apostolicos acciret, ne Hungaros a sacrilegis ritibus ad Christi sacra traduceret. Non hoc dixerat iuuenis ille, delectabilis adspectu, qui verosimiliter angelus erat, dum iussit Geisam *de sollicitudine sua fore securum.* Securum illum esse iussit de perficiendis iis, quae sollicite coeperat, etiamsi non statim euentus optatus iis responderet. Pro-

(a) *I. Paral. XXII. 2.*
(b) *Dec. III. Libr. I.*
(c) *Im. Ant. H. Libr. III. C. VIII.*

Propterea, quod bene coeptis a filio nascituro coronidem imponendam esse dixerit; minime vetuit, ne Hungaros a profana religione vindicaret, ne sacella dicaret, ne sacrosanctos antistites introduceret. Immo praecepit, vt DEI legatum ad se venturum cum honore susciperet eiusque sacris exhortationibus assensum praeberet. Certe non putasse Geisain, sibi prohiberi sacrorum locorum erectionem, patet ex monasterio S. Martini, quod inchoatum ab illo fuisse, S. Stephanus in suo diplomate, postea producendo, diserte testatur. Refectis igitur tam absurdis Bonfinii commentis, cur ea visio, prout a Carthmitio refertur, admitti nequeat, nihil occurrit. Sicut enim ea, quae Dauidi per Nathan prophetam DEVS hac visione significauit, nihil absurdi habere possunt; ita haec, quae Geisae DEVS hac visione significauit; quaeue gemina prorsus illis esse iam ostendimus, nihil absoni continent. Absit, vt eamdem his, quam illis, auctoritatem tribuam. Id vnum contendo: si denunciatio, Dauidi facta: *non aedificabis tu mihi domum ad habitandum*, cum DEI perfectionibus non pugnat; cur pugnet ea declaratio, Geisae proposita: *non tibi concessum est, quod meditaris?* seu, non omnia, quae pro stabilienda fide necessaria credis, tu perficies? Schwartzius tamen, qui domesticis scriptoribus multum se deferre profitetur, (a)

A. C. 978.

 dum

(a) *Init. rel. p. 11. §. 9.*

A. C. 978.

dum iidem Geisae curas paullo magis anxie recensent, in quas, vt agnitae veritatis fructus ad vniuersum regni populum redundaret, incubuit, non potest eis adstipulari. (a) Quare visiones, ab iis prolatas, vocat *fabulas, pugnantibus et male inter se cohaerentibus factis exornatas.* Visiones vniuerse fabulas vocare Schwartzium, non existimo; nec eum ignorare puto, DEVM in adducendis ad Christi fidem gentibus plerumque prodigiis vsum fuisse." Scio quidem, omnibus miraculis, quae creduli quidam obtrudunt, non illico fidem adhibendam esse; non esset tamen prudentis, in dubium ea vocare, quae passim, et a multis referuntur, et a doctis etiam recipiuntur, nisi quid occurrat, quod aperte cum veritate pugnet. Iam vero visionem, Geisae factam, non tantum omnes patrii scriptores, qui de vetustioribus illis temporibus egerunt, attingunt; sed etiam viri huius seculi praestantissimi, criticen iusto seueriorem professi, recipiunt; (b) argumento certissimo, nihil in ea reperiri, quod veritati repugnet.

XXXI. An Geisa manus humano sanguine pollutas habuit?

CCLX. Vt tamen aliqua pugnantia Schwartzius extunderet; maluit vti verbis Bonfinii, quae iam Timon castigauerat,

(a) *Ibid.* §. 10.
(b) *Baillet ad 2. Sept. in S. Steph. Fleury Hist. Eccl. L.* 58. *n.* 7.

rat, quam Carthuitii, cuius narrationem Bonfinius corruperat. Atque hac quidem de caussa censuram acriorem Timonis Bonfinius commeritus erat; at eidem stomachum mouere non debebat, quod Bonfinius scripserit, Geisam manus sanguine pollutas habuisse; nam hoc etiam Carthuitius affirmat. Sed enim neutrius testimonium Schwartzius recipit; arguitque, (a) filium potius Stephanum, qui bellis grauibus, per totam propemodum aetatem, fuerit implicitus, quam Geisam patrem, pacis et quietis studiosissimum, manus sanguine pollutas habuisse. Bene Stiltingus obseruat, (b) non omnem sanguinis effusionem manus aeque polluere. *Stephanus, inquit, sanguinem humanum fudit, sicuti omnes principes, etiam sanctissimi, dum iusto bello se defendunt, aut sceleratos puniunt; at hac effusione sanguinis manus principum non polluuntur. Geisa vero iniustis caedibus manus suas habuit pollutas; idque nullus negauerit; quum huiusce rei testem habeamus coaeuum, et omni exceptione maiorem. Quid, obsecro, significant verba Ditmari: -* Huius (*Stephani*) pater erat Dewir (*Geisa*) nomine, homo crudelis, multos subito furore occidens? *Negabitne Schwartzius, hominem crudelem, qui multos occidebat subito furore, manus aliquando habuisse sanguine pollutas? negabitne,*

A. C. 978.

(a) *Init. rel. §. 11. p. 12.*
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 484.

A. C. 978. *ne, sanguinem iniuste effusum fuisse ab eo, de quo mox subditur:* Qui quum Christianus efficeretur, antiquum scelus, zelo DEI aestuans, abluit? *Si antiquum scelus abluit; scelus antea contraxerat iniusta suorum caede. Audiamus nunc etiam, quid de Stephani moribus praemittat idem Ditmarus:* Numquam audiui quemquam victis tantum parcere; et ideo in ciuitate praedicta, sicut in multis sedulo, DEVS ei concessit victoriam. *Crudelitas Geisae etiam agnoscitur a Carthuitio numer.* 2. *cuius in scribendo fides ex ingenua illa agnitione ostenditur, Itaque nihil in Geisae visione, prout relata est a Carthuitio, hactenus inuentum est, quod censuram mereatur, aut fidem Carthuitii faciat suspectam.* Haec Stiltingus, qui praeterea merito Schwartzii malam fidem accusat, quod *sola dederit verba Bonfinii, et quidem sic mutilata, vt peiora appareant, quam reuera sint; vt alii eadem habere credantur.* Infert etiam, non fuisse carpendum Timonem, quod Bonfinium solum refutet; non item Inchofferum, aut Baronium. Cur enim hos refutare debuisset, qui Carthuitium, recte scribentem, sequuti sunt? Solus Bonfinius nimia libertate rei gestae relationem corrupit; solus igitur erat improbandus.

XXXII. An visio, Saroltae facta, quicquam absurdi continet?

CCLXI. Postquam oblatam Geisae visionem, prout a Carthuitio refertur, nihil absurdi continere docuimus; minus difficultatis habet ea, qua Saroltam, Geisae con-

coniugem, idem auctor recreatam fuisse, his verbis perhibet: (a) *Nec hoc silentio praetereundum est, quod, vt omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne forte praedictae visioni solius viri parum videretur inesse fidei, vxorem eius, iam appropinquantem partui, tali voluit visione diuina gratia consolari. Apparuit namque illi beatus Leuita et protomartyr Stephanus, Leuitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter coepit: confide in domino mulier, et certa esto, quia filium paries, cui primo in hac gente corona debetur et regnum, nomenque meum illi reponas. Qui quum admirans mulier responderet: quis es, domine, vel quo nomine nuncuparis? ego sum, inquit, Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. Quo dicto, disparuit.* Schwartzius, qui iam priorem visionem *futilis cuiusdam fraterculi, in cellula sua superstitiose negociosi, abortum esse*, dixerat, (b) eiusdem notae hoc aliud portentum esse putat. (c) *Quis*, inquit, *scriptor probus docuit, protomartyrem Stephanum fuisse Leuitam? Demus autem legendarium nostrum munus, quod gessit, significare voluisse duntaxat; habitu Leuitico cur illum apparuisse scribit, nisi quod in cucullo singulare quoddam sanctitatis decus inesse existimauit? Nam* pro-

A. C. 978.

(a) *Edit. Prai. p.* 121. 122.
(b) *Init. rel. p.* 13.
(c) *Ibid. p.* 14.

A. C. 978. *protomartyrem Stephanum primosque euangelii Christi-praecones quoscumque, certo vestimentorum genere, a reliquo populo fuisse distinctos, non constat.* Nescio, quem cucullum in habitu Leuitico Schwartzius sibi fingat, in quem tam acriter insurgit. Ad haec, quae hic obiicit, Stiltingus respondet: (a) *Diaconos vocatos fuisse Leuitas multis seculis ante S. Stephanum. - An primi praecones euangelii ab aliis hominibus vestitu fuerint distincti, huc non spectare; quippe non debuisse S. Stephanum apparere eo habitu, quo indutus erat, dum viuebat in terris, sed potuisse se accommodare tempori, quo apparebat.* Neque Christus in ea veste, qua regnum DEI praedicabat, apparuit Magdalenae, quum ab ea pro hortulano reputatus est.

XXXIII. Quibus praeterea testimoniis vtraque probari potuit?

CCLXII. Visionem vtramque Timon generatim ita defendit: (b) *Visa dormientibus a DEO aliquando mitti, diuinae docent litterae. Et Eusebius in vita Constantini libr. I. cap. XXIX. testificatur, secundum quietem Constantino M. Christi imaginem oblatam esse.* Quae postquam Schwartzius quoque retulisset, haec subiicit: (c) *sed in diuinis quis ferat visa eiusmodi, in quibus sunt pugnantia, vt in viso Geisae; et vanissime ficta,*

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 484.
(b) *Im. Ant. H. Libr. III. C. VIII.*
(c) *In. rel. p.* 14. 15.

ficta, vt in Saroltae. Si commenta Bonfinii, quae Timon profligauerat, demamus, visionemque Geisae, prout eam Carthuitius narrat, accipiamus; nulla pugnantia Schwartzius inesse huic docuit, frustraque visionem alteram, Saroltae factam, vanissime fictam asseruit. Et quia firmius, quam Carthuitii, testimonium desiderat; iuuerit hic alia quoque documenta promere. Geminum ex iis producit Timon, plura Praius, suaque Timonianis ita iungit: (a) *Huius visionis - non solum Turotzius P. II. chronicorum cap. 27. sed vetustissima MSS. chronica, qualia sunt - Simonis de Keza, et id, quod ad Caroli Roberti aetatem pertinet, mentionem faciunt. Iungamus his regum testimonia. Andreas II. in litteris anni* 1233. Sed etiam parentibus eius (*hoc est S. Stephani regis*) fuerat diuinitus reuelatum, quod ei in gente nostra corona debebatur et regnum. *Aut id ex litterariis decessorum documentis rex habet; et tum nihil prudentis caussae est, cur Schwartzius de hac visione dubitet: aut ex legenda sancti regis; et tum, quoniam vetustior Carthuitii non exstat, consentaneum est, Carthuitium Colomano, Belae IV. fratre, antiquiorem ac proinde Colomano, Hungariae regi, coaeuum esse.* Solidum hoc argumentum Praianum tenuis illa Schwartzii coniectura, regique non parum iniuriosa, qua dicit, Andream, quum ei res cum illis

A. C. 978.

(a) *Diss. de S. Steph. p.* 119.

A. C. 978. lis esset, *qui huius generis portenta sancta accipiebant, suis ipsos glandibus secure pascere potuisse*, profecto non elidit. *Ladislaus Chunus*, pergit Cl. Praius, (a) *in diplomate anni* 1274. *quo priuilegia ecclesiae Strigoniensis confirmat, ita ait:* Cum ipsa sedes Strigoniensis sanctissimi patris et domini nostri S. Stephani regis ortu, per protomartyrem praenunciato, decorata et sacro baptismate eiusdem sublimata, regalisque nostri diadematis impositione exstiterit redimita. &c. *Per protomartyrem intelligi S. Stephanum, quem Leuitae amictu Saroltae apparuisse, Carthuitius memorat, dubium non est. Hinc locum illum, in quo visio contigit, et Stephanus natus est, postea in templum S. Stephani protomartyris conuersum fuisse, refert visitatio canonica ecclesiae Strigoniensis anno* 1397. *facta. Bonifacius VIII. apud Raynald. ad annum* 1301. Fuerat quidem; *inquit*, diuinitus reuelatum, quod ei (*Stephano*) primum in gente Hungarica corona debeatur et regnum; sicut haec plenius documenta, quae seruantur in archiuis memoratae ecclesiae Romanae, testantur &c. *Si contra hoc testimonium Schwartzius, vt facit, excipiat; prioribus profecto cum ratione nihil obmouere potest.* Ita Cl. Praius, ante quem postremum ex Bonifacio testimonium quum Timon protulisset; Schwartzius illud, veluti re-

(a) *Ibid. p.* 120.

recentius ac editum in propria caussa, reiicit ac subiungit: (a) *Scrupulum et hoc mihi mouet non leuem, prouocare Bonifacium ad documenta, quae in archiuis ecclesiae Romanae conseruantur. Nam licet aliud atque aliud ex Vaticano monumentum, ad ius, quod in Hungariam pontifices sibi olim arrogarunt, stabiliendum, erutum hactenus sit, in nullo tamen diuinae alicuius reuelationis testimonium inuenitur.* Etsi viro honesto fides abroganda non sit, quia tamen Bonifacius VIII. eiusmodi Schwartzio non habetur, cui credi possit, asserenti, huiusmodi documenta seruari in archiuo Romano, Stiltingus illi testimonium Andreae regis opponit, (b) *quod ex Vaticano protulit Raynaldus, quodque longe antiquius est Bonifacio VIII.* Potuit igitur aliquid simile Bonifacius in archiuo Romano reperire; maleque conatur Schwartzius eum aperti mendacii suspectum facere.

A. C. 979.

A. C. 979. Gei. 8. Indict. 7.

XXXIV. Quo verosimilius anno S. Stephanus in lucem est editus?

CCLXIII. Necessitatem nobis Schwartzius imposuit morae longioris, quam, vt, relatis e Carthuitio visionibus, S. Stephani parentibus oblatis, ejus natiuitatem ex eodem mox subiungere possemus. De hac Carthuitius paucis ita loquitur: (c) *Nascitur in-*

Oo

(a) *Init. rel. p.* 15.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 485.
(c) *Edit. Prai. p.* 122.

A. C. 979. *interea praedictus a domino filius principi, quem, secundum prophetam, antequam in vtero conciperetur, dominus nouit; et cui, antequam nasceretur, per protomartyrem suum nomen indidit.* Non exprimit hic annum natalem S. Stephani, de quo scriptores admodum variant. Nam Turotzius, Ranzanus, Bonfinius statuunt A. C. 969. Baronius, Spondanus, Balbinus A. C. 989. Cl. Hellius medium hos inter elegit A. C. 979. (a) Timon, prius Inchofferum sequutus, sancti regis natiuitatem defixit ad A. C. 985. deinde tamen annalium Hungaricorum sententiam amplexus, eam retraxit ad A. C. 969. Hansizius, Stiltingus, Praius eamdem protrudunt ad A. C. 983. aut 984. Sed quia horum omnium opiniones meris coniecturis nituntur; in tam pertinaci synchronorum, aut supparium scriptorum silentio nihil certi statuere possumus. Etsi vero Cl. Helii rationes, quibus adductus, nouam hanc chronotaxim constituerit, nondum nobis innotuerint; excussis tamen omnium sententiis, nihil tutius facturi nobis videmur, quam, vt cum eodem medium teneamus annumque natalem S. Stephani figamus ad A. C. 979. Hac enim via geminos scopulos euitari posse censemus, in quos partim illi, qui pauciores, partim qui plures annos S. Stephano tribuere solent, impingunt. In senten-

(a) *Adium. mem. p.* 244.

tentia Melchioris Inchofferi, quam Timon in synopsi rerum Hungaricarum sequutus est, S. Stephanus, in lucem editus A. C. 985. duodennis fuisset, quum patri successisset A. C. 997. non plures, quam quindecim annos natus, quum, bello cum Cupa terminato, designatisque sacerdotiis ac aliis egregie cogitatis atque factis, a Siluestro II. summis in coelum laudibus elatus est A. C. 1000. *Quis vero*, quaerit Timon, (a) *belli summam, quis constitutionem sacrorum crederet adolescentulo ac paene puero? Tantae tamque eximiae ac diuinae res certe attribui non possunt ... quintum decimum annum agenti. Grandiorem itaque natum illum fuisse oportuit, dum gubernacula reipublicae tractare coepit. Quare concedendum est in sententiam primi Vngaricorum annalium conditoris.* Et ille quidem, quum alteram suae synopsis editionem adornasset, eique titulum epitomes chronologicae rerum Hungaricarum praefixisset A. C. 1736. in patriorum annalium sententiam, mutata priore, concessit, sanctique Stephani natiuitatem reduxit ad A. C. 969. Ita dum vnum scopulum vitat, in alterum incidit.

A. C. 979.

CCLXIV. Id enim cum Carthuitio pugnare videtur, qui S. Stephanum post obitum patris, quem collocat ad A. C. 997.

(a) *Im. ant. H. Libr. III. C. VIII.*

A. C. 979. adolescentem vocat; (a) et paullo prius, quam Geisa decederet, sic illius aetatem designat: (b) *Transacta pueritia, postquam gradum adolescentiae primum ascendit.* Vnde Cl. Praius contra Turotzium et Ranzanum (addo Timonem et Bonfinium) sic arguit: (c) *Iam, si natum Stephanum - ponimus anno, vt illi volunt, CMLXIX. egit Stephanus annum, quum pater e viuis eriperetur, vigesimum octauum; itaque adolescentiae annos ex horum sententia iam dudum egressus est Stephanus, quum regnum paternum adiit; contra quam Carthuitius affirmet.* Recte quidem ista; sed nondum alter scopulus, quem Timon, adductis supra rationibus, declinare voluit, satis euitatur, si S. Stephanum cum Cl. Praio, Stiltingo, Hansizio statuamus natum A. C. 983. aut 984. Sic enim is patri successisset natus annos 13. aut 14. adeoque nec rebus iis, quas Timon recenset, gerendis idoneus fuisset; nec viuente patre, quod Carthuitius perhibet, pueritiam transegisset ac gradum adolescentiae primum ascendisset. In nostra vero sententia sanctus Stephanus, quum patri successit, vndevicesimum; quum a Siluestro II. litteras accepit, alterum supra vicesimum aetatis annum egit. Et idoneus igitur rebus gerendis erat, et pueritiae me-

(a) *Edit. Prai. p.* 125.
(b) *Edit. eiusd. p.* 123.
(c) *Ann. vet. p.* 377.

metas ante patris obitum excesserat. Obstare quidem huic sententiae videtur, quod S. Stephanus in diplomate, quod abbatiae S. Martini dedit sub finem A. C. 1001. commemoret *singulare suffragium, quod per merita B. Martini* (contra Simeghiensem comitem) *a pueritia fuit expertus*. Nam, si puer adhuc erat, quum ab obitu patris contra Cupam depugnauit A. C. 998. aut 999. nasci non potuit A. C. 979. quum vicennis non iam puer, sed adolescens dici soleat ac debeat. Ius enim imperiale pueritiam extendit ad annum aetatis 14. Varro quidem ad 15. sed nullus ad 20. At enim laxiore sensu sanctum regem pueritiam accepisse hoc loco, vel aduersarii concedere debent, si velint auctoritatem Carthuitii valere, qui S. Stephanum, viuente patre, pueritiam transegisse, disserte scribit, et accurate gradum etiam adolescentiae distinguit. Certe, si stricte sanctus rex pueritiam accepit, nondum nasci potuit vel anno 983. a quo numerati 14. aetatis anni non excurrunt ad A. C. 998. vel 999. ad quos bellum Cupanum defigitur. Quamuis autem Carhuitius hisce verbis: *transacta pueritia, postquam gradum adolescentiae primum ascendit, - pater suus Geisa - filium suum Stephanum post se regnaturum populo. praefecit*, nostram sententiam stabiliat, quum S. Stephanum, viuente patre, transegisse pueritiam affirmat; alibi tamen contra nos pugnare videtur. Postquam enim S. Stephani natiuitatem retulis- A. C. 979.

 set,

A. C. 972. ſet, mox iſta ſubiicit: (a) *Hunc DEO dilectus Adalbertus episcopus chrismali baptiſmate, ſecundum credulitatis ſuae veritatem, intinxit.* Vnde Hanſizius, quum annum, quo S. Stephanus natus ac baptismo renatus eſt, inquirit, ita ratiocinatur: (b) *Certum eſt, id non factum ante annum* 983. *Nam eo primum anno Adalbertus in epiſcopum conſecratus eſt apud vrbem Veronam, feſto apoſtolorum Petri et Pauli, imperatore Ottone ſecundo praeſente. Ex narratione tamen Carthuitii conſtabit, id vltra annum* 984. *differri vix poſſe. Nam Adalbertus ſub ipſum tempus natiuitatis Stephani aduenit. Porro Stephanus, viuente adhuc patre, in ſolium impoſitus eſt, poſtquam, vt ille ſcribit, iam pueritiae exceſſiſſet metas. Obiit inde mortem Geiſa anno* 997. *quo Stephanus iam erat adoleſcens, vt ibidem dicitur. Haec obſeruatio nos coegit baptismum Stephani annis aliquot ante Baronium collocare, nempe ad annum circiter octogeſimum tertium, quo Adalbertus ſedere coepit, aut certe ſequentem. Secus enim haud intelligi poteſt, quemadmodum, viuente patre, pueritiae metas exceſſerit, aut adoleſcentiam Stephanus attigerit. Ab anno itaque* 983. *vel ſequenti, ducendo calculum vſque ad annum obitus Geiſae* 997. *modus tandem aliquis apparet conficiendi annos quatuordecim aetatis, ſaltem*

(a) *Edit. Prai. p.* 122.
(b) *Germ. S. T. I. p.* 227.

tem incompletos. Hoc ratiocinium Hansizianum ita Stiltingo placet, (a) vt natiuitatem ac baptismum S. Stephani collocandum censeat circa A. C. 984. Cl. Praius ex eadem ratiocinatione vero proximum esse putat, (b) *Stephanum, quem Ditmarus antea Waic appellatum scribit, anno CMLXXXIII. aqua lustrali ab Adalberto expiatum fuisse.* Si S. Stephanum S. Adalbertus, iam episcopus, sacris vndis expiauit, certum esse concedam id non factum ante A. C. 983. At istud non ita certum est, vt aliqui non sentiant, Stephanum ab Adalberto, nondum episcopo, sacro latice tinctum esse. Hanc sententiam Timon amplexus, pro certo habet: (c) *eumdem inclitum martyrem diutine in Hungaria versatum fuisse, antequam Pragensem pontificatum adipisceretur.* Timonem sequutus Schwartzius censet, (d) Stephanum *a S. Adalberto, episcopo post illa Pragensi, aqua lustrali tinctum.* Nempe Carthuitius, quum scribit, (e) *beatum Adalbertum, Bohemiensis ecclesiae pontificem* ad Geisam venisse, per quamdam prolepsim historicam eum episcopum vocare potuit, qui postea factus est episcopus. Haec dici circa primam Hansizii coniecturam possunt, quibus A. C. 979.

 vta-

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 487.
(b) *Ann. vet. p.* 382.
(c) *Im. ant. H. L. III. C. VIII.*
(d) *Init. rel. p.* 6.
(e) *Edit. Prai. p.* 121.

A. C. 979. tamen opus nos non habemus, qui censemus, S. Stephanum ab illo, iam episcopo, sacro fonte lustratum esse.

XXXV. An statim a S. Adalberto sacris vndis ablutus?

CCLXV. Sed nimirum negamus aliam Hansizianae sententiae partem, qua dicit, *ex narratione Carthuitii constare, id vltra annum 984. differri vix posse; quod Adalbertus sub ipsum tempus natiuitatis Stephani aduenit.* Licet enim Carthuitius, post oblatam Geisae visionem, aduentum Adalberti statim referat; ex ordine tamen rerum, ab illo narratarum, certi nihil erui posse, vel inde colligitur, quod eiusdem aduentum et ante Saroltae visionem, et ante S. Stephani natiuitatem narret. Debuisset igitur S. Adalbertus populum, suae curae pastorali commissum, non multo post, quam illuc deductus est, deserere; quodque Bohemis praestandum erat, Hungaris Christi fidem annunciare, quod vix est credibile. Immo, si Carthuitii verba, quibus S. Stephani baptismum refert, accuratius consideremus; non obscurre colligimus, S. Stephanum non statim, ac in lucem editus est, a S. Adalberto sacris vndis respersum esse. *Hunc DEO dilectum*, scribit is, *Adalbertus episcopus chrismali baptismate, secundum credulitatis suae veritatem, intinxit.* Si S. Stephanus baptismate, secundum credulitatis suae veritatem, intinctus est; eius aetatis fuisse videtur, quum baptismum suscepit, qua iam ipse fidei suae veritatem assequi potuerit, ac pro se, patrini loco,

spo-

A. C. 979.

ſpoponderit. Quare nondum conſentire poſſum iis, quae Cl. Praius, de natiuitate ſancti regis acturus, in hanc ſententiam praemittit: (a) *Quum Carthuitius eo, quo natus eſt, anno, baptiſmo itidem tinctum Stephanum prodiderit; natiuitatis annum cum baptiſmo prorſus congruere dicendum*; alioque loco ſtatuit, (b) *Stephanum, quem Ditmarus antea Waic appellatum ſcribit, anno CMLXXXIII, aqua luſtrali ab Adalberto expiatum fuiſſe.* Nec enim vel Carthuitius, Stephanum eo, quo natus eſt, anno, baptiſmo tinctum fuiſſe, prodit propterea, quod poſt eius natiuitatem mox de baptiſmo loquatur; immo verbis ſupra laudatis, baptiſmum Stephano ſerius adminiſtratum fuiſſe, non obſcure teſtatur; nec alia de cauſſa Stephanum antea Waic appellatum eſſe, Ditmarus ſcribere videtur, quam quod gentile hoc nomen geſſerit prius, quam in baptiſmo Stephani nomen eidem imponeretur; nec denique mihi credibile videtur; Adalbertum, quem poſt conſecrationem biographus ſcribit (c) *multo comitatu equitaſſe in dulcem patriam*, vel ex itinere cum tanto comitatu ſtatim in Hungariam diuertiſſe, vel eodem anno, relicta patria, cuius ſaluti procurandae datus eſt episcopus, ad Geiſam veniſſe Stephanoque ba-

Oo 5 pti-

(a) *Ann. Vet. p.* 376.
(b) *Ibid. p.* 382.
(c) *Act. SS. Apr. T. III. p.* 180.

A. C. 979. ptiſmum contuliſſe. Quare ſi S. Stephanum a S. Adalberto, iam epiſcopo, ſacro baptiſmate luſtratum admittimus, id in poſteriora tempora reiiciendum eſſe cenſemus, pluribusque veterum ſcriptorum teſtimoniis ſententiam noſtram alibi ſtabiliemus. Nunc ſatis ducimus innuere, nihil prorſus in Carthuitio reperiri, quo cogamur, annum natiuitatis et baptiſmi S. Stephani coniungere. Licet igitur hoc anno S. Adalbertum nondum fuiſſe conſecratum epiſcopum admittamus; et ab eo, iam epiſcopo, baptizatum eſſe S. Stephanum, itidem concedamus; nihil tamen obſtat, quo minus eumdem iam hoc anno lucem primam adſpexiſſe dicamus, ne vel pauciores aetatis annos illi tribuamus, quam excuſſa iam Carthuitii verba ſanctique regis acta velint, ſi natiuitatem eius figeremus ad A. C. 983. aut 985. aut 989. (nam omnibus his annis ſuos patronos non deeſſe, ſupra vidimus) vel plures eidem annos demus, quam rurſus Carthuitii verba patiantur, ſi cum patriis ſcriptoribus illius natalem ſtatuamus A. C. 969. Videntur hi fontibus iisdem vſi, ſed vitiatis, vbi natalis ſancti regis annus ſcriptus fuerit CMLXIX. quum ſcribi debuiſſet CMLXXIX. Non infrequens eſt hic ſcribarum error, vt aliquam anni notam omittant. Ita iam ſupra vidimus, in Anonymo Belae notario, manifeſto librariorum errore, ſcriptum fuiſſe DCCCCIII. pro DCCCXCIII. Plura huius generis exempla paſſim in Turotzio videbimus

bimus et ad aliorum auctorum fidem in regibus emendare conabimur.

A. C. 979.

XXXVI. Quando Leopoldus Illustris Mellicium Hungaris eripuit?

CCLXVI. Vt baptismus S. Stephani longius post eius natiuitatem differretur; praecipua caussa fuisse videtur, quod eodem, quo natus est, anno graues inter Hungaros et Germanos inimicitiae fuerint exortae; quarum occasione Piligrini, cuius ditiones identidem Hungari vastabant, clericis et monachis, a quibus sacro fonte natus Stephanus lustrari potuisset, ex Hungaria rursus emigrandum fuit. Deduxerat S. Wolfgangus, Ratisbonensis episcopus, quosdam ex Bauaria colonos in Austriam inferiorem, eisque Pechlariam, cum aliis ad Erlaffam fluuium locis, ecclesiae Ratisbonensi vectigalibus, attribuit. Quum Hungari, qui Mellicum arcem, in ardua rupe positam, obtinebant, nouam hanc coloniam omnemque viciniam creberrimis populationibus infestarent; Leopoldus Illustris, ex Babenbergica stirpe primus Austriae marchio, collecta suorum egregia manu, praecipuum hunc Hungarorum nidum aggressus, eosdem non tantum Mellicio, sed toto Norico, quod ad Cetium vsque montem porrigebatur, expulit. *Hoc itaque anno*, scribit Aloldus, (a) *Liupoldus marchio in praedones istos potentes, quibus semper quidem se fortiter opposuerat, omnem suam*

(a) *Ad A. C.* 979.

A. C. 979. *suam virtutem et potentiam collegit. Medilikum, praecipuum barbarorum nidum, cum multis et fortibus militibus aggressus, grauiter eum locum impugnauit ac tandem expugnauit feliciter, Vngaris expulsis, et longe a prouincia repulsis.* Callesius hanc epocham recuperati Mellicii propterea minus probat, (a) quod, paucis interiectis Aloisdus subiiciat: *Sic marchia ista orientalis, deinceps ab inhumanis praedonibus immunis facta, quiescere coepit;* quum tamen tertio, vel quarto post anno misere vastata sit, vt ex Ottonis III. diplomate patet, quod Piligrino datum est A. C. 985. Sed enim illud, *quiescere coepit*, non indicat, Austriam perpetuo deinceps quieuisse; cui sane phrasi videtur satisfieri posse, si Hungaros, Mellicio pulsos, aliquamdiu solitas incursiones remisisse, vel non tam procul vastitatem intulisse, dicamus. Certum enim est, illam Austriae partem, quae cis montem Cetium Pannoniae superiori respondebat, a Leopoldo I. nondum Hungaris ereptam fuisse. Hanc enim gloriam Otto Frisingensis Adalberto I. marchioni III. Leopoldi I. nepoti, his verbis tribuit: (b) *Ex huius Alberti* (decollati) *sanguine Albertus, qui postmodum marchiam orientalem, id est, Pannoniam superiorem, Vngaris ereptam, Romano imperio adiecit, originem duxis-*

(a) *Ann. Austr. P. I. p.* 274.
(b) *Libr. VI. Cap. XV.*

xisse traditur. Ex hac igitur Austriae, seu Pannoniae superioris parte Hungari subinde proruperunt, et Laureacensis ecclesiae praediis, Cetio monti vicinis, eam vastitatem intulerunt, de qua loquitur Otto III. A. C. 985. Haec autem vastitas, serius illata, non tam procul, vt alias, producta, minime pugnare videtur cum illa quiete, quam et vlterior Austria degustare post Mellicium expugnatum coepit, et citerior aliquo temporis interuallo sensit. Quamquam Aloldus, ad eumdem annum plura, quae diuersis temporibus euenerunt, adiungere solitus, postquam indicasset annum, quo Mellicium Leopoldus Illustris occupauit, non omnia, quae subiicit, eodem anno contigisse velit. Hinc ea quies, qua de loquitur, tunc quidem inchoata, sed sensim, vt Geisa suos assuefacere mercatui potuit, inducta, commemorari iam tunc ab eo potuit, quum ei prima fundamenta Leopoldus hac victoria posuit. Illis igitur Aloldi vocibus, quae cum Ottonis III. diplomate pluribus modis conciliari possunt, minime nos cogi sentimus ad deferendam epocham, quam is pro capto Mellicio statuit. A. C. 979.

CCLXVII. Verum Callesius laudatus, altius rem aggressus, non tantum chronologiam, sed etiam genealogiam et omnem Aloldi fidem in dubium vocare videtur. Postquam enim eorum fabulam retulisset, qui Leopoldo marchionis Austriae dignitatem XXXVII. An Leopoldus Austriae hoc tempore iam reuera praefuit?

A. C. 979. tem in praemium ab Henrico Aucupe collatam tradunt, quod arcum venanti regi, dum suum is fregisset, obtulerit; *alii*, subiicit, (a) *haud paullo verosimilius Leopoldi Babenbergici in Austriam aduentum in Ottonis primi magnique tempora coniiciunt. - - Sed quod anno adhuc 973. Burchardus in Austria marchio; et decennio post Leopoldus Tonauiensis comes fuisse, caesareis in litteris legatur; dubium esse potest, num ante tertium quartumue et octogesimum seculi huius annum ad regendam Leopoldus Austriam sit translatus.* Ita profecto Leopoldus Mellicium Hungaris eripere non potuisset A. C. 979. si regendam Austriam non accepisset ante A. C. 984. cuius tamen aduentum Aloldus affigit ad A. C. 944. Ante protractum in lucem hunc auctorem, Hieronymus Pezius epocham Austriaci huius marchionis vocat (b) *infinitarum quaestionum, obscuritatum et difficultatum siluam.* At idem Cl. auctor agnouit, has difficultates euanescere, postquam a suo commilitone, Chrysostomo Hanthaler, in coenobio Campililiensi bibliothecario, e tenebris erutum vidit Aloldum A. C. 1739. Hunc olim exscripserat Fr. Ortilo, vnus e primis monachis Campililiensibus sub exitum seculi XII. Aloldus ipse de Peklarn, *capellanus quondam Adalberti, marchionis tertii Baben-* *ber-*

(a) *Ann. Austr.* P. I. p. 268.
(b) *Diss.* V. T. I.

bergici Auſtralis, vt Ortilo loquitur, (a) *ſuum ſcribendi laborem coepit, ſicut ipſe dicit, centum annis poſt aduentum Leopoldi Illuſtris in Oſterriche. Sine dubio hic ſcriptor verus et fidelis eſt, qui vltima multis annis ipſe vidit; priora vero a ſuo principe didicit.* Tam veterem ſcriptorem Aloldum, tam diligentem deſcriptorem Ortilonem tamdiu deſerendos non cenſeo, quamdiu certa veteraque monumenta fidem iis non abrogauerint. Iam vero, quae Calleſius adfert, mihi quidem tam incerta ſunt, vt Aloldi fides ob ea ſollicitanda non videatur. Ait Burchardum in Auſtria fuiſſe marchionem A. C. 973. idque conſtare ſcribit ex litteris Ottonis II. quibus anno laudato confirmatur donatio *vinearum in Wachow, in comitatu reuerendi marchionis Burchardi.* Atqui Burchardus hic Auſtriae marchio non dicitur, quum igitur plures marchas eodem hoc tempore fuiſſe conſtet; dubium manet, vbi Burchardus iſte marchio fuerit. Ipſe Calleſius, quum refert illa verba continuatoris Reginonis ad A. C. 955. *Heinrichus, frater regis, deſperatis rebus recuperatis, recepto Bauariae ducatu, obiit; cuius filio Henrico prius rex* (Otto I.) *ducatum et marcham dedit*, varias marchae huius interpretationes adducit; nec aſſentitur ſeu Gebellino, (b) qui mar-

A. C. 979.

(a) *p. m.* 86. 87.
(b) *Aet. VI. C.* 48.

A. C. 979. marcham Carinthiacam; ſeu Hanſizio, (a) qui marcham Auſtriacam intelligit; ſed veriſimilius exiſtimat, (b) eo nomine marcham Veronenſem et Aquileienſem accipiendam eſſe, propter illa continuatoris Reginonis verba, quae praemiſerat ad A. C. 952. *Marca tantum Veronenſis et Aquileienſis excipitur, quae Henrico, fratri regis, committitur.* Quid ſi Burchardus huic marchae praefectus fuit, poſtquam Henricus alter, huius Henrici filius, ob ſeditionem, in Ottonem II. commotam, exauctoratus, et ducatum, et marcham patris amiſit? At video, Burchardum *marchi-comitem* appellari, priusquam ea ſeditio Henrici ducis erupiſſet. Sic enim Arnolf. Vohlburgic. Piligrinum de Wolfgango promouendo loquentem inducit: (c) *Vnde operae pretium cenſeo, quo mittam ad marchi-comitem, cuius conſilio multa ſolet facere imperator.* Ne vero neſciremus, quem marchi-comitem intelligat; alio loco Burchardum illum diſſerte his verbis appellat: (d) *Vir ingenuus, Burchardi marchi-comitis et praefecti Ratisbonenſis vaſallus.* At vel ex his eorum opinio conuellitur, qui cenſent, Heinricum II. cum ducatu Bauarico marchionis Auſtriae dignitatem coniunxiſſe, ſi reuera Bur-

(a) *Germ. Sacr. T. I. p* 189.
(b) *Ann. Auſtr. P. I. p.* 255.
(c) *Memor. B. Emmer. Libr. II.*
(d) *De mirac. S. Emmer. L. I. C.* 16.

Burchardus hic Austriae marchio fuit. Verum id nondum ex laudatis Arnolfi verbis erui potest, qui Burchardum quidem marchi-comitem et praefectum Ratisbonensem vocat, vbi tamen suam is marchiam habuerit, non determinat. A. C. 979.

CCLXVIII. Recurritur igitur ad Auentini testimonium, qui scribit, (a) *asseruari in Ebersperg diploma Ottonis III. in quo Burchardus appellatur praefectus pagi Boiorum, qui Osterricha vocatur.* Haec Auentini fide, quae passim vapulat, dicuntur. Certe Callesius suspicatur, (b) Burchardum ea clade, quam Otto II. a Saracenis accepit, haustum esse; nec igitur vitam ad Ottonem III. vt Auentinus vult, prorogasse. Auentinus ergo non est idoneus auctor ad ostendendum, Burchardum Austriae marchionem fuisse. Sed fuerit; quid obstat, quo minus dicatur, *geminos fuisse, vt alias nonnumquam, vno tempore marchiones Austriae*? quod Callesio cur verosimile non videatur, non video; nec enim vllas ibidem sui huius dubii rationes promit. Nolim in hanc rem vti testimonio catalogi recentioris, (c) qui Piligrinum, Burchardo synchronum, *archiepiscopum et marchionem Austriae* vocat; scire tamen

XXXVIII. An hic Aloldus plus fidei, quam Auentinus meretur?

Pp per-

(a) *Ann. Boic. Libr. V.*
(b) *Ann. Aust. P. I. p.* 266.
(c) *Ap. Hanyz. T. I. p.* 206.

A. C. 979. peruelim, an vllus veterum tam clare dicat, Burchardum Austriae marchionem hoc tempore fuisse, quam disserte hoc in Aloldo de Leopoldo legimus? cur igitur, huius tam vetusti scriptoris, qui sacellanum apud Adalbertum, huius Leopoldi nepotem,. vel, vt aduersarii volunt, filium, egit; adeoque de genealogia sui principis omnia certius ex eodem resciscere potuit, auctoritas ob implexa quaedam aliorum testimonia reiicitur? At, inquiunt, Aloldo praeualere debet auctoritas Ottonis II. qui *vineas in Wachow in comitatu reuerendi marchionis Burchardi* fuisse testatur; *districtus* autem, ait Hansizius, (a) *ille Wachouiensis, vineis multis refertus, - secundum ripam Danubii septemtrionalem protenditur in Austria inferiori vsque fere ad opidum Crembsense; vt proinde dubium esse non possit, quaenam regio Ostericha intelligatur, cuius marchio Burchardus anno adhuc* 973. *exstiterit.* At nullus, praeter Auentinum, cuius auctoritas exigua numquam Aloldi fidem elidere potest, Burchardum Osterichae marchionem vocat. Otto Burchardum quidem marchionem appellat; sed vineas Wachouienses non affirmat, in eius marchionatu, sed tantum comitatu, fuisse; dubium autem est, vtrum per comitatum eius ditio tantum, an marchionatus, intelligatur. Si vero per comitatum marchionatus

(a) *Germ. Sacr. T. I. p.* 207.

natus accipiendus est; iam vicisse debeo; iam eodem iure Leopoldum Austriae marchionem appellabo. *Nam inuenio*, Hansizii verbis vtor, (a) *Ottonis II. diploma, quo regularem vitam instaurat in coenobio Tegernsee, in pago Sundergoe, in comitatu Luitpoldi comitis, datum anno* 975. 4. *idus Iunii. Item aliud eiusdem, quo concedit monachis S. Emerammi loca Elpurc et Perc, cum mancipiis, in pago Tuonahgewi in comitatu Luitpoldi, datum Veronae anno* 983. Non negat Hansizius, hunc ipsum fuisse Leopoldum, qui deinde prouinciam orientalem rexit, licet, Eccardi genealogiam sequutus, Adalbertum Martalensem illi patrem tribuat. Quemadmodum igitur Burchardum, quod in eius comitatu Wachonienses vineae fuisse dicantur, eius Austriae, quae boreali Danubii ripae Crembsium vsque praetenditur, marchionem facit; ita Leopoldum earum Austriae partium, in quibus loca nominata reperiuntur, marchionem agnoscere debet, quod haec in eius *comitatu* fuisse, diplomata laudata testentur. Quum autem haec ad Anasi ripam Ottonis II. diploma, relatum ab Hansizio, (b) constituat; si Burchardum Austriae, quae supra boreale Danubii latus excurrit, marchionem agnoscamus; Leopoldum Austriae, quae Danubii ripam Au- A. C. 979.

Pp 2 stra-

(a) *Ibid. p.* 225.
(b) *Ibid. p.* 221.

A. C. 979. ſtralem reſpicit, marchionem admittamus Aloldique teſtimonium recipiamus, eſt neceſſe. Sed nempe Leopoldus non marchio, ſed tantum comes, in laudatis litteris appellatur. Non obfuit Calleſio, quominus Burchardum marchionem latere ſuſpicaretur (a) in eo, de quo necrologium Fuldenſe habet: *A. C.* 981. *Burgart comes*; quemue Ditmarus et annaliſta Saxo caeſis comitibus accenſent ad A. C. 982. cur igitur idem comitis titulus, Leopoldo noſtro tributus, officiat, quominus etiam pro marchione haberi poſſit? Fortaſſis illuſtriore hoc titulo tunc primum vti coepit, quum marchiam ſuam, iam dudum ſibi collatam, pulſis Mellicio Hungaris, ad Cetium vſque montem protulit. Certe Ditmarus (b) Ottonem, Carentanorum ducem et Veronenſem comitem vocat, quum tamen a continuatore Reginonis marchia, non comitatus, Veronenſis appelletur. Quid, quod ipſe Luitwaldus, ſeu Leopoldus, iam comes, iam marchio vocetur in diplomate, quod Otto III. Piligrino dedit A. C. 985. (c) De hac igitur voce non videtur magnopere litigandum; nec locus hic patitur, vt longam de Babenbergicae familiae genealogia, quam Aloldus texuit, diſputationem contra Calleſium

eum-

(a) *Annal. Auſtr. P. I. p.* 266.
(b) *Ann. l. V. p.* 370.
(c) *Ap. Hanſ. T. I. p.* 226.

eumdêm ingrediamur. Nonnullis difficultatibus iam ante nos occurrit laudatus Hanthalerûs, qui primus Aloldum e tenebris eruit A. C. 1739. primusque luce publica donauit A. C. 1742. Quod opus beneficio meritissimi Prioris coenobii Campililiensis nacti, quum locupletissimam eius bibliothecam inuiseremus A. C. 1776. publicas hic optimo viro gratias dicimus. A. C. 979.

CCLXIX. Cetera, quae porro Callesius in modum coniecturae contra Leopoldi marchionatum obiicit, (a) magnam difficultatem non habent. Cur enim Otto M. annos vicenos nato iuueni limitem Austriae custodiendum demandare voluerit, argumenta grauia noster Aloldus adducit; (b) nec in historiis exempla desunt iuniorum etiam ducum, qui res bello maximas egerunt. Idem Otto sperare de Leopoldo potuit, qui, magnis heroibus ortus, ad exemplum patris, qui patriae vitam immolauit, se conformaturus erat. Hic Illustris agnomen, quod a rebus gestis, Aloldo teste, retulit, non statim, vt dignitatem hanc adeptus est; sed, postquam Mellicio Hungaros exturbauit, sibi confecit. Quid vero mirum est, id eum prius non fecisse, quod totis viribus Otto M. etiam post cladem Augustanam, facere non potuit?

XXXIX. Quomodo ceteris Callesii coniecturis respondetur?

Pp 3 Nem-

(a) *Ann. Austr. P. I. p.* 271.
(b) *Ad A. C.* 943.

A. C. 979.

Nempe facilius est hostes in campo sternere, quam e locis munitis eiicere. Ne nunc quidem Leopoldum id e voto confecturum fuisse puto, nisi Geisa, pacis studiosissimus, contra cuius voluntatem ad praedas agendas Hungari, velut ex insidiis, in reliquam Austriam excurrerunt, (a) auxilium suis obsessis negasset.

XL. An ipsum Geisam Leopoldus Mellicio depulit?

CCLXX. Pugnat cum hoc pacis studio, quod in Geisa non tantum Aloldus, sed etiam patrii scriptores vno consensu laudant, illud Arenpeckii: (b) *Hic* (Leopoldus I.) *forte oppidum Melicum, vna cum castro vi cepit, et potentissimum dominum Gysonem* (Geisam) *ex eo expulit et totam prouinciam sibi vsurpauit.* Sicut enim falsum est, Leopoldum totam prouinciam occupasse, quum ex Ottone Frisingensi iam viderimus, Pannoniae superioris partem Adalbertum, marchionem tertium, Austriae coniunxisse; falsum, quod idem auctor affirmat, arcem Mellicensem castrum ferreum olim dictam fuisse; ita verisimile non est, Geisam ipsum Mellicio pulsum esse. Facilius emolliri potest illud Conradi de Witzenberg: (c) *Ipse autem* (Leopoldus I.) *terram hanc cum multo comitatu adiens, castrum munitissimum in monte nostro* (Mellicen-

(a) *Alold. ad A. C.* 972.
(b) *In chron. Austr.*
(c) *In chron. vet. Austr. march.*

censi.) *situm, quod homo potentissimus, nomine Gizo, tenebat, magna vi cepit, atque destruxit; ibique canonicos XII. ne videlicet aliqua in eo munitio restaurari posset, instituit.* Hoc, inquam, facilius cum Aloldo conciliari potest, si cum eo dicamus, Geisam, Hungariae ducem, *Osterrichiam, a maioribus suis ex maxima parte occupatam, non dimisisse, sed constanter retinuisse;* non tamen ipsum Geisam, sed eius nomine praefectum aliquem Mellicio praefuisse. Hunc castri Mellicensis praefectum *Hemonem Stillam* Brunerus appellat; (a) quod nomen in fastis quidem Hungaricis nusquam occurrit; vix tamen Brunerus illud ex se commentus fuisset, nisi vetustioribus in monumentis, quae iam interciderint, id legisset. A. C. 979.

CCLXXI. Quamuis autem Hungari Mellicio depulsi fuerint; quia tamen spoliis in hostico legendis assueti, vix a subitis procursionibus sibi temperaturi videbantur; Wolfgangus, Ratisbonensis episcopus, suis colonis, quos ad Erlaffam fluuium deduxerat, consulturus, ab Ottone II. petiit, vt ad eos contra repentinas Hungarorum irruptiones, a quibus numquam non metus erat, muniendos Zwisilae castellum inter maiorem et minorem Erlaffam exstruendum sibi permitteret. *Vir venerabilis*, ita loquitur Otto, dato diplomate II. idus Octobris A. XLI. Quod castrum Hungaris S. Wolfgangus opposuit?

 C.

(a) *Boic. P. II. L. IV. C. II.*

A. C. 980.

C. 979. (a) *Wolfkangus, Reganespurgensis ecclesiae episcopus, - innotuit auctoritati nostrae, in terra quondam Auarorum, iuxta fluuiolum, qui Erlaffa dicitur, locum quemdam, qui Steinina Chiricha nominatur, quem, per multa annorum curricula desertum, ipse, de Bauaria missis colonis, incoli fecit. Qui vt tutiores ibi ab infestatione Vngarorum manere possent; petiit nostram serenitatem locum quemdam, inter maiorem et minorem Erlaffam situm, vbi ipsi conueniunt, castellum ad construendum, qui vocatur Zuisila: Cuius deprecationem - libenter annuimus, et ipsum locum perpetuo possidendum concessimus ecclesiae.* Ita Zuislburgum, hodie Wiselburgum ad Erlaffam surrexit, quod postea Ratisbonensibus colonis, aduersus subitos Hungarorum impetus, munimento fuit. Nam hi quidem ad montem Cetium modo retrusi, non multo post inde prorumpent ac Piligrini potissimum ditionem eradent. Vnde pronum est coniicere, Piligrino potissimum infestos, cuius conatibus patrios ritus aboleri aegre ferebant, iam nunc eius operarios istinc exegisse.

A. C. 980. *Gei.* 9. *Indict.* 8.

XLII. Quot filias Geisa, praeter filium Stephanum, suscepit?

CCLXXII. Postquam Sarolta felici partu Stephanum enixa fuisset; incertum quidem est, an plures filios, certum tamen plu-

(a) *Ap. Call. Ann. Aust. P. I. p.* 264.

plures eam filias e Geisa sustulisse. Verum quibus annis, quoue ordine hae natae fuerint, nusquam ab vllo connotatum reperio. Cl. Palmius in genealogiae regum Hungariae Tabula I. (a) primam ponit Iudithain, Boleslao Polono nuptam; alteram Giselam, *Ottoni*, seu Guilielmo; tertiam Saroltam, Abae H. R. collocatam. At ego nullius harum Geisae filiarum nomen in vetustioribus patriis scriptoribus reperio; nec satis assequor, vnde Timon Saroltae, coniugis Abae, nomen sumserit; nisi forte suspicatus fuerit, eam ex nomine matris appellatam fuisse. Ceterum quia Turotzius *Abam sororium sancti regis Stephani* vocat; (b) Bonfinius, eumdem *duxisse sororem diui regis* perhibet; (c) non dubito hanc, quocumque nomine vocata fuerit, inter Geisae filias censere. De Gisela peraeque nihil patrii scriptores meminerunt; nam etsi Petrum regem e sorore S. Stephani genitum referant, huius tamen sororis nomen non prodiderunt. Vnicus, quod sciam, exterus scriptor e vetustioribus Aloldus Geiselam sancti Stephani sororem et Petri regis matrem nominat. (d) *Adalbertus*, inquit, *marchio nuptias fecit cum Alhaide, quae fuit filia Guilelmi, comitis Pictauiensis;*

A. C. 980.

(a) *Edit. secund. p.* 135.
(b) *Chr. P. II. C.* 36.
(c) *Dec. II. Libr. II. p. m.* 218.
(d) *Ad A. C.* 1021.

A. C. 980. *sis; et Geiselae, sororis Stephani, primi regis Hungariae et sancti. Huius Alhaidis frater erat Petrus, qui post Stephanum in regno Hungariae successit.* Verum haec non Ottoni, Venetorum duci, sed Guilielmo, Pictauiensi comiti, quem ab illo distinctum fuisse suo loco videbimus, nupta fuit. Aliam igitur Geisae filiam Ottoni Veneto fuisse collocatam, existimo, cuius itidem nomen auctores reticent. Nam Andreas Dandulus, vnicus huiusce coniugii testis, postquam Ottonem Vrseolum patri successisse scripsisset A. C. 1009. coniugis dumtaxat genus, non item nomen, ita prodit: (a) *Erat quippe annorum fere XVIII. dux, quo tempore filiam Geizae, regis Hungarorum, et sororem Stephani successoris, duxit in vxorem; mulierem vtique generositate serenam, facie facundam et honestate praeclaram.* De Iuditha, Geisae filia, nullum itidem in patriis scriptoribus vestigium deprehendimus, quam Polonici tamen et nominant, et Boleslao, duci suo, collocatam, affirmant. Post Ioannem Dlugossum et Bernardum Vapouium, canonicos Cracouienses, quorum ille A. C. 1480. hic obiit A. C. 1535. Martinus Cromerus, designatus Varmiensis episcopus ad A. C. 1548. de hoc Boleslao, Micislai filio, hunc in modum loquitur: (b) *Adulto dein pa-*

(a) *Murat. T. XII. p.* 239.
(b) *Hist. Pol. Libr.* 3. *C.* 2.

pater, viuens adhuc, vxorem accepit Iuditham, Iessae, Vngarorum principis, affinis sui, filiam, ex priore vxore susceptam. Nam, ea mortua, sororem ei suam, Adleidam, Micislaus in matrimonium collocarat. A. C. 981.

A. C. 981. *Gei.* 10. *Indict.* 9.

XLIII. Quae filiarum ante ceteras nata verisimilius est?

CCLXXIII. Si Cromero fidem habemus; haec Iuditha, Boleslao desponsa, multis annis ante S. Stephanum nasci debuit. Quum enim Micislaum *adhuc viuentem Boleslao filio Iuditham vxorem accepisse*, laudatus scriptor affirmet, ac Micislaum e viuis excessisse chronologus Hildesiensis afferat A. C. 992. ante hunc annum nondum ea nuptiis matura fuisset, si post fratrem Stephanum anno hoc, vel superiore, primam lucem adspexisset. De ceteris Geisae filiabus nihil obstat, quominus alicuius natiuitatem ad hunc annum figamus; idque potissimum de Gisela, Vilhelmo Pictauiensi nupta, sentiendum existimamus. Quum enim ea subinde Petrum, post obitum S. Stephani regno maturum, in lucem ediderit; vix illius natiuitas ad posteriores annos reiici potest. Sed nimirum in tenebris palpamus.

A. C. 982. *Gei.* 11. *Indict.* 10.

XLIV. An quicquam certi de natalibus earum annis dici potest?

CCLXXIV. Non minus incertum est, an vel Abae, vel Ottonis vxor hoc anno nata fuerit. Dandulus narrat, Ottonem hunc

A. C. 983. hunc aetatis anno XVIII. Geisae filiam vxorem accepisse; post septimum decimum ducatus annum in exsilium Constantinopolim eiectum esse; post quatuor annos, quum a Venetis repeteretur, a legatis mortuum iam inuentum esse circ. A. C. 1031. Si, quot annorum obierit, vel Dandulus, vel scriptor alius consignasset; tempus nuptiarum ex eius anno XVIII. certum haberemus ac istinc de tempore natiuitatis anonymae, Geisae filiae, coniecturam aliquam capere possemus; at quoniam aetas Ottonis incerta nobis est; incerta quoque coniugis eius natiuitas manet.

A. C. 983. Gei. 12. Indict. 11.

XLV. Quo tempore S. Adalbertus Hungarorum Apostolus, Veronae consecratus?

CCLXXV. Certius est, S. Adalbertum, magnum Hungarorum apostolum, hoc anno Veronae 29. Iunii consecratum esse. Natus is erat nobilissimis parentibus, in iis Bohemiae, maxima parte caecis adhuc superstitionibus inuolutae, finibus, vbi Christiana religio iam efflorescebat. Voitichius in sacro baptismate nominatus, vbi studiorum caussa missus est ad Adalbertum, Magdeburgensem archiepiscopum, ab eo sacro chrismate confirmatus, Adalberti nomen accepit. Postquam, Adalberto Magdeburgensi mortuo, patriam repetiisset A. C. 981. tantis virtutibus eluxit, vt Ditmaro, primo Pragensium episcopo, morte sublato, successor omnium bonorum votis destinaretur ac Ottoni II. confirmandus prae-

sen-

sentaretur. *Rediens interea*, scribit biographus Adalbertinus, (a) *de Saraceno bello; adiit Veronam imperatorius apex, scilicet Otto secundus. - Ad hunc ergo Bohemica manus perrexit, ferens legationem de parte ducis* (Boleslai II. cognomento Pii, cuius sororem Srzezilauam Adalbertus matrem habuit) *et obtulit electum episcopum, rogans eius manu popularem confirmari electionem. Non minus imperator, eorum dignae petitioni acquiescens, dat ei pastoralem virgam; et cuius suffraganeus erat, Moguntino archipraesuli in episcopum direxit consecrandum. Consecratus ille festo amicorum D. N. I. C. Petri et Pauli, multo comitatu equitat in dulcem patriam.* Quum igitur ex chronographo Hildensheimensi constet, Ottonem II. Veronae placitum habuisse A. C. 983. hoc anno consecratum illum esse, tenendum est; vixque concedi potest, vt supra iam innuimus, eum, relicta patria, mox ad Hungaros conuertendos curas traduxisse Stephanoque baptismum contulisse. A. C. 984.

A. C. 984. *Gei.* 13. *Indict.* 12.

CCLXXVI. Nondum ea tranquillitas in Hungaria fuit, vt ad eam apostolicis laboribus excolendam Adalbertus tuto procurrere potuerit. Aegre ferebant illi, Mellicio se deiectos ac vltra montem Cetium a Leo-

XLVI. Quanta damna Piligrinus ab Hungaris passus?

(a) *Act. SS. Apr. T. III. p.* 180. c. 2.

A. C. 985. Leopoldo retrusos esse; nec a Geisa prohiberi poterant, quin vltra hunc montem saepius excurrerent, ac adsitas Patauiensis ecclesiae ditiones euastarent. Hungari, nondum ad fidem Christi traducti, haec patrauerint, ac ea quoque de caussa Piligrinum fortassis ad ictum destinauerint, quod eius opera plures e popularibus suis ipsumque ducem Geisam, ab auitis superstitionibus abductos, indignarentur.

A. C. 985. *Gei.* 14. *Indict.* 13.

XLVII. Quomodo sua deinceps aduersus eos tutatus?

CCLXXVII. Piligrinus, subitis ac continuis hisce Hungarorum populationibus modum positurus, ad exemplum Volfgangi, regionem, solitudine squalentem, colonis implere studuit; quos vt citius ad emolumenta proueheret, per Theophaniam imperatricem, Ottonis III. matrem, duosque Henricos, Carenthanum et Bauarum, hoc diploma regium impetrauit: (a) *Notum sit cunctis - qualiter Piligrinus, sanctae Patauiensis ecclesiae venerabilis praesul, episcopatus sui pertinentiam, in orientali plaga barbarorum limiti adiacentem, creberrima eorum deuastatione infestari, nostrae conquestus est pietati, a quibus etiam barbaris, moderno nostri quoque regni tempore, miserabili lamentatione adiecit, tam irrecuperabili se damno laesum in interfectione et direptione ecclesiae suae*

(a) *Ap. Hansiz. T. I. p.* 223.

A. C. 985.

ſuae familiae, praeter innumerabilia praedationum et incendiorum diſpendia, vt absque habitatore terra epiſcopi ſolitudine ſilueſcat; cuius pernicioſiſſimam iacturam, munificentia noſtrae liberalitatis, huiusmodi ſolari iuuamine pro noſtrae aeterno precatus eſt animae remedio; quatenus videlicet ingenui, qui ex inopia ſeruorum in locis eccleſiaſtici patrimonii conſtituantur coloni, quicquid noſtrae publicae exactioni iuſtitiaria poteſtate deberent, ad priſtinae reſtaurationem culturae ſuis largiremur vſibus. His igitur moti querelis, militumque interuentionibus allubeſcentes, ſuſpiciendae reuerentiae Theophaniae, dominae matris noſtrae, ſemper auguſtae, amborumque nepotum noſtrorum Heinricorum, ducum ſcilicet Bauariae ac Carinthiae regionum, poſtulata eo tenore conceſſimus, vt liberi, cuiuscumque conditionis ſint, qui deſtinantur coloni in locis, pertinentibus ad S. Patau. eccleſiae praeſulatum, in honore B. Stephani protomartyris Chriſti conſtructum et dedicatum, - - ſitis in marcha hactenus Luitwaldi comitis, a noſtrorum miniſterialium deinceps ſint diſtrictione abſoluti. - Datum pridie kal. Octobris, anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXV. Indict. XIIII. anno autem tertii Ottonis regnantis II. Huius diplomatis fide nituntur, quae de Hungaris Auentinus ita narrat: (a) *In eodem concilio decretum, quando ea regio Boiariae tae-*

(a) *Ann. Boic. L. V. p.* 398.

A. C. 985. *taedio vicinorum Vgrorum, ob horum crebras incursationes, in solitudinem redigebatur, vt allicerentur noui coloni indulgentia et largitionibus, qui nomina sua darent, terramque excolerent; tributa, militiae vacationem, terram eam repurgantibus et incolentibus remittendam esse; nouos incolas omnium munium expertes fore, constitutum; dataque Boiorum episcopis, monachis, sacerdotibus, nobilitati ibi castella, oppida, arces aduersus Vgros constituendi muniendique potestas.* Potestate hac vsos fuisse praesules ac proceres, Callesius colligit, (a) ex tot arcibus et castellis operis antiqui, quae suis in ruderibus adhuc visuntur. His ita coercita fuit Hungarorum excurrendi licentia, vt nullum deinceps Austriae maleficium intulisse legantur. *Sic marchia ista orientalis, deinceps ab inhumanis praedonibus immunis facta, quiescere coepit*, vt Aloldus iam antea scripserat. (b) Vlterior igitur Austria, pulsis Mellicio Hungaris, mox quiescere coepit; haec vero, quae finibus Hungarorum ad montem Cetium adiacebat, exstructis modo castellis, reuera quieuit. Proximo, quod elapsum est, quinquennio, tanto liberius Hungari vicinas has suo limiti plagas incursare poterant, quanto minus ibi militum, qui resisterent, esse nouerunt. Nam Otto II. eiectis per Leopoldum

(a) *Ann. Austr. P. I. p.* 276.
(b) *Ad A. C.* 979.

dum Mellicio Hungaris, ex Germania militiae florem in Italiam contra Graecos et Saracenos extraxit; eo vero post triennium exstincto, mox aduersus Ottonem III. graues turbas Henricus Bauarus excitauit. Ita, his feruentibus odiis ac dissidiis, occupatisque iam hic, iam illic militibus, Austria vicinior crebris illis Hungarorum infestationibus, quarum Otto III. in suo diplomate meminit, iam eo regnante, patuit. A.-C. 986.

A. C. 986. Gei. 15. Indict. 14.

CCLXXVIII. Quum ita hostiles animos Hungari gererent; iacta nuper Christianae religionis apud eos fundamenta paene collapsa videri poterant. Intellexit nempe Piligrinus ex damnis, ecclesiae suae nuper illatis, omnem sibi suisque praeclusum in Hungariam aditum, postquam implacabiles iras Hungari propter Mellicium et partem Austriae sibi per Leopoldum ademtam in Germanos susceperunt. Quare Piligrinum quidem iuribus suis, quae per Hungaros imminuta confusaque videbantur, vindicandis; non item his conuertendis intentum porro legimus. Vt enim hi, tot arcibus et castellis aduersum se structis et communitis, aditum sibi praeclusum in Austriam indigne ferebant; ita vicissim omnem Austriacis aditum ad se negabant. Hoc anno Saroltam fato defungi potuisse Cl. Praius

XLVIII. Cur euangelii praeconibus aditus ab Hungaris praeclusus?

 in-

A. C. 987. innuit; (a) at nos ſuo loco docere conabimur, nec eam hoc anno defunctam, nec Adleidam, Micislai ſororem, vmquam Geiſae nuptam fuiſſe.

A. C. 987. *Gei.* 16. *Indict.* 15.

XLIX. Quando Boleslaus Polonus Iuditham, Geiſae filiam, duxit?

CCLXXIX. Cl. Praius nuptias inter Boleslaum, Micislai filium, et Iuditham, Geiſae filiam, circiter hunc, aut ſequentem annum coaluiſſe putat, (a) Cromeri teſtimonio ductus, qui ſcribit, adulto Boleslao Iuditham vxorem datam. Quum enim, eodem teſte, Boleslaus in lucem editus ſit A. C. 967. vicenos iam annos natus, ad ineundum matrimonium ſatis adultus videri poterat. Etſi vero Boleslaum hoc ſenſu Cromerus adultum vocaſſet; huic tamen narrationi tot res manifeſte falſas miſcet, vt merito dubitari poſſit, an vere haec adiuncta matrimonii referat. Ea ſane, quibus matrimonium inter Geiſam ducem et Micislai ſororem deſcribit, aperte cum veritate pugnare, Cl. Praius ſolide probat. (a) Eadem eruditiſſimi ſcriptoris argumenta nos quoque producemus, vbi ſecundum hoc Geiſae matrimonium in examen reuocauerimus.

A.

(a) *Ann. vet. p.* 385.

L. Quis S. Stephanum politioribus studiis excoluit?

CCLXXX. Haec inter D. Stephanus nonum iam aetatis annum agebat ac in spem successionis sub sollicita parentum cura succrescebat. *Strigoniensi vero oppido*, scribit Carthuitius, (a) *natiuitatis exordium habuit; et puer adhuc scientia grammaticae artis ad plene imbutus est.* De loco natiuitatis nullus adhuc, quod sciam, dubium mouit. Hunc locum natalem Ladislaus Chunus sancto regi tribuit in diplomate, cuius supra meminimus, in haec verba: *Quum ipsa sedes Strigoniensis sanctissimi patris et domini nostri, S. Stephani regis, ortu, per protomartyrem praenunciato, decorata* &c. Natalem hunc locum suum S. Stephanus subinde metropolitana sede condecorare voluit. Hic igitur natum filium Geisa scientiis ad regendum necessariis inbuendum curauit; ac inprimis, vt linguae Latinae notitiam sibi compararet, grammaticae praeceptis excolendum illum tradidit. Miratur Stiltingus (b) *tantam linguae Latinae curam eo tempore fuisse principi Hungarorum; nec tamen dubitat, quin Stephanus Latino sermone puer sit imbutus, quum multa filio suo praecepta multaque diplomata Latine dederit.* Nempe Geisa huius idiomatis notitiam eo magis necessariam Hungaris esse censuit,

(a) *Edit. Prai. p.* 123.
(b) *Act. SS, Sept. T. I. p.* 565.

A. C. 988. quo minus vel ipſi vicinarum gentium linguas, vel iſtae Hungaricam callerent. Ne proinde filius fallacem interpretum operam adhibere cogeretur, ſi quando cum legatis exteris agendum foret; Latinum ſermonem, apud omnes gentes eruditas communem, ei quoque familiarem eſſe voluit. Quum nondum vllus ex Hungaris, armatam potius, quam togatam Palladem adhuc ſequutis, idoneus in eam rem magiſter haberi poſſet; aliunde fuit arceſſendus, qui politioribus ſtudiis tenerum principem imbueret. Inter inſtitutores eius fuiſſe videtur ille Deodatus, poſtea ſancti regis pater luſtricus, de quo Turotzius ita loquitur: (a) *Intrauit ergo primo Deodatus, de comitibus ſancti Seuerini de Apulia, qui fundator exſtitit monaſterii de Tata et parator. Iſte etiam cum ſancto Adalberto, Pragenſi epiſcopo, ſanctum regem Stephanum baptizauit. Cuius quidem monaſterii nomen pro eo Tata appellatur, quia quum beatus rex Stephanus ipſius nomen ob reuerentiam non exprimeret, ſed eum Tata appellaret; abolitum eſt nomen Deodati, et Tata exſtitit vocatus. Vnde etiam ipſius monaſterium taliter eſt vocatum. Huius quidem generatio in Pannonia non habetur; quia, quamuis vxorem habuiſſet, tamen ſine heredibus finiuit vitam ſuam.* Dubium quidem eſt, an S. Stephanus ob reuerentiam Deodatum Tatam appellauerit, quod

(a) *Chron.* P. II. C. X.

quod ita communiter apud omnes gentes paruuli suos patres appellare soleant; certum tamen est, ab eodem Deodato Tatam, in Comaromiensi prouincia sitam, non tantum olim possessam, sed etiam coenobio, cuius Turotzius meminit, ornatam fuisse. Hoc enim disserte testatur Bela IV. eo diplomate, quod ex autographo Cl. Praius ita depromsit: (a) *Vniuersorum noticie volumus declarare, quod antecessores nostri pie memorie Geysa dux et sanctus Stephanus, filius eius, primus Hungarie rex, plantatores et amatores primitiui, gracia spiritus sancti, nouele fidei Christiane per partes Hungarie, ob graciam et merita comitis Deodati, qui erat vnus ex principalibus principibus tunc regni Hungarie; qui quidem comes adiutor conuertendi gentes incredulas et rebelles, fidei, veritatis ac legis diuine propugnator, vna cum Geysa supra dicto, et ceteris nobilibus, terrigenis et aduenis, et episcopis exstitit gloriosus; qui etiam sanctum regem Stephanum prenominatum cum sancto Adalberto episcopo de fonte baptismatis subleuauit; magnam partem regni Hungarie eidem comiti Deodato hereditarie tradiderunt et contulerunt; precipue tamen villam, que Tata nominatur, cum omnibus vtilitatibus - eidem prefato comiti perpetue possidendam, vt, cuicumque vellet, alteri vendendam, aut gratis pro DEO libere donandam,*

A. C. 988.

 dam,

(a) *Diss.* de *S. Steph.* *p.* 123.

A. C. 988. *dam, - liberam haberet facultatem; presertim cum idem comes Deodatus absque heredibus permaneret, - cogitans apud se tamquam bonus et fidelis emulator fidei Christiane, habens spem retribucionis in futurum - de consensu et voluntate et permissione sancti regis Stephani, predictam villam Tata cum omnibus iuribus - - pro testamento perpetuo, monasterio BB. Petri et Pauli apostolorum de dicta Tata, quod ipse fundauerat et dotauerat, legauit, donauit et in euum concessit; et in signum huius rei et facti prefatus rex S. Stephanus dictam villam, ob reuerentiam et memoriam dicti comitis Deodati - Tata nominauit, quod pater spiritualis interpretatur vulgariter, volens per hoc intelligi in posterum, quod esset donacio et concessio spiritualis. &c. Datum - - anno domini MCCLXIII.* Ex hoc diplomate patet, Deodatum hunc, quem inter primos aduenas Turotzius nominat, iam sub Geisa, quem male Lisznaius et Peltzius, contra huius aliorumque diplomatum fidem, primum Hungariae regem appellant, in Hungariam venisse, nec leuem operam in educando S. Stephano collocasse, quod et magnam in Hungaria ditionem, in tantorum meritorum remunerationem acceperit, et postea sanctum regem e sacro fonte leuauerit, et ipse S. Stephanus Tatam, quod Deodato, patre lustrico, gloriaretur, appellari voluerit.

A. C. 989.

LI. An illum S. Adalbertus ante primum iter Romanum sacris vndis abluit?

CCLXXXI. Non desunt, qui hoc anno S. Stephanum natum ac baptismo renatum esse censeant; at nos, eum quidem decennio prius natum, ex coniecturis verosimilibus ostendimus; sacris autem vndis a S. Adalberto nondum esse lustratum vel ideo censemus, quod toto sexennio, quo pastoralem Bohemiae curam sanctus praesul gesserat, ita duritie suorum popularium occupatus fuerit, vt non appareat, quomodo, neglectis ouibus suis, ad alienas procurandas conatus suos porrigere potuerit. Et vero, si, postquam episcopus est consecratus A. C. 983. quocumque demum ad hoc vsque tempus anno, Hungariam et Geisam accessit eaque gessit, quae Carthuitius in haec verba commemorat: (a) *Iubente principe, fit vbique congregatio indomitae gentis, et per sanctum episcopum fiunt conciones, et per suas exhortationes continue conuertuntur et baptizantur alumni patriae; statuuntur in multis locis ecclesiae*; si, inquam, tam felices praedicationis suae fructus ante hunc annum in Hungaria retulit; cur eodem hoc anno, deserta tam alba messe, qua horrea domini replere poterat, ad solitudinem Romanam se contulit religiosisque se muris abdidit? An hoc cum ardente, quo flagrabat, studio propagandae

(a) *Edit. Prai. p.* 121.

A. C. 990.

DEI gloriae componi poteſt? Si Bohemorum ea fuit durities, vt omnem ſuam in iis conuertendis operam eludi videret; cur eam ad Hungaros, in quibus conuertendis tam felices progreſſus experiebatur, non tranſtulit? Nullum ſane veſtigium huius in Hungariam excurſionis ac praedicationis, ante Romanum iter ac reditum in Bohemiam, vel in eius biographis, vel in ſcriptoribus Bohemicis inuenitur.

A. C. 990. *Geiſ.* 19. *Indict.* 3.

LII. Quo tempore S. Adalbertus Romae vitam religioſam iniuit?

CCLXXXII. Poſtquam S. Adalbertus, multis Bohemorum inſidiis appetitus, ac Boleslaum Pium, qui cohortes aliquot Chriſtianorum ad coercendam eiusmodi licentiam contraxerat, deprecatus, ne ſanguis ſua cauſſa profunderetur, Romam ſe contuliſſet; ibi coenobium ingreſſus, *quinquennio plenus miles in monaſterio erat*, vt biographus ſecundus ſcribit; (a) qui ſimul itineris Romani tempus ita deſignat: (b) *Ibi tum pulchrum lutum, Graeca imperatrix Auguſta, quae iam longos dies mortuum fleuit, ſepulti coniugis* (Ottonis II.) *memoriam reparat.* Hanc autem Theophaniam imperatricem chron. Hildesh. Romam veniſſe ſcribit A. C. 989. ante hunc igitur annum primum S. Adalberti Romanum iter

(a) *Act. SS. Apr. T. III. p.* 191. C. *IV.*
(b) *Ibid. p.* 190. C. *III.*

iter collocari non poteſt. Certe hoc anno monaſterium illum ingreſſum fuiſſe, chronographus Magdeburgenſis ita teſtatur: (a) *Anno CMXC. ſanctus Adalbertus Romae ad ſanctum Alexium, inſcio abbate, quis eſſet, factus eſt monachus. Nam videns, quod grex, ſibi commiſſus, ſemper in praecipitium iret, nec eum ad rectam viam conuertere quiret; timens, ne et ipſe cum pereunte plebe periret, non auſus eſt cum eis amplius ſtare; nec paſſus eſt ſuam vlterius incaſſum praedicationis operam perdere.* Hanc autem apud Hungaros minime perditurus erat, ſi iam ante Romanum iter ea geſſiſſet in Hungaria, quae ſupra retulimus.

A. C. 991.

A. C. 991. Geis. 20. Indict. 4.

CCLXXXIII. Quum Adalbertus in ocio ſancto vitam ſuam ad omnem virtutem exercet; Piligrinus, magnus itidem Hungarorum apoſtolus, Laureacenſis ac Paſſauienſis antiſtes, de ſtatione vitae deceſſit. (b) Inchofferus viro, de Hungaris optime merito, hoc elogium texuit: (c) *Vixit inſigne ſui ſeculi ornamentum, antiſtitum decus, fortitudinis et conſtantiae, non minus in propaganda fide, quam in tuenda eccleſiae dignitate, exemplar ſingulare, ſummis pontifici-*

LIII. Quamdiu Piligrinus, Hungarorum apoſtolus, vitam produxit?

(a) *Ap. Pagium ad A. C. 983. n. 14.*
(b) *Necrol. Fuld. chr. Sax. ad A. C. 991.*
(c) *Ann. eccl. Hung. T. I. ad A. C. 979.*

A. C. 991. *ficibus et orbis principibus ob religionem, prudentiam et doctrinam integram apprime carus et venerandus.* Sancti quoque titulum eidem Ferrarius et chronista Tegernseensis tribuit; neque caussa defuit. Nam signis et miraculis eius sepulcrum claruisse, Hansizius ex pluribus chronographis asserit. (a) Quod autem Piligrini studium in Hungaris ad Christum conuertendis ac dioecesi sua per Pannoniam constituenda fuerit; earum rerum coniecturam modo nobis esse, non notitiam relictam, idem auctor obseruat. (b) Inter has coniecturas baptismus, per aliquem Piligrini discipulum Geisae collatus, merito reponi potest. Adalbertum enim, Pragensem episcopum, in Hungariam, Geisa iam baptizato, venisse, Carthuitius, vt iam alias vidimus, innuit; et quia hic, eumdem ducem, sacro fonte iam lustratum, *de episcopatibus secundum aestimationem suam ad profectum ecclesiae sanctae statuendis* sollicitum fuisse, scribit; credibile, hoc ei consilium a Piligrino fuisse suggestum; qui, postquam a Benedicto VI. pallium et ius metropolitanum in Pannoniae partem accepisset, *ac potestatem presbyteros et episcopos ordinare atque constituere, et ex praedictis gentibus sua sancta praedicatione parare domino plebem perfectam;* nihil operae praetermiserit, quo Geisam ad

(a) *Germ. Sacr. T. I. p.* 229.
(b) *Ibid. p.* 228.

ad episcopatus constituendos induceret. Sed pios hosce conatus bella, quae iam attigimus, acriorque vidictae stimulus, qui Hungaros, ob Mellicium ac Austriae partem amissam, exacuit, sufflaminarunt. Quare, licet initio laetissima Piligrino messis in Hungaria fuerit oblata, non multis tamen eius apostolici conatus salutem attulerunt. Certum enim est, primam illam Hungarorum conuersionem tam imperfectam fuisse, vt multis post annis tantum vmbra Christianae religionis in Hungaria reperiretur, quod ex vetustissimis scriptoribus postea videbimus. Primi nempe praedicatores euangelii, non multo post Hungaria cedere coacti, coeptis imponere coronidem minime poterant. Hinc ipse Geisa, destitutus institutione plena, putabat officio hominis Christiani non repugnare, si simul idola cum vero DEO coleret. Ita mirum non est, postquam Piligrino ceterisque viris apostolicis ex Germania Hungariam adeundi facultas ademta fuit, S. Stephani baptismum tamdiu dilatum fuisse, donec S. Adalbertus, Bohemorum, cum quibus Hungari pacem colebant, episcopus, aduenisset.

A. C. 992.

A. C. 992. *Gei.* 21. *Indict.* 5.

LIV. Quando Micislaus, primus inter Poloniae duces Christianus, obiit?

CCLXXXIV. Micislaus, primus e Poloniae ducibus Christianus, cuius sororem Adelhaidem Geisa matrimonio secundo sibi copulasse fertur, hoc anno viuere desiit;

A. C. 993. fiit; eique Boleslaus filius, qui Iuditham, Geisae filiam, si Polonis credimus, vxorem habebat, successit. Hoc ideo hoc loco monendum erat, vt eorum error, qui coronam, huic Micislao destinatam, angeli monitu S. Stephano missam, aiunt, facilius subinde conuelli possit. Nec enim Micislaus, hoc anno mortuus, (a) sed Boleslaus, eius filius, Poloniae praefuit, quum S. Stephanus oratorem suum ad Silvestrum II. hic coronam ad Stephanum destinauit.

A. C. 993. *Geis.* 22. *Indict.* 6.

LV. Quomodo Turotzius Conradum, Burgundiae regem, cum Vilhelmo confudit?

CCLXXXV. Non minus ad errorem adultum, e patriis annalibus exterendum, scire iuuat, hoc anno Conradum, Burgundiae regem, ex hac vita migrasse, quod Pagius in sua critica solide probat. (b) Hic Conradus, praeter Rudolfum III. filium et successorem, et Bertam aliasque filias, suscepit Giselam, Henrico II. Bauariae duci, desponsam, quae duos filios, Henricum inter Germaniae reges II. inter Bauariae duces III. ac Brunonem, Augustanum episcopum; totidemque filias, Giselam, S. Stephano nuptam, et Brigittam, Ratisbonensis parthenonis antistitam, peperit. His omnibus S. Wolfgangus, Ratisbonen-

(a) *Chron. Hildesh. ad A. C.* 992.
(b) *Ad A. C.* 993. *n.* 9.

nensis episcopus, futuras olim sortes et dignitates praedicebat. *Quum enim ad eum*, ita biographus eius loquitur, (a) *sicut saepe solebat, caussa benedictionis duceretur speciosissima illius* (Henrici II.) *proles; Heinricum, qui postea DEI nutu rex est effectus, praenominauit regem; fratrem vero eius Brunonem appellauit antistitem, sororem eorum maiorem* (Giselam) *reginam; alteram autem, quam baptizauit et de sacro fonte suscepit, abbatissam nuncupauit.* Giselam igitur, S. Stephano non multo post desponsam, fuisse Henrici II. filiam, S. Henrici sororem, cum ex hoc biographo, tum ex aliis scriptoribus synchronis et supparibus adeo certum est, vt ea de re nullum porro dubium superesse possit. Turotzius tamen, cum plerisque scriptoribus domesticis, Keislam, seu Giselam reginam Vilhelmi, Burgundiae regis, filiam facit; eidemque Vilhelmo S. Sigismundum fratrem tribuit. (b) Atqui S. Sigismundus, Burgundiorum rex, a Clodomiro, Franciae rege, caesus est A. C. 524. neque fratrem Vilhelmum, seu Guilielmum, sed Godemarum, seu Gundomarum, habuit, qui Burgundiae praefuit ad A. C. 534. nec quisquam deinceps seu Sigismundus, seu Vilhelmus inter Burgundiae reges occurrit. Non igitur vlla veri specie dici potest, ali-

A. C. 993.

(a) *Ap. Stilt. T. I. Sept. p.* 501.
(b) *Chron. P. II. C. XXXIV.*

A. C. 993. alicuius Vilhelmi Burgundiorum regis, filiam ex Gertrude, prima coniuge, fuisse Giselam, Hungariae reginam, qui subinde sororem S. Stephani duxerit ex eaque Petrum, Hungariae regem, susceperit. *Mortua autem Gertrud*, ait Turotzius, (a) *Vilhelmus duxit in vxorem sororem sancti regis Stephani, de qua genuit Petrum regem.* Omnis hic error inde potissimum ortus videtur, quod nostri scriptores geminam Giselam, matrem et filiam, inter se confuderint; et, quia Gisela senior, Henrici II. Bauariae ducis, vxor, filia fuit Burgundiae regis; Giselam iuniorem, senioris ex Henrico II. filiam, eamdem esse rati, hanc quoque Burgundiae regis filiam fecerint. Edituri porro nomen eius patris, quem Burgundiae regem esse putarunt, non Conradum, quem hoc anno mortuum diximus, sed Vilhelmum, qui nusquam inter Burgundiae reges apparet, commenti sunt. Huius vero nomen iccirco videntur adoptasse, quod soror S. Stephani Vilhelmo nupserit, qui tamen non Burgundiae rex, sed comes erat.

LVI. Quando Geisa pro filio Stephano fidei sacramentum ab Hungaris exegit?

CCLXXXVI. Quamuis Hungari, quum Almum sibi ducem vltro praefecissent, iurauerint: (b) *Vt, quamdiu vita duraret tam ipsis,*

(a) *Chron. P. II. C. XXXIV.*
(b) *Anon. cap. VI.*

A. C. 993.

ipsis, *quam etiam posteris suis*, *semper ducem haberent de progenie Almi ducis;* toties tamen hoc iusiurandum innouatum est, quoties nouus ex Almi progenie dux genti praeficiebatur. Ita, dum Almus, seu laboribus, seu iam etiam aetate fractus, Arpadum filium sibi sufficere vellet, iurisiurandi fidem a suis in eum exegit: (a) *Inito consilio et accepto iuramento omnium suorum, dux Almus, ipso viuente, filium suum Arpadum ducem et praeceptorem constituit.* Aucta subinde haec Arpadi dignitas et potestas erat, postquam, more Chazarorum, supremus princeps est inauguratus. Arpadus eumdem hunc ritum in inauguratione filii Zoltani seruari voluit, exacto prius suorum iuramento: (b) *Dux Arpad, accepto primatum et militum Hungariae, filium suum Zultam ducem cum magno honore eleuari fecit.* Zoltanus perinde Toxo, filio suo, principatum transscripturus et firmaturus, idem fidei sacramentum ab Hungaris exegit: (c) *Tunc dux Zulta duxit filio Tocsun vxorem de terra Cumanorum, et, ipso viuente, accepit iuramenta suorum nobilium, et filium suum Tocsun fecit ducem ac dominatorem super totum regnum Hungariae.* Toxum idem obseruasse, quum Geisam filium successorem sibi constituisset,

(a) *Id. cap. XIII.*
(b) *Id. cap. LII.*
(c) *Id. cap. LVII.*

A. C. 993. ſet, quamus nullum rei huius auctorem habeamus, dubitare vix poſſumus. Geiſa, ſeruato more maiorum, ad firmandam Stephano filio ſucceſſionem, fidei ſacramentum ab omnibus itidem praeſtari voluit. *Conuocatis*, inquit Carthuitius, (a) *pater ſuus Hungariae primatibus, cum ordine ſequenti, per communis conſilium colloquii, filium ſuum Stephanum, poſt ſe regnaturum, populo praefecit, et ad hoc corroborandum a ſingulis ſacramentum exegit.* Id hoc anno factum eſſe, colligimus tam ex ipſo Carthuitio, quam ex Turotzio. Carthuitius enim id factum refert, poſtquam Stephanus, *transacta pueritia, gradum adoleſcentiae primum aſcendit.* (b) Atqui Stephanus, vt iam oſtendimus, natus A. C. 979. transactis pueritiae 14. annis, hoc anno gradum adoleſcentiae primum aſcendit. Turotzius vero, quum eius mortem conſignat ad A. C. 1038. ait (b) eum, a *praeſenti ſeculo nequam ereptum, ſecundum quosdam quadrageſimo ſexto, ſecundum autem hiſtoriae, in eiusdem laudem ab eccleſia editae, veritatem triceſimo ſeptimo ſui regni anno.* Quadraginta ſex annos, quos a quibusdam principatui Stephani tribui Turotzius teſtatur, non a coronatione, ſed ab eo tempore, quo pater eum in partem curarum adſciuit, numerandos eſſe, nemo dubitat. His au-

(a) *Edit. Prai. p.* 123.
(b) *Chron. P. II. C. XXXIV.*

autem 46. annis, sed incompletis, retro numeratis ab anno mortis 1038. deducimur ad praesentem A. C. 993. quo sanctus rex primum adolescentiae gradum conscendit. En nouum argumentum ex collato Turotzio cum Carthuitio pro nostra sententia, qui natalem sancto regi statuimus A. C. 979. A. C. 994.

A. C. 994. *Geis.* 23. *Indict.* 7.

CCLXXXVII. Geisa, filii successione firmata, mature sollicitus etiam de stirpe sua per eum propaganda, quia iam annos pubertatis attigerat, Giselam, Conradi, Burgundiae regis, neptem; Henrici vero, Bauariae ducis, filiam ac S. Henrici sororem, sponsam eidem destinabat. Sed eam non prius obtineri potuisse, quam Stephanus sacris Christianis initiaretur, exteri scriptores tradunt. Commodum S. Adalbertus, a suis Bohemis, orbitatis suae pertaesis, repetitus, per Hungariam iter agebat suamque ducem adeundi voluntatem per nuncios eidem significabat. Mox vt in memoriam visionis, olim sibi factae, Geisa rediuit; episcopum, sibi dudum promissum, non minore laetitia, quam honore, suscepit. *Dum miratur ergo*, scribit Carthuitius, (a) *de viro, diuinitus praedicto, nunciatur ei, beatum Adalbertum, Bohemiensis ecclesiae pontificem, ad se venturum esse*, LVII. Quando S. Adalbertus primum in Hungariam venit?

(a) *Edit. Prai. p.* 121.

A. C. 994. *se, propter conuersionem ipsius et fidei non fictae profectum, domino DEO laudis hostiam oblaturum. Oritur laetitia nouis Christi militibus inenarrabilis: dux obuiam tyroni Christi cum fidelibus quibusque procedit; honorabiliter eum suscipit; et, vt per visum monitus est, modis omnibus obedientiae filium se fore monstrauit. Igitur, iubente principe, fit vbique congregatio indomitae gentis, et per sanctum episcopum fiunt conciones, et per suas exhortationes continue conuertuntur, et baptizantur alumni patriae; statuuntur in multis locis ecclesiae; lux quippe, quae illuminat omnem hominem, tenebris expulsis, in Hungaria coepit emitere.* Non haec omnia statim eodem anno peracta fuisse, putandum est; quis enim sibi persuadeat, sanctum episcopum, qui, magno sui desiderio Bohemos teneri, non ignorabat, tantam in Hungaria moram nexuisse, vt, priusquam, quo remittebatur, perueniret, simul gentem indomitam ad Christi fidem suscipiendam inflecteret, simul rebus ad salutem necessariis erudiret, simul sacro fonte respergeret. Fundamenta dumtaxat tantarum rerum, quae consequentibus annis acta sunt, vir apostolicus posuit, praecipuam rem peragendo, dum sanctum Stephanum *chrismali baptismate, secundum credulitatis suae veritatem, intinxit.* Eum enim ita iam institutum, vt Christianae fidei veritatem et dogmata rite teneret, e sollicita parentum cura par est credere; nec Deodatum comitem, a quo de sacro fonte le-

ua-

natum ex Turotzio Belaque quarto supra vidimus, officio suo defuisse, fideique nostrae mysteriis eum imbuere neglexisse, censendum. Vt adeo non tantum morae, non tantum operae sanctus Adalbertus in eo docendo consumere debuerit, quin iter coeptum paullo post prosequi potuerit. Hoc eius in reditu peculiare facinus ita Dubrauius attingit: (a) *Cessit tamen autoritati pontificis Romani Adalbertus, discedensque Roma cum Gaudentio, quem loco fratris habuit, Anconam diuertit; ibique conscensa naui, Segniam, in litore Dalmatico positam, appellit; atque inde se in Pannoniam insinuat, a praefectis adhuc, quos capitaneos vocabant, gubernatam; quorum praecipuus nomine Stephanus erat. Hunc vbi in humanitatem propensum, atque erga Christianos satis hospitalem, et praeterea linguae Sclauonicae haud ignarum accepit Adalbertus; deflexit in aulam eius, habitaque vna et altera de fide et baptismo concione, adeo attentum facilemque ad suscipiendum Christianismum expertus est, vt breui temporis interuallo tingi cum plerisque aulicis suis optauerit.* Quamuis autem Olomucensis hic episcopus, qui suum opus ex antiquis fontibus concinnauit sub A. C. 1550. hospitalitatem illam et supremi capitanei dignitatem, quo nomine Turotzius etiam Arpadum ipsum aliosque

(a) *Hist. Boh. libr. VI. p. m. 46.*

A. C. 994. primos duces compellat, (a) Stephano, quam Carthuitius Geisae, tribuat; in eo tamen vterque conuenit, quod a S. Adalberto baptismum Stephano collatum esse testentur. Et Carthuitius quidem obscurius; Dubrauius autem apertius innuit, S. Stephanum non infantem, sed iam adultiorem, ab Adalberto baptizatum esse. Hungaro Bohemoque scriptori Polonum Dlugossum iuuat adiungere, qui, quia S. Adalbertum, in visione *dudum* praemonstratum, ad Geisam venisse perhibet, satis indicat, eum non statim post visionem ac Stephani natiuitatem huic seu baptismi, seu confirmationis characterem impendisse. *Cum Gaudentio*, scribit ille de S. Adalberto, (b) *ceterisque religiosis viris Hungariam ingressus, ad ducem Geisam peruenit, in fide catholica et ceremoniis eius, quam ipse ante annos aliquot suscepisse eum audierat, suis monitis et praedicationibus instructurus. Quum autem duci Geisae et consorti eius Adleidae* (Saroltae) *aduentus fuisset denunciatus, summa mox laetitia concepta, ad laudes diuinas organa laxarunt; hunc enim virum ad se venisse, qui sibi in visione dudum fuerat praemonstratus, intelligebant. Cum magna itaque veneratione et deuotione susceptus, filio ducis Geisae confirmationis characterem impendit.* Hic auctor in vno supplendus, in al-

(a) *Chron. P. II. Capp. III. - X.*
(b) *Libr. II. col. 116.*

altero corrigendus, cetera cum Carthuitio consentit. Et primum quidem supplendus est ex Cromero, qui, Stephanum ab Adalberto baptizatum fuisse, docet; (a) quod quidem neque Dlugossus negat, quum ab eo confirmatum Geisae filium affirmat; quum nusquam, ab alio baptizatum fuisse Stephanum, memoret; et credibile sit, Stephano iam adultiori simul vtrumque Sacramentum administratum esse. Deinde corrigendus idem auctor est ex domesticis scriptoribus, e quibus certo constat, S. Stephani matrem non Adelhaidem Polonam, sed Saroltam Transsiluanam fuisse. Sicut igitur certum est, visionem matri S. Stephani factam esse, quae non Adelhais, sed Sarolta fuerit; ita si Geisa dux et consors eius *hunc virum ad se venisse, qui sibi in visione dudum fuerat praemonstratus, intelligebant*, non Adelhais, sed Sarolta tunc Geisae consors esse debuit, quum S. Adalbertum, *in visione sibi dudum praemonstratum*, exceperunt. Horum igitur et aliorum Bohemiae Poloniaeque scriptorum, quibus Aeneas Siluius adstipulatur, (b) testimonio, S. Adalbertus tunc primum in Hungariam venit ac Stephano baptismi confirmationisque characterem impendit, quum solitudinem Romanam deserere coactus, Bohemiam repetiit. Laudati quidem scri-

A. C. 994.

 ptores

(a) *Libr. III. C. II.*
(b) *Hist. Boiem. C. XVI.*

A. C. 994. ptores duplicem eius in patriam ex vrbe reditum confundunt, quem vterque biographus Adalbertinus accurate distinguunt; primum tamen, qui hoc anno contigit, hic intelligendum esse, colligitur tum ex biographo primo, qui reditum secundum per Galliam et Moguntiam describit, (a) tum ex altero, qui, postquam illum Roma Pragam primo reuersum narrasset, haec subiicit: (b) *Non tacendum, quod iuxta positis Vngaris nunc nuncios suos misit, nunc seipsum obtulit, quibus etiam, ab errore suo parum mutatis, umbram Christianitatis impressit.* Error iste, quem biographus attingit, a Dithmaro, postquam de Geisa loqui coepisset, hunc in modum refertur: (c) *Hic DEO vero variisque deorum vanitatibus inseruiens*, (*cum ab antistite suo* (cui per visionem morem gerere iussus est) *ob hoc argueretur*, *inquit*, *diuitie mihi habundant*, *et ad haec agenda libera facultas et ampla potestas est.* Hinc apparet, quam imperfecta fuerit Geisae conuersio, qui posse coniungi veri numinis et falsorum deorum cultum existimauerit. Ab huiusmodi Christiano tamdiu dilatum fuisse filii baptismum, mirum profecto non est; donec Adalbertus, in visione dudum ostensus, aduenisset, eumque dogmatibus fidei

(a) *Act. SS. Apr. T. III. p.* 185. *C. V.*
(b) *Ibid. T. III. p.* 192. *C. IV.*
(c) *Annal. Libr. VIII.*

fidei iam imbuto paucisque melius instructo contulisset. S. Adalbertus, ad suos Bohemos a pontifice remissus, quia longiores in Hungaria moras trahere non potuit; iis, quos sacris Christianis initiauerat, vmbram tantum Christianitatis impressit; neque tamen destitit, vt biographus testatur, eosdem iam per se, iam per suos nuncios plenius instituere. His igitur, quae hactenus in medium prolata sunt, duo mihi confici videntur; S. Stephanum et ab Adalberto fuisse baptizatum, et serius, quam quidam velint, baptizatum. Vtrumque vetustioribus etiam testimoniis, quam quae hactenus produximus, firmandum hoc loco sumimus. A. C. 994.

CCLXXXVIII. Vt Stiltingus S. Adalberto Stephani baptizati gloriam vindicet, vtitur testimoniis, annalistae Saxonis: (a) *Stephanus, religiosus Vngarorum rex, obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi conuersus fuerat: hunc S. Adalbertus episcopus et martyr baptizauit*; chronici Verdensis: (b) *His temporibus S. Adalbertus, Pragensis episcopus, Stephanum, regem Vngarorum, cum multis baptizauit*; Ricobaldi Ferrariensis; (c) *Idem rex Stephanus virtutibus fuit insignis, qui baptizatus fuit a beato Adelberto*

LVIII. An ipse S. Adalbertus S. Stephano baptismum contulit?

(a) *Ad A. C.* 1038.
(b) *Ap. Leibn. T. II. col* 215.
(c) *Murat. T. IX. col.* 241.

A. C. 994. *elberto.* His addi possent plerique scriptores Hungari, Bohemi, Poloni, *quorum*, vt Schwartzius recte hic obseruat, (a) *constans ab omni aeuo testimonium vno halitu difflare, iniquissimum foret.* Difflare tamen conatus est Andreas Schottus, qui S. Adalberto non tantum S. Stephani baptismum, sed etiam praedicationem apud Hungaros abiudicat. Quum illum Adalbertini locum, quo sanctus praesul *iuxta positis Hungaris vmbram Christianitatis impressisse* dicitur, officere suae sententiae Schottus animaduerteret; *has lineolas ex mala fide posterorum irrepsisse confidit.* At hanc eius confidentiam nimiam ac temerariam esse, Stiltingus ostendit; *quum sic etiam irrepere debuerit in annalistam Saxonem, in Carthuitium, aliosque deinde sequutos.* Et iam prius docuit, non tantum in Surio, qui nonnullis in rebus emendationem adhibuit, sed etiam in MS. Pragensi lineolas illas reperiri. (b) Confidentiae suae rationem Schottus hanc subiungit, quod *totum Adalbertum durities Bohemorum occupauerit, vt falcem in alienas messes immittere ipsi non liceret.* Sed respondet Stiltingus: *Si durities Bohemorum non impediuit itinera Romana; si non impediuit iter Polonicum et Prussicum; cur impedire debuit Hungaricum?* Cetera, quae Schottus obiicit, partim nihil difficul-

(a) *Init. rel. p.* 6. 7.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 486.

cultatis habent, quod in eum modum proponantur, ac si tota Hungaria per Adalbertum conuersa diceretur; partim S. Stephanum occasione matrimonii, cum Gisela contracti, conuersum et baptizatum affirmare videntur; quod etsi Schwartzius, Stiltingus, Praius, aliique passim negent; nos tamen ostendemus, non officere, quominus Adalbertus Stephanum baptizasse dicatur. Quod priusquam aggrediamur; quidam praeterea sunt refellendi, qui Stephani baptizati gloriam aliis tribuunt. Ex his praecipuus est Ademarus Chabanensis, monachus Engolismensis, qui tam Geisam, quam Stephanum, a Brunone quodam, Russorum apostolo, baptizatum his verbis tradit: (a) *Erant Ottoni III. duo reuerentissimi episcopi, sanctus videlicet Adelbertus, et sanctus Brunus episcopus de ciuitate Osburg* (Augusta) *quae est in prouincia Boioariae, consanguineus eiusdem imperatoris. Adelbertus, paruus statura; sanctus Brunus, procero corpore, erant. Ille abiit in Pollianam prouinciam; et praedicare coepit euangelium. Quod exemplum eius sequutus Brunus episcopus petiit imperatorem, vt pro eo iuberet consecrari in sede sua episcopum, quem elegerat, nomine Odoricum; quo facto, et ipse humiliter abiit in prouinciam Vngriam, quae dicitur alba Vngria ad differentiam alterius Vngriae nigrae, pro eo, quod populus est* A. C. 994.

 co-

(a) *Ap. Lab. Bibl. MSS. T. II. p.* 168.

A. C. 994. *colore fuscus, uelut Aethiopes. Sanctus autem Bruuus conuertit ad fidem Vngriam prouinciam, et aliam, quae uocatur Russia. Regem Vngriae baptizauit, qui vocabatur Geitz, et mutato nomine, in baptismo Stephanum vocauit, quem Otto imperator in natali protomartyris Stephani a baptismate excepit, et regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam vbique, sicut ipsi imperatori mos est, et reliquias ex clauis domini et lancea S. Mauricii, ei concessit in propria lancea. Rex quoque supra dictus filium suum baptizare iussit; et S. Bruno imposuit ipsi nomen, sicut sibi, Stephanum. Postea vero ipsi filio eius, Stephano, Otto imperator sororem Henrici imperatoris in coniugio dedit.* Quia hic scriptor S. Stephano synchronus erat, aliquid ei tribuendum ratus, sollicite discussi, num ei maior fides, quam Carthuitio ceterisque hunc sequutis, qui, Stephanum ab Adalberto baptizatum, prodidere, haberi possit; sed omnibus ad crisim exactis, in Ianningi sententiam concessi, qui censet, (a) hunc auctorem de rebus Gallicis, sibi domesticis, certiora habere, verum in plurimis, extra Galliam gestis, fidem obtinere non posse; certe circa S. Brunonem, Prussorum ac Russorum apostolum, *longius* inquit, *aberrat a veritate, quam dissitus fuit a Prussia Russiaque hic scriptor, in Aquita-*

(a) *Act. SS. Iun. T. VI. p. 221.*

tania monachus. Hinc etiam Stiltingus cum eodem Ianningo censet, (a) *totum hunc Ademari locum fabulis et erroribus scatere.* Alibi vero scribit, (b) *Ademarum Chabanensem tot errores accumulare, vt vix vllam mereatur fidem in hisce rebus Hungaricis.* Denique, (c) *perperam eum Brunoni attribuere, quae in conuersione Hungarorum attribuenda erant Adalberto.* Cl. Praius primum quidem errorem illi geographicum exponit, (d) quum Vngriam nigram appellat, quod ea diuisio non Hungariae, sed Russiae partique Poloniae conueniat. Deinde nulli Brunoni haec congruere probat, quae scriptor iste loco laudato recenset. Nec est hic longius discedendum ad eum Brunonem, qui, legatus ab Ottone I. missus ad Geisam, non multo post obiit A. C. 975. (e) quo necdum S. Adalbertus episcopus consecratus, necdum S. Stephanus natus erat. Bruno, cui baptizati Stephani laudem Ademarus tribuit, eo tempore, quo S. Adalbertus in Poloniam abiit, secundum illum Augustanus iam episcopus, et quidem imperatoris consanguineus, esse debuit. Erat quidem Bruno, S. Henrici frater, adeoque simul Ottonis III. consanguineus, Augu-

A. C. 994.

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 475.
(b) *Ibid. p.* 485.
(c) *Ibid. p.* 491.
(d) *Ann. vet. p.* 378.
(e) *Ditm. l. III. Ann. Sax. ad A.* 975.

A. C. 994. gustanus episcopus, sed non ante A. C. 1007. (a) quo tempore S. Stephanus dudum iam baptizatus, et S. Adalbertus, decennio prius martyrio coronatus erat. Huic igitur Brunoni, quem nullus alioqui Russorum apostolum facit, Ademari dicta non conueniunt. Erat alter Bruno consanguineus et amitinus Ottonis III. sed hic nusquam Augustanus episcopus fuisse legitur, et in sedem pontificiam euectus sub Gregorii V. nomine A. C. 996. quo nondum Adalbertus in Poloniam abiit, numquam Russorum apostolus ab vllo dicitur. Erat tertius Bruno, verus Russorum apostolus et martyr, sed nec Augustanus episcopus, nec Ottonis III. consanguineus; qui, teste Ditmaro synchrono, familiari suo, (b) *regnante, DEI gratia, secundo Henrico, post mortem gloriosissimi imperatoris, Merseburg veniens, benedictionem episcopalem cum licentia domini papae ab eo petiit; et eius iussione ab archiepiscopo Thaginone consecrationem, et, quod ipse huc detulit, pallium ibidem suscepit.* Hic igitur Bruno, post Ottonis III. mortem episcopus creatus, neque Geisam, Ottoni sexennio praemortuum, neque Stephanum, prius, quam ille consecraretur, et Christianum, et ab ipso Siluestro Stephanum iam appellatum, baptizare potuit. Quare hic quidem auctor plures Brunones in

vnum

(a) *Chr. August. ad A.* C. 1007.
(b) *Ann. Libr. V.*

vnum confudiffe videtur; Brunonem, episcopum Verdenfem, qui legatus, ad Hungaros miffus; Brunonem, epifcopum Augustanum, qui S. Henrici frater, Ottonis confanguineus; Brunonem, epifcopum et apoftolum Rufforum, qui poft Ottonis III. mortem confecratus erat. Accedit, quod Ademarus hic Odolricum, feu S. Vdalricum, Brunonis fui fucceflorem, ad aetatem Ottonis III. referat, qui tamen, vt Hanfizius obferuat, (a) *annis non minus fexaginta ante Ottonem tertium fedem Auguftanam confcendit.* Quare bene laudatus Hanfizius ad hunc Ademari locum ifta fubiicit: *Tota quidem narratio Rufforum illum apoftolum fpectat; at praedicationis illius, apud Hungaros exercitae, praefertim adeo gloriofae, qua et rex, et filius regis ad baptifmum adductus fit, fane deberet eius aliquod indicium apud Ditmarum, Brunoni et fanguine, et familiaritate coniunctum, exftare; cui tantam ofcitantiam, Brunonis vitam fcribenti, vt rem tantam negligeret, quis aufit impingere?* Schottus quidem, quum Adalberti praedicationem in Hungaria negat, adhibet etiam argumentum huiusmodi, quod a filentio biographi petitur; at non eft par ratio, tum quia Ditmaro notior et vicinior Bruno, quam Adalbertus Italo biographo, fuit; tum quia praedicationis Adalberti M. apud Hungaros alter eius biogra-

A. C. 994.

(a) *Germ. Sacr. T. I. p. 209.*

A. C. 994. graphus, perinde synchronus, meminit. At certe, reponens, nec ista biographus baptizati per Adalbertum Stephani meminit. Sed enim, postquam alii, quos supra laudauimus, eiusdem rei meminerunt, e silentio horum biographorum idoneum argumentum peti non posse, iam dudum Balbinus obseruauit. Nam illi quidem, ait, (a) *nihil de S. Adalberti sociis sanctis, qui eum Roma sequuti sunt, - - nihil de fundatione coenobii Breunouiensis ord. S. Benedicti, cui patrimonium suum sanctus praesul donauit, vt constat ex ipsis fundationis litteris, quae in manibus sunt; nihil de aliis eius in Polonia gestis, narrant; vt argumentum non satis firmum videatur, derogare fidem ex eo, quod veteres isti duo scriptores siluerint.* Quum igitur nullum adhuc solidum argumentum ab vllo productum sit, quo S. Stephani baptismus vel Brunoni tribui, vel Adalberto non tribui posse doceatur; standum est vetustis traditionibus non tantum Hungarorum, Bohemorum, Polonorum, sed etiam Italorum, apud quos Rauennae templum S. Adalberti, sancti huius martyris, Stephanum baptizantis, effigiem exhibet cum hac inscriptione: *Lustrat Adalbertus Stephanum baptismatis vndis, sic melior capiti facta corona fuit.* Omnium autem, qui hanc traditionem, tot monumentis et testimoniis firmatam, conuellere volunt, minime Bruschius est audiendus, qui

(a) *Ad Vit. S. Adalb. T. III. Apr. p. 201.*

A. C. 994.

qui, quemadmodum Velserus in notis ad vitam S. Vdalrici scribit, (a) *in monasterio S. Stephani Stephanum, Hungarorum regem, a S. Vdalrico baptizatum*, affirmat. *Plane inepte*, subiungit Pinius, (b) *id dicit Bruschius; Stephanus quippe, rex Hungariae, nonnisi post mortem S. Vdalrici, fidem catholicam amplexus est.* Certe S. Vdalricus rebus humanis exemtus est A. C. 973. quo S. Stephanus nondum natus, nedum baptizatus est. Nec enim statim a natiuitate sacro fonte lustratum esse, pluribus iam argumentis stabiliemus.

LIX. An S. Stephanus iam adultior baptismum suscepit?

CCLXXXIX. Quotquot auctores, S. Stephanum vel conuersum scribunt, vel occasione matrimonii, cum Gisela Bauara contracti, baptizatum tradunt; ii quidem omnes, eumdem initio statim Christianum non fuisse, non obscure testantur. Iam vero plerique veteres S. Stephani baptismum his phrasibus exprimunt, his nuptiarum adiunctis circumscribunt. Omnium antiquissimus Hermanus Contractus, Volferadi comitis in Sueuia filius, viuente S. Stephano natus A. C. 1013. ac subinde monachus Augiae maioris factus, in chronicis a se perductis ad A. C. 1054. bis de S. Stephani conuersione, quae non infanti, sed iam adultiori, conuenit, loquitur; et primum quidem occasione mortis Henrici II.

(a) *Act. SS. Iulii. T. II. p.* 81.
(b) *Ibid. p.* 82.

A. C. 994. II. Bauariae ducis, ac successionis Henrici III. *Huius*, inquit, (a) *soror Gisela Stephano, regi Vngariorum, quum se ad fidem Christi conuerteret, quasi vere iuxta nomen suum fidei obses* (Geissel) *in coniugium data, eleemosynis ceterisque bonis operibus inibi intenta, consensuit.* Ad hunc locum Stiltingus, nobis hic aduersarius, notat; (b) *Haec non leguntur in editione Pistorii, aut Vrstitii, ita vt incertum sit, Hermannine sint, an alterius, qui ea adiecit Hermanni chronico.* Triplex nempe chronici huius editio habetur. Primam, post Sichardum, Pistorius iuxta chronicon breuius, ex monasterio S. Galli transscriptum, adornauit; (c) alteram Vrstisius secundum illud, et aliud exemplar bibliothecae S. Georgii Herciniae siluae, priore locupletius, accurauit; (d) tertiam Henricus Canisius ex Augustano codice coenobii SS. Afrae et Vdalrici, ceteris auctiorem, euulgauit. (e) Hanc editionem Canisianam interpolationis suspicione Stiltingus aspergit ac alibi Pistorianae maiorem fidem habendam statuit. (f) Si tamen idem Hermannus etiam Canisiani codicis est auctor; dubitari non potest, hunc ceteris esse praeferen-

(a) *Ad A. C.* 995.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 490.
(c) *Vet. script. Germ. T. I. A. C.* 1583.
(d) *Rer. Germ. T. I. A. C.* 1584.
(e) *Lect. ant. T. I. A. C.* 1601.
(f) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 540.

ferendum; *quis enim prudens mutat sententiam*, inquit Ianningus, (a) *nisi meliora doctus?* Nempe Hermannus saepius lambendo foetum, eumdem magis magisque perpoliuit, et ab iis, in quorum manus primus et secundus eius labor peruenerat, certiora postmodum edoctus, vnius veritatis studio quaepiam addidit, alia reiecit, nonnullis meliora substituit, vt Schiizius obseruat. (b) Harum autem additionum et correctionum auctorem esse Hermannum ipsum, solide Pagius in haec verba probat: (c) *Quum in illis editionibus* (auctioribus) *Hermannus, seipsum in prima persona nominans, modo diem et annum suae natiuitatis, modo diem et annum, quo ad studia missus fuit, modo parentum suorum nomina, et quae eis contigere, memoret; non video dubitandi locum, quin ipsemet primum suum partum* (et secundum) *vti imperfectiorem, postea auxerit, vel correxerit; quum illud olim hodieque aliis scriptoribus in more positum fuerit.* Ea vero, quae de se suaque familia Hermannus exacte notat ad annos 1009. 1010. 1013. 1020. 1021. 1032. non alibi, quam in Canisiano codice, leguntur. Quum igitur haec adeo minutim quoad dies et annos nullus Hermanno melius scire, nullus in prima persona potuerit addere; cetera

A. C. 994.

(a) *Act. SS. Iun. T. VI. p.* 89.
(b) *Comm. Crit. p.* 143.
(c) *Ad A. C.* 1054. *n.* 10.

A. C. 994. quoque, quae Canisianus codex habet, ab eodem addita, nec ea, quae hoc loco Stiltingus in suspicionem vocat, ab altero quoquam adiecta Hermanni chronico, putandum est. Alter Hermanni locus in editione Canisiana sic rursus habetur: (a) *Ipso anno Stephanus, Vngariorum rex, quum ante plurimos annos se cum tota gente sua ad Christi fidem conuertisset, ecclesiasque plurimas et episcopatus construxisset, obiit.* Nihil iam hic moror coniecturam Stiltingi, qui rursus ex hoc loco suspicatur, (b) *priorem locum verisimiliter non esse Hermanni, sed interpolatoris cuiusdam; quum verisimile non sit, ipsum in breui chronico bis idem commemorare voluisse.* Satis est mihi, quod agnoscat, alias etiam editiones, Pistorianam et Vrstisianam, hoc loco Stephani *conuersionem* memorare cum obitu, licet paullo breuius; *adeoque supponi, non fuisse Christianum ab initio.* Testem igitur, ipso fatente, habemus etiam Hermannum in iis editionibus, in quibus nullam interpolationem interuenisse suspicatur, Stephanum fuisse *conuersum*, adeoque non infantem, sed iam adultiorem, Christianis sacris initiatum. Firmat hanc eamdem sententiam Marianus Scotus, itidem S. Stephano viuente natus, A. C. 1028. mortuus A. C. 1088. qui perinde de S. Stephani *conuersione* loquitur in

(a) *Ad A. C.* 1038.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 490.

in haec verba: (a) *Stephanus, rex Vngarorum Christianus, obiit, qui cum gente sua ad fidem conuertitur.* Agnoscit Stiltingus, auctorem vtrumque repugnare sententiae suae; sed respondet, (b) *horum auctoritatem tantam in hisce non esse, vt aequari possit rationibus, pro baptismo infantis Stephani militantibus.* At quae tandem istae rationes tanti ponderis esse possunt? an non in rebus historicis plus auctoritatibus, quam rationibus deferendum? quomodo rationes ipsae, nisi testimoniis auctorum, fide dignorum, fulciantur, subsistere poterunt? Quod theologis est scriptura sacra, hoc historicis sunt antiquiorum testimonia. Numquam illi deferendum obuium sacrarum litterarum sensum existimant, donec ad speciem contrarii textus aliam interpretationem deposcant. Absit quidem, vt illic aliquid inueniri posse putem, quod certissimum non sit! Historici tamen eamdem sibi legem etiam praestituerunt, vt vetustis, et maxime synchronis scriptoribus, quales Hermannus Contractus et Marianus Scotus erant, tamdiu fidem habeant, donec eorum auctoritas non tam rationibus, quam aliis testibus, elidatur. Satis enim constat, ipsas rationes, quibus historici niti debent, non aliunde, quam ex auctorum aliorum testimoniis, assertae sententiae

A. C. 994.

Ss 2 con-

(a) *Ad A. C.* 1038.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 490.

A. C. 994. contrariis, peti posse. Quare quamdiu Stiltingi sectatores alios, fide dignos, non produxerint, quorum testimoniis horum synchronorum auctoritas euertatur; tamdiu cum iisdem, et aliis, idem affirmantibus, Stephanum fuisse *conuersum*, neque statim ab initio Christianum, sed adultiorem sacris vndis ablutum, affirmabo. Producit vero Stiltingus Carthuitium, ac solam eius auctoritatem his, aliisque, deinde sequutis, praeponderare debere pronunciat; *quum ille monumenta Hungarica habuerit, dum sancti vitam scribebat; alii vero de rebus Hungaricis parum fuerint instructi, ob exiguum commercium, quod aliis nationibus intercedebat cum Hungaris ante principatum Stephani.* Fuerit exiguum hoc commercium aliarum nationum cum Hungaris ante Stephani nuptias; at hae certe non poterant ita clam peragi, quin, qualis eo tempore Stephanus fuerit, exteris innotescere potuerit. Atqui hi, Stephanum partim *conuersum*, partim etiam occasione matrimonii, cum Gisela contracti, *conuersum* fuisse, testantur. Ita Sigebertus Gemblacensis, eodem quidem, quo S. Stephanus vixit, seculo XI. natus, sed sequenti mortuus A. C. 1113. illis nuptiis tam Stephani, quam Hungarorum conuersionem his verbis attribuit: (a) *Gens Hungarorum, hactenus idololatriae dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuerti-*

tur

(a) *Ad A.* C. 1010.

tur per Gislam, sororem imperatoris, quae, nupta Hungarorum regi, ad hoc sua instantia regem adduxit, vt se et totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in baptismo Stephanus est vocatus. Do facile Stiltingo, nuptias hic a suo tempore longius auulsas esse; has tamen occasionem S. Stephani conuersioni dedisse, testatur etiam alter seculi XII. scriptor, Otto, S. Leopoldi, marchionis Austriae, filius, in lucem editus A. C. 1109. Frisingensis episcopus creatus seculari S. Stephani mortis anno 1138. ad superos translatus A. C. 1158. Hic igitur, in tanta luce versatus, cuius auctoritatem non perinde Schwartzius, ac aliorum *chronographorum, in ergastulis suis bene latentium,* (a) eludere possit, de S. Henrico sic habet: (b) *Sororeque sua Gisela Stephano, Vngarorum regi, in uxorem data, tam ipsum, quam totum eius regnum, ad fidem vocauit.* Duobus his seculi XII. scriptoribus totidem auctores seculi XIII. iuuat addere; Conradum Vrspergensem, qui haec de Henrici Brunonisque sorore scribit: (c) *Horum sororem, bonae memoriae feminam, Giselam, rex Vngariorum, qui Stephanus dicebatur, in coniugium expetiuit; sed eam ducere non promeruit, donec se Christianae religionis rudimenta et sacri baptisma-*

A. C. 994.

(a) *Init. rel. p.* 5.
(b) *Chr. Libr. VI. C. XXVII.*
(c) *Ap. Stilting. n.* 136.

A. C. 994. *ſmatis ſacramenta, cum omni gente ſua, ſuſceptarum promiſit;* alterum Albericum monachum, qui, Sigeberti ſententiam amplexus, eiusque verbis in rem ſuam vſus, deinde Hungarorum ſententiam ita ſubiicit: (a) *Tamen dicunt Hungari, quod S. Adalbertus, Pragenſis epiſcopus, regem Stephanum ad fidem conuertit et baptizauit; et ipſe rex ſua praedicatione Hungaros conuertit.* Stiltingus, qui, praeter adductos ſcriptores, alios facile decem aut duodecim ſeculi XIII. aut paullo poſteriores a ſe lectos eiusdem ſententiae teſtatur, ex Alberici dictis obſeruat, (b) *ab Hungaris ſententiam Germanorum de conuerſione Stephani, occaſione nuptiarum, numquam admiſſam fuiſſe.* Sed enim, licet Hungari nihil de nuptiarum occaſione habeant, ſi tamen verum eſt, *quod S. Adalbertus, Pragenſis epiſcopus, regem Stephanum ad fidem conuertit,* vt Albericus eorum ſententiam refert; etiam ex Hungarorum ſententia S. Stephanus iam adultior, quum *conuerſionis* capax erat, baptiſmum ſuſcepit. Contrariam quidem ſententiam Carthuitium afferere Stiltingus inſinuat; at iam ſupra docuimus, adeo non fuere Stiltingo Carthuitium, vt ex eo potius inferamus, S. Stephanum non infantem, ſed iam adultiorem, ab Adalberto baptizatum eſſe; quum ſcilicet iam crede-

re,

(a) *Ad A. C.* 1010.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 491.

re, quum fidei veritatem assequi potuit. A. C. 994.
Hunc, inquit, (a) *DEO dilectus Adalbertus episcopus chrismali baptismate, secundum credulitatis suae veritatem, intinxit.* Vnde non satis assequor, cur suam Hungarorum sententiam vocet, quando nullus e veteribus scriptoribus Hungaris, quos quidem mihi legere licuerit, affirmat, Stephanum in infantia baptizatum esse. Nec id satis intelligo, cur, postquam annalista Saxo, scriptor itidem seculi XII. natus eodem, quo S. Stephanus vixit, seculo XI. Bauarorum sententiam commemorasset ad A. C. 1002. quod Stephanum ab Adalberto baptizatum referat ad A. C. 1038. id prioribus contrarium Stiltingo videatur. Verba scriptoris vetustissimi iam supra dedimus; sed quod iis haec quoque pars sententiae nostrae confirmetur, eadem hic etiam repetere libet. *Stephanus*, inquit, (b) *religiosus Vngariorum rex, obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi conuersus fuerat. Hunc S. Adalbertus episcopus et martyr baptizauit.* Cur enim propterea, quod Adalbertus Stephanum baptizauerit; Stephanus idem occasione matrimonii conuersus dici non potest? scio quidem id in aduersariorum sententia, qui S. Stephani natiuitatem collocant ad A. C. 983. dici verosimiliter non posse, quod Stephanus nuptiis maturus

(a) *Edit. Prai. p.* 122.
(b) *Ad A. C.* 1038.

A. C. 994. ante mortem Adalberti non fuerit. At haec difficultas in nostra sententia, qui S. Stephani natalem ex coniecturis verisimilioribus defiximus ad A. C. 979. euanescit; et vel ideo nouum ei pondus accedit. Nec enim occurrit alia ratio facilior conciliandi tot auctores, qui partim ab Adalberto baptizatum, partim occasione matrimonii conuersum S. Stephanum tanto consensu tradunt, quam si dicamus, Geisam, postquam Stephanus annos pubertatis attigit, et in nostra sententia hoc anno iam attigit; de digna filio sponsa sollicitum, Giselam ei destinasse; sed eam non prius, quam Stephanus sacro latice tingeretur, impetrare potuisse. Nam tot tamque graues seculi XI. XII. XIII. scriptores, qui S. Stephanum *conuersum* et occasione matrimonii baptizatum fuisse testantur, vno hoc verbo refellere: *de rebus Hungaricis parum erant instructi*, mihi quidem semper violentum videbatur. Norunt omnes quantam circumspectionem Romana sedes adhibere soleat, quum aliquem in numerum sanctorum referre vult, eiusque merita, post diligens examen, per bullam canonizationis declarat. Quare, licet paterer, de scriptoribus, quos adhuc pro mea sententia laudaueram, dici, parum eos de rebus Hungaricis instructos ea scripsisse; qui tamen pati possim, id etiam affirmari de testimonio summi pontificis Eugenii III. qui diserte, ceteras inter caussas canonizationis S. Henrici, *conuersionem regis Stephani* numerat? Eumne minus etiam

iam instructum de S. Henrici meritis, inter quae conuersionem regis Stephani recenset, audebimus dicere, postquam ipse, quantam in examinanda S. Henrici vita diligentiam adhibuerit, in bulla canonizationis commemorat? Audiamus ipsum hoc diploma pontificium, quod ex Gretsero Sollerius ita recitat: (a) *Sicut per litteras et nuncios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles fratres nostros, N. S. Rufinae episcopum, et N. presbyterum cardinalem, pro diuersis negociis ad partes illas de nostro latere delegauimus, eisque viua voce iniunximus, vt ad ecclesiam vestram accederent, atque de vita et miraculis Henrici regis rei veritatem diligenter inquirerent et litteris suis nobis significarent. Nunc autem eorumdem fratrum nostrorum et multorum religiosorum et discretorum virorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis ecclesiae et multarum aliarum, quarumdam quoque episcopalium sedium reparatione et multiplici eleemosynarum largitione, de conuersione regis Stephani et totius Hungariae, domino coöperante per eum facta, de glorioso etiam ipsius obitu pluribusque miraculis post eius obitum, ad ipsius corporis praesentiam diuinitus ostensis, multa cognouimus.*

A. C. 994.

Scriptum hoc diploma fuit ad Egilbertum, Bambergensem episcopum, qui diem suum obiit A. C. 1146. Examen igitur istud

(a) *Act. SS. Iulii T. III. p. 716.*

A. C. 994. de S. Henrici meritis institutum erat, vicenis supra seculum annis post eius obitum elapsis, qui contigit A. C. 1024. Quare hoc testimonium non tantum propter auctoritatem summi pontificis in negocio summi momenti, sed etiam propter vetustatem tanti faciendum est, vt propter leues quasdam coniecturas citra grauem iniuriam reiici posse non videatur. Accedit etiam auctoritas martyrologii Romani, quod a S. Henrico *S. Stephanum, Hungarorum regem, cum vniuerso fere eius regno ad fidem Christi suscipiendam perductam*, affirmat. Quum vero conuersi Stephani gloria iam Adalberto, iam Henrico, iam Giselae tribuitur; minime haec inter se pugnare censendum est, quum plures in eamdem rem variis modis concurrerint; Henricus quidem et Gisela, quod non prius in ambitas a Stephano nuptias consentire voluerint, quam sacra Christiana susciperet seque totam Hungarorum nationem ad eadem pro viribus adducturum polliceretur; Adalbertus autem vltimam conuersioni manum imposuit, quum Stephanum, seu iam ad Christi fidem alioqui propensum, seu hac matrimonii conditione permotum, verae fidei mysteriis vberius imbuit ac salutaribus vndis abluit. Nec quicquam gloriae sancti regis officit, quod non ipse tantum, sed et Adalbertus, et Henricus Hungarorum apostoli vocentur. Nempe maioris molis erat, gentem, vanis superstitionibus innutritam, ad Christianam religionem traduce-

re,

re, quam vt solus tantae rei perficiendae sufficeret. Adalbertus igitur nunc nuncios suos mittendo, nunc seipsum offerendo; Henricus auxilio consilioque rem Christianam inter Hungaros ita promouerunt, vt et ipsi quidem apostolico nomine dignos se praestarent; praecipuam tamen conuersae gentis gloriam S. Stephano relinquerent.

A. C. 995.

A. C. 995. Gei. 24. Indict. 8.

LX. Quando S. Stephanus nuptias cum Gisela, S. Henrici sorore, celebrauit?

CCXC. Quum Stephanum non infantem, sed iam adultiorem, ab Adalberto Christianis mysteriis imbutum ac salutaribus aquis expiatum fuisse contendimus; non ita certo hoc ad annum superiorem defigere volumus, vt id etiam hoc anno fieri potuisse non concedamus. Adalbertum enim vtroque hoc anno constat in Bohemia fuisse; sed quia nullum operae pretium in patria sua facere potuit; postquam Stephanum seu hoc anno, seu priore baptizauit ac Hungaris *vmbram Christianitatis impressit*, amore solitudinis, quam inuitus deseruerat, captus, iterum sub anni huius exitum Romam reuisit. Alioqui Ioannes XV. P.M. redeundi potestatem eidem, si Bohemi se non corrigerent, concessit, quum eorum legatis ita respondit: (a) *Reddimus, quod iuste quaerunt, quamuis de bono patre iam degenerassent filii; et dabimus eum hac lege: si audierint eum;*

(a) *Act. SS. Apr.* T. III. C. IV.

A. C. 995. *eam; teneant cum DEI benedictione, faciantque sub ipso fructum centuplum. Si autem a consueta iniquitate sua recedere nolunt; hic noster absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Vtrum autem S. Stephanus, ab Adalberto sacro baptismate lustratus, hoc anno nuptias cum Gisela celebrauerit, etsi nobis verisimile videatur, nullo tamen satis certo testimonio confirmari potest. Hermannus quidem Contractus ad hunc annum matrimonii Stephani cum Gisela meminit; *non tamen sic*, vt Hansizius obseruat, (a) *vt eodem anno contractum asserat.* Nam per occasionem tantum mortis Henrici, Giselae patris, coniugii huius mentionem in haec verba facit: (b) *Heinricus, dux Bauariae, obiit, et filius eius ex Gisela, Conradi, regis Burgundiae, filia, itidem Heinricus, imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit. Huius soror Gisela Stephano, regi Vngariorum, quum se ad fidem Christi conuerteret, - - in coniugium data.* Nihil tamen obstat, quominus ad hunc annum nuptias has defigamus. Nam et Stephanus, ab Adalberto baptizatus, iam ad fidem Christi se conuertit, quod prius nuptiis obstabat; et in nostra sententia septimum decimum aetatis annum iam attigit, adeoque hymenaeo maturus erat; quod vnum

num

(a) *Germ. Sacr. T. I. p.* 235.
(b) *Ad A. C.* 995.

num Hansizium, Stiltingumque permouit, A. C.
vt matrimonium vltra differendum existi- 995.
marent. Omnium longissime has nuptias protrudere quibusdam videtur Sigebertus; is enim earum, vt iam vidimus, meminit ad A. C. 1010. *Gens*, *inquit*, *Hungarorum hoc tempore ad fidem Christi conuertitur per Gislam, sororem Imperatoris, quae nupta Hungarorum regi &c.* Sed enim Sigebertus, vt consideranti patet, nuptiarum quidem istic meminit, eas tamen hoc anno celebratas esse non asserit; et quia generatim solum dicit, *hoc tempore*; neque tempus ipsum conuersionis Hungarorum ad annum hunc determinate figit; sed tantum Gislae, Stephano nuptae, studium in adducendis ad baptismum Hungaris, qui nondum Christi fidem ante has nuptias amplexi fuissent, commemorat. Haec enim ea conditione nupta, vt Stephanus non tantum ipse baptismum susciperet, sed etiam gentem suam ad eum suscipiendum impelleret, *quasi vere iuxta nomen suum fidei obses*, vt Hermannus loquitur, huius promissi maritum suum idemtidem admonebat, vel currentem alioqui sui fratris auxiliis erigebat. Quare, mea quidem opinione, male quidam ita Sigebertum interpretati sunt, quasi nuptias istas coaluisse censuisset A. C. 1010. Auentinus et Inchofferus eas collocant ad A. C. 1005. Sed certum est, nuptam non esse Gislam post A. C. 1003. quum hoc anno, vel inchoato sequente, Brunonem *ad sororem suam, Vngaricam re-*

gi-

A. C. 995. *ginam, confugisse*, constet ex Adelboldo, S. Henrici biographo. (a) Quum igitur sub aduentum eius, quem Stiltingus egregie probat (b) differri non posse vltra principium anni 1004. Gisela, soror eius, Hungariae regina iam fuerit; certum esse debet, eam nuptam non esse post A. C. 1003. Schwartzius id longe certissimum statuit, non coaluisse matrimonium principum ante A. C. 1002. *Idem enim*, inquit, (c) *omnes perhibent, fratrem Giselae Henricum ea tempestate imperii habenas tenuisse; eas vero anno* 1002. *adeptus est*. Sed bene negat Stiltingus, (d) *omnes asserere, Henricum tempore matrimonii huius imperatorem fuisse*. Ademarus fane, postquam Stephani baptismum retulisset, haec subiicit: (e) *Postea vero ipsi filio eius* (Geisae) *Stephano Otto imperator sororem Henrici, postea imperatoris, in coniugio dedit*. Adelboldus autem, diligentissimus et synchronus Henrici biographus, non siluisset has nuptias, si primis annis eius imperii factae fuissent, quod is inchoauit, 6. Iunii, A. C. 1002. Nec est credibile, Henricum initio regni, quod perturbatissimum erat, de nuptiis sororis suae cogitasse, quod Stil-

(a) *Act. SS. Iul. T. III. p.* 751.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 500.
(c) *Init. rel. p.* 7.
(d) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 499.
(e) *Ap. Lab. Bibl. T. II. p.* 168.

Stiltingus obseruat. (a) Hic praeterea probat ex Ditmaro, has nuptias, Ottone III. superstite, factas esse. *Nam Stephanus*, inquit, *a Ditmaro vocatur gener Henrici, ducis Bauariorum, dum coronam ac benedictionem accepit. Patrem S. Henrici designat; illius enim gener fuit Stephanus. At gener non dicitur, nisi matrimonio iunctus. Innuit igitur, Stephanum non modo ante imperium S. Henrici, seu annum* 1002. *sed etiam ante coronam anno* 1000. *acceptam, nuptiis illigatum fuisse. Quapropter existimo*, concludit Stiltingus, *nuptias hasce nulli anno rectius affigi posse, quam anno* 1000. *paullo ante obtentam coronam nomenque regium; atque eatenus dissentio ab Hansizio, qui magis existimat, nuptias obtentae coronae postponendas. Demum nuptias non esse contractas ante annum* 1000. *aut certe non diu ante, colligitur ex aetate sancti, qui tunc agebat annum circiter* 17. *aut* 18. Ita quidem Stiltingus, qui natum putat Stephanum A. C. 983. At in nostra sententia, qua statuimus illum natum A. C. 979. iam nunc agebat annum aetatis 17. Nihil igitur impedit, quominus eas nuptias collocemus ad hunc annum, aut sequentem. Nam a morte patris bella statim Stephanum exceperunt; quibus explicitus, mox iterum de sacerdotiis constituendis ordinandoque regno maiores curas suscepit, quam vt de nu-

A. C. 995.

(a) *Ibid.* p. 500.

A. C. 995. nuptiis agere commode potuerit. Nullum igitur opportunius pro hoc connubio tempus, quam ante patris obitum, assignari potest. Idque plane congruit eorum scriptorum testimoniis, qui fere Stephani conuersionem et baptismum cum matrimonio coniungunt; baptismum autem, quem ab Adalberto collatum esse, iam ostendimus. S. Stephanum ante patris obitum suscepisse, docet mors tam Geisae, quam Adalberti, quae contigit simul eodem A. C. 997. Verum, vt contra Stiltingianam, ita contra nostram sententiam obiici potest auctoritas Carthuitii, qui nuptias S. Stephani cum Gisela post coronam obtentam narrat; quin etiam easdem ad tempus imperantis Henrici referre videtur, quum ita loquitur: (a) *Ad consortium vero, praecipue caussa sobolis propagandae, sororem Romanae dignitatis Augusti, videlicet Henrici, qui ob mansuetudinem morum Pius est appellatus, Gislam nomine, sibi in matrimonio sociauit, quam vnctione chrismali perunctam, gestantem coronam, regni sociam esse constituit.* At enim, si stricte Carthuiti verbis inniti velimus, S. Stephani cum Gisela nuptias vltra natiuitatem Emerici differre debemus, quod ridiculum esse, nemo non videt. Natus enim erat S. Emericus A. C. 1007. Henricus autem imperii coronam a Benedicto VIII. Romae suscepit A. C. 1014. Si

(a) *Edit. Prai. p.* 135.

Si proinde S. Stephanus Giſelam, Henrici ſororem, matrimonio ſibi ſociauit, quum eius frater *Romanae dignitatis Auguſtus* eſt creatus, ſeptem annis poſt natum S. Emericum, aut ſerius, hae nuptiae coaluerunt. Mollius igitur accipienda ſunt verba Carthuitii, qui Henricum *Auguſtum vocare potuit, quod eam dignitatem deinde conſequutus eſt, vti ſaepe fit a ſcriptoribus*, quod Stiltingus obſeruat. (a) *Potuit et rerum geſtarum ordinem inuertere in hiſce*, pergit idem, *vti eumdem in aliis quibusdam inuertit, ita vt neceſſe non ſit vbique affirmare, prius facta eſſe, quae prius referuntur a Carthuitio. - Haec praepoſtera factorum narratio familiaris eſt ſcriptoribus, qui exactam non texunt chronologiam.* Ipſe Carthuitius ordinem ſe non rite ſeruaſſe, ſatis indicat, quum in operis ſui praefatione Colomanum regem ita rogat: (b) *Precor, flexis genibus, veſtrae triumphalis excellentiae ſublimitatem, vt manibus regalis defenſionis hoc ſuſcipiatis opuſculum, ne male ſonantium poſitio dictionum, vel confuſi ordinis enormitas veſtrum, quum legeritis, offendat oculum.* Hic ordo confuſus apparet etiam in legibus referendis, a S. Stephano perlatis, quas ille nuptiis, quibus tamen poſteriores eſſe conſtat, praemittit. Quare, quod Carthuitius huius connubii mentionem haud ante faciat, quam de corona, pontificis munere, narrationem

A. C. 995.

Tt per-

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 501.
(b) *Edit. Prai. p.* 116.

A. C. 995. pertexuisset; legitime non infertur, nuptias has post coronam, a Siluestro missam, celebratas fuisse. Celebratas autem in castro Schyrensi, Hansizius, incertum, quo teste, putat; (a) nisi forte, calendario Benedictino fidem in ea re habendam censuerit, quod, vbi Geisae studium in Christianos laudasset; *hoc vnum*, subiicit, (b) *habebat sollicitum principem, quam filio, cui regnum moriens cederet, nouam nuptam desponderet. Gisela - Geisae arridebat. Commeant igitur destinati ex Vngaria proceres in Boicam; vna nouus sponsus, Geisae filius, inter legatos adest. - Quaeritur ex puella ducali, vt animata sit. - Aduocantur sacri antistites: docetur fidei sacramenta Stephanus: fonte lustrico Schyrae - Christo initiatur: despondetur Gisela Geisae filio, et laetus hymen inter quam plurimos proceres ibidem celebratur.* Sed haec ex iis, quae iam disputauimus, fidem non mereri, liquet. Quod si celebritatem nuptiarum Otto III. imperator, ac Henricus, Giselae frater, Bauariae dux, praesentes cohonestarunt, vt admodum esse credibile, Cl. Praius censet; (c) vel inde colligitur, non alteri melius, quam huic anno has nuptias tribui posse. Nam anno sequente maioribus in Italia negociis Otto distinebatur, quam vt nuptiis illis interesse potuerit. Secunda vice

(a) *Germ. S. T. I. p.* 235.
(b) *Ap. Prai. ann. Reg. P. I. p.* 15.
(c) *Ann. Reg. P. I. p.* 15.

vice Romam profectus A. C. 997. non inde discessit ante principium A. C. 1000. Quum tertiam profectionem Romanam eodem anno suscepisset; numquam inde porro rediit; nec adeo nuptiis interesse potuit, si hae, quemadmodum Cl. Praius opinatur, celebratae sunt A. C. 1001. quo Henricum etiam, Giselae fratrem, in Italia cum Ottone fuisse, biographus eius innuit. (a)

A. C.
996.

A. C. 996. Geis. 25. Indict. 9.

LXI. Quando Geisa S. Martini coenobium inchoauit?

CCXCI. Haec inter S. Adalbertus iterum a Bohemis repetitus, iterumque redire iussus, quum a Gregorio V. potestatem accepisset, ad exteras et incultas gentes sese conferendi, cum Ottone III. Romae 31. Maii huius anni coronato, *Alpium nubila tranans*, vt secundus eius biographus loquitur, (b) *caussa orationis Turoniam pedester petit.* Inde Parisios et Floriacum profectus, ac rursus ad aulam imperatoris reuersus, per visionem, in somnis oblatam, de martyrii laurea certior redditus est. Quare, si rationem itineris huius habeamus; apparet ea, quae Dubrauius et Dlugossus, illum in reditu per Hungariam egisse, narrant, non ad hunc alterum, sed primum eius ex vrbe reditum, esse referenda. Dubium tamen est, an eidem itineri sint affigenda,

Tt 2 quae

(a) *Act. SS. Iul. T. III.*
(b) *Cap. V.*

A. C. 996. quae Dubrauius ita prosequitur: (a) *Idem Adalbertus maiore honore a Boleslao excipi non potuit, quam est post reditum exceptus, locoque suo et bonis quibusdam paternis restitutus. Ea ille bona paullo post in officia pietatis distribuit, et vna cum Boleslao principe coenobium, quod Breunouiam vocant, aedificauit ac munificentissime dotauit, deductis in contubernium sodalibus, quos ex Italia secum adduxit; illique nomine abbatis praeposito Anastasio, qui posthac apud Hungaros Strigoniensem egit* (rectius suppleuit) *pontificem, viro tantae sanctitatis et virtutis, vt mortuum discipulum precibus suis a morte excitauerit.* Mabillonius quidem ad alterum sancti praesulis reditum haec figere videtur, quum de hoc Anastasio sic loquitur: (b) *Hic in monasterio S. Alexii, seu S. Bonifacii, Romae vitam monasticam agebat sub Leonis abbatis regimine, eo tempore, quo S. Adalbertus, Pragensium antistes, in idem monasterium denuo se recepit. Quum vero idem Adalbertus, agente Willegiso, archiepiscopo Moguntino, iterum in Bohemiam ad suam ecclesiam redire coactus fuisset; sex monachi Alexiani, inter quos noster Austricus erat, sese ipsi itineris comites adiunxere; eumque in Bohemiam sequuti sunt, quod condendo celebri Breunouiae asceterio occasionem praebuit.* Sed enim ipse Ma-

(a) *Hist. Boiem. L VI. p. 46.*
(b) *Secul. I. Bened. P. I. p. 72.*

Mabillonius mox subdit, Adalbertum rursus Romam abiisse, propter Bohemiam totam, iniquorum coniuratione turbatam; *cuius*, inquit, *exemplum sequutus paullo post Astricus, in Hungariam cum suis discipulis perrexit, vbi a beato Stephano* (verius Geisa) *tunc duce, benigne exceptus, ac aedificato monasterio in honorem sancti Benedicti, non minus ibi, quam in Bohemia, sanctitate floruit.* Quum igitur duo tantum itinera Romana S. Adalberti biographi referant; et Mabillonius, Astricum in Hungariam venisse, postquam Adalbertus iterum Romam discessit, perhibeat; Alexianos monachos, inter quos Astricus erat, S. Adalbertus in primo reditu secum in Bohemiam adduxisse videtur. Hinc, si post alterum eius iter Romanum Anastasius abbas in Hungariam transiuit; Geisae noui condendi coenobii potuit auctor esse, quod in monte Pannoniae surrexit. Nam inchoatum fuisse hoc asceterium a Geisa, Stephanus filius in diplomate suo, dato sub exitum A. C. 1001. his verbis testatur: (a) *Nos interuentu, consilio et consensu domini Anastasii, abbatis de monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito, a genitore nostro incepto, quod nos per DEI subsidium, ob animae nostrae remedium, pro stabilitate regni nostri, ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet mona-* A. C. 996.

(a) *Ap. Stilt. T. I. Sept. p.* 494.

A. C. 996. *sterium S. Benedicti in monte Cassino; qui propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii, consiliante domino Anastasio, praescripto abbate, et iugiter adiuuante, consortati et laureati sumus.* Quum igitur eo tempore, quo S. Stephanus in bello, post patris obitum gesto, laurum et victoriam retulit, Anastasius abbas cum suis fratribus in monasterio S. Martini precibus eum et consiliis adiuuerit; idem, viuente Geisa, Hungariam adiuerit sacramque familiae S. Benedicti coloniam *ad montem supra Pannoniam situm* e coenobio Breunouiensi deduxerit. Quare dubium etiam esse potest, an non S. Adalbertus, post secundum ex vrbe reditum nouis in Bohemia turbis exagitatus, quum abitum in Prussiam meditaretur, per Pappatem, quem ad se per litteras reuocabat, hunc Anastasium abbatem intellexerit. *Miserat*, inquit biographus, (a) *ad Vngarorum seniorem magnum* (seu dominum, vnde natum Italicum *Signor*, Gallicum *Seigneur*, Hispanicum *Sennor*) *immo ad vxorem suam, quae totum regnum viri manu tenuit; et quae erant viri, ipsa regebat; qua duce erat Christianitas coepta; sed intermiscebatur cum paganismo polluta religio; et coepit esse deterior barbarismo languidus ac tepidus Christianismus. Ad quam tunc per venientes illinc nuncios in haec verba epistolam misit: Papatem meum, si*

(a) *Act. SS. Apr. T. III. p.* 195. C. *V.*

si necessitas et vsus postulat, tene: si non, propter DEVM ad me mitte eum. Ipsi vero clam chartam alia mente, alia sententia misit: si potes, inquit, cum bona licentia, bene: si non, vel fuga fugiens, tenta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit, Adalbertum tuum. Ipse autem venire non potuit; vel, vt homo, noluit. Vt enim hodie ipsum audis dicentem; quem nunc, sicut sitiens anima frigidam aquam, totis visceribus flagrat et amat, ardua scandentem semper tunc fugiebat. Ipse tamen iam erat monachus, et, vt dicunt, qui tunc temporis norant, pulcher et bonus. A. C. 996.

CCXCII. Hunc Papatem eumdem non fuisse, *quem a Timone Theodatum, a Stephano autem Tatam vocari solitum* Cl. Praius suspicatur, (a) certum esse debet ex hoc biographi loco. Hic enim Papatem, quem S. Adalbertus ex Hungaria reuocabat, iam tunc monachum fuisse, testatur. Atqui Theodatus, seu Deodatus, quem S. Stephanus Tatam vocare solebat, teste Turotzio, (b) *quamuis vxorem habuisset, tamen sine heredibus finiuit vitam suam;* idque confirmat Bela IV. diplomate supra laudato: *praesertim*, inquiens, *quum idem comes Deodatus absque heredibus permaneret.* Certe vel ex ipso comitis titulo bonisque tam an-

LXII. Quid de Papate sentiendum, quem postea S. Adalbertus ex Hungaria reuocauit?

(a) *Ann. vet. p.* 382. 384.
(b) *Chron. P. II. C. X.*

A. C. 996.

amplis, illi per Geisam et Stephanum collatis, eum non fuisse monachum, aperte colligitur. Distinguendus igitur hic Theodatus est a Papate, cui S. Adalbertus eas litteras dederat. Facilius crediderim, illum Papatem hic intelligi, quem inter legatos, qui S. Adalbertum Roma primum reuocabant, biographus Adalbertinus ita numerat: (a) *Post populus terrae episcopum suum reuocant. Viri sancti Pappatem Radlam, qui frater carnis suo duci erat, et Christianum Zrahkwaz monachum, eloquentem virum, in hoc opus eligunt.* Primus quoque biographus, licet nomen non prodat, principem tamen legationis ducis Boleslai II. fratrem facit. *Hic ipse primas*, inquit, seu princeps legationis, *frater erat ducis, cuius terrae, qui exigebatur episcopus, praefuit.* Surius eumdem non Radlam, sed Radium vocat; neque Boleslai Pii fratrem carnis, sed fratre cariorem fuisse putat. At vix videtur tam clarum vtriusque biographi testimonium hac interpretatione sollicitandum. Habuit enim Boleslaus II. fratrem germanum, de quo chronographus Magdeburgensis ita loquitur: (b) *Quum iam Romam iter arripere vellet* (Adalbertus) *forte ipso tempore Zirahquas, filius Boleslai* (primi) *qui sanctum Vuenezlaum* (Wenceslaum) *fratrem suum, interemerat*, at-

(a) *Act. SS. Iul. T. III. p.* 192.
(b) *Ad A. C.* 990. *Ap. Pag. ad* 984. *n.* 14.

atque ad placandum hunc, de quo loquimur, abbati sancti Emmeramni martyris Ratisbonae imbuendum vouerat et contradiderat; qui veniebat cum sui abbatis licentia de Ratisbona post multos annos visere patriam, et cognatos et fratrem suum (Boleslaum II.) *Bohemiae ducem. Cum quo vir DEI, praesul Adalbertus, secretum petiit, et multa conquestus est de infidelitate et nequitia populi. - Ad vltimum intentionem sui cordis aperit, quod vellet Romam apostolicum consultum ire, et ad gentem apostatricem numquam redire. Inter haec et ad haec addidit; et bene est, inquit, quod tu frater nosceris esse ducis. Te plebs ista mauult dominari, et tibi magis obedire, quam mihi. Tu consilio et auxilio fratris superbos comprimere, negligentes arguere, infideles increpare, inobedientes corripere poteris. Tua dignitas et scientia, tui habitus sanctimonia multum concordant ad haec regimina. Quod vt fiat, ego tibi cum DEI voluntate et mea potestate concedo; et vt liceat, me viuente, vt sis episcopus, apud apostolicum votis omnibus intercedam; et quem manu forte tenebat, episcopalem baculum ponit ei in sinum. Quem ille, quasi furibundus, in terram proiecit, et haec insuper verba adiecit: nolo dignitatem in mundo: episcopatu me indignum iudico: pastorali curae non sufficio. Monachus sum, mortuus sum, mortuos sepelire non possum. Ad haec praesul respondit: scias, frater, scias, quod modo non facis cum bono, facies postea, sed cum malo tuo. Post haec praesul, vt propo-* A. C. 996.

 sue-

A. C. 996. *fuerat, Romam iter arripit, et gentem, suis praeceptis inobedientem, reliquit.* Haec ante primum iter Romanum Adalbertus, pro quo reuocando non alius frater Boleslai ducis princeps legationis missus fuisse videtur, quam hic *Zirahquaz*, qui cum biographi secundi *Zrahkwaz* idem fuerit; adeoque biographus iste hunc potius, quam Pappatem Radlam, dicere debuisset *fratrem carnis suo duci fuisse.* Hic enim subinde, mutata voluntate, quod S. Adalbertus praedixerat, postquam eum iterum reuersum, iterum a suis reiectum vidit, episcopatum Pragensem inuadere voluit, vt idem chronographus in haec verba perhibet: (a) *Tunc Ztrahquaz* (alibi *Zirahquaz*, Dubranio *Strachyquas*, (b) *Stratiquas* Aeneo Siluio (c)) *frater ducis, de quo supra meminimus, videns hunc* (Adalbertum) *quasi regulariter repudiari, tumido fastu exarsit in episcopatum.* - Haec eo fine fusius exponenda censui, ne putaremus Pappatem, quem S. Adalbertus ex Hungaria reuocauit, Boleslai Pii fratrem fuisse. Huius enim frater, quum Moguntiam consecrandus accessisset; *inter duos suffraganeos*, vt idem auctor prosequitur, *Ztrahquaz prosternitur in medio: atroci arripitur daemonio; et, quod illi vir sanctus clam praedixerat, palam fit* co-

(a) *Ap. Pagium ad A. C.* 995. *n.* 9.
(b) *Hist. Boiem. L. V. p.* 39. 41. 43. 46.
(c) *Hist. Boiem. C. XVI. p. m.* 17

A. C. 996.

coram clero et omni populo. Pappas vero superuixit S. Adalberto, de quo multa biographum secundum ex isto didicisse, his verbis innuit: *Vt enim hodie ipsum audis dicentem.* Cur vero Pappatem suum S. Adalbertus ex Hungaria reuocarit; illis biographi verbis indicari videtur: *Intermiscebatur cum paganismo polluta religio; et coepit esse deterior barbarismo languidus ac tepidus Christianismus.* Nempe iam prius expertus Geisam duriorem et pari cum vero numine deos patrios cultu venerantem, quod se diuitiis abundare diceret, vt ex Ditmaro vidimus, *ac ad haec agenda liberam facultatem et amplam potestatem esse*, non tantum operae pretium ibi fieri, quantum volebat, existimauit. Icciroo Pappatem suum ad ampliorem messem, iturus in Prussiam, euocauit; qui tamen, quemadmodum Adalbertino biographo postea fassus est, sanctum praesulem, *ardua scandentem, semper tunc fugiebat;* ac *venire non potuit, vel, vt homo, noluit.* Vtrumque fieri poterat, vt et arduam ad barbaros expeditionem auersaretur; et apud Hungaros pro stabilienda religione retineretur.

LXIII. Quas industrias Geisa pro conuertendis Hungaris adhibuit?

CCXCIII. Iam enim Geisa, vere Christianus effectus, vt Ditmarus testatur, (a) *in corroboratione fidei seuit, et antiquum scelus, zelo DEI aestuans, abluit:* iam in mon-

(a) *Sub init. Libr. VIII.*

A. C. 996. monte Pannoniae coenobio S. Martini fundamenta iecit: iam colonias ſacras illuc deduxit: iam etiam, quum Hungaros ad ſuſcipiendam Chriſti fidem minus promtos haberet, ignaros tum adhuc, quantum bonum reſpuerent, armis eos cogendos cenſuit. *Geycha namque dux*, teſte Turotzio, (a) *diuino praemonitus oraculo, conuertere coepit Hungarorum gentem ad fidem Chriſtianam; et dum monitu illos conuertere non poſſet, paganorum ritibus deditos et intentos; oportebat quosdam armis edomare; ad quod faciendum, quia plures fuere fidei repugnantes, neceſſarium habuit, deſiderium ſuum diuulgare regibus et principibus Chriſtianis. Qui, audito huiusmodi deſiderio, non ſolum iuuamen transmiſerunt, ſed etiam perſonaliter adierunt, quibus fuerat Hungarorum crudelitas nociua ac exoſa.* Hanc nempe ſperabant emolliendam, ſibique pacem ac tranquillitatem ſtabiliendam, vbi Hungari, verae fidei dogmatis imbuti, Chriſtianam manſuetudinem edocti fuiſſent. Ex eorum numero, qui, Geiſa ſuperſtite, Hungariam ingreſſi, ſtabilem hic ſedem fixerunt, Turotzius primum ponit Deodatum, (b) quem etſi prius iam in Hungariam veniſſe conſtet, quum S. Stephanum de fonte baptiſmatis leuauerit; teſtatur tamen Bela IV. in diplomate, quod ſupra iam dedimus, eum-

(a) *Chron. P. II. C. IX.*
(b) *Chron. P. II. C. X.*

A. C. 996.

eumdem *adiutorem conuertendi gentes incredulas et rebelles, fidei, veritatis ac legis diuinae propugnatorem, vna cum duce Geisa supra dicto, et ceteris nobilibus, terrigenis et aduenis; et episcopis exstitisse gloriosum.* Vnde veritas eorum, quae Turotzius de Geisae ducis in conuertendis Hungaris studio narrat, confirmatur. An vero hic Theodatus, vt Bonfinius scribit, (a) *qui apud San-Seuerinates latius in Apulia quondam imperitauerat, in Vngariam, patriis finibus eiectus, euaserit;* non ita certum est, quod Bonfinius ex suo multa veris admiscere soleat; nec vllum huius exsilii vestigium in Italicis scriptoribus appareat. Alterum ex aduenis Turotzius nominat. Volfgerum Alemannum: *Post haec*, inquit, (b) *de Alamania Volphgerus, cum fratre suo Hedrico, de comitibus Haumburg ortus, cum trecentis dextrariis phaleratis introiuit. Cui dux Geycha montem Kiscen et insulam Danubii circa Iaurinum dedit pro descensu aeterno; vbi castrum ligneum faciens, fecit quoque in eodem monte coenobium, vbi est tumulatus. De istis Hedrici generatio deriuatur.* Vt per *Kiscen* id, quod nunc *Kitze* dicimus, ita per Hedrici castrum ligneum *Hederváram* hodiernam accipiendam puto. Cl. Palma scribit: (c) *Ex Hedrico de*

(a) *Dec. II. Libr. I. p. m.* 197.
(b) *Chron. P. II. C. XI.*
(c) *Herald. Libr. III. p.* 102.

A. C. 996. *de comitibus Homburg - - hodiernam com. Pálffiorum domum originem traxisse, viris in vtraque republica, ac militari cumprimis laude, conspicuis clarissimam.* Post hos Turotzius inter aduenas censet Vencellinum, quem in titulo capitis Alemannum, in ipsa narratione Bauarum facit: (a) *Ascendit quoque de Bauaria Wenczellinus, videlicet de Vasunburg, qui cum sancto Stephano in Symigio Cupam ducem interfecit; capitaneus enim exercitus exstitit illo die. Ex istis Iak nascitur principium et origo.* Cl. Palma rursus tradit, (b) ex Vencellino hoc eiusque progenie Iak, Nagy-Mihalyios et hodiernos comites Sztaraios prodiisse; hinc forte vicorum *Iáko-halma*, et *Mihály-Telek*, supra Iász-Berényium sitorum, orta sunt nomina; quid si Vencellinus etiam de *Vasunburg* Vatzio nomen indidit? Credibile, hunc ex Bauaria venisse, quum Gisela Bauara S. Stephano nuberet. Cum ea certe Hermannum in Hungariam ex Alemannia venisse, sic alibi Turotzius perhibet: (c) *Hermanni etiam generatio cum regina Keisla introiuit; liberi homines sunt de Nuremburg* (Norimberga) *hereditatibus pauperes.* Non desunt, qui putent, Gibinium in Transsiluania, quod in Sigillo hanc epigraphen habet: *Sigillum ciuium de villa Hermanni* huic

(a) *Chron. P. II. C. XII.*
(b) *Herald. Libr. III. p. 7. et 102.*
(c) *Chron. P. II. C. XVIII.*

huic Hermanno suum ortum debere. *Villam nempe*, scribit Ioan. Szegedius, (a) *Hermannus primum condiderat; sed quam superuenientes Saxones in vrbem amplissimam conuertere: vnde nec illis amplius Hermansdarff, seu villa Hermanni; sed Hermanstadt audit.* Desericius quoque refert, (b) ex Germanorum Transsiluanorum monumentis se didicisse, eos, e Saxonia quondam egressos, D. Stephano suppetias tulisse; certam Transsiluaniae plagam, ab eo donatam, accepisse; tumque septem famosa castra condidisse. Quod si verum est, has illi suppetias contra Gyulam tulerint et in Transsiluania cum Hermanno, prius in Hungariam egresso, postea consederint, vt Transsiluanos et in fide Stephani conseruarent, et ab incursu vicinorum tutos praestarent. Neque potest dubitari, colonias quasdam Germanicas per Giselam in Hungariam fuisse deductas, postquam Andreas II. id testatur diplomate dato A. C. 1231. *Nos*, inquit, (c) *carissimi progenitoris nostri regis Belae, nec non baronum nostrorum ducti consilio, dilectis et fidelibus nostris hospitibus Teutonicis de Zattmár-Némethi, iuxta fluuium Zamos residentibus, qui se dicebant in fide dominae reginae Keyslae ad Hungariam conuenisse, talem dedimus, donauimus et con-* A. C. 996.

ces-

(a) *Ad decr. Andr. II. pro Sax. §. XXIII.*
(b) *Comment T. I. p. 17.*
(c) *Ap. Schier in Regin. Hung. p. 41.*

A. C. 996. *cessimus libertatem &c.* Vltimos, qui sub Geisa Hungariam ingressi sunt, nominat Turotzius Huntium et Paznanum, quorum primus castro Hunt et prouinciae Huntensi, seu Hontensi, nomen indidisse videtur; ex alterius progenie Petrum Pazmanum, magnum in Hungaria nomen, ortum esse, Timon opinatur. (a) *Adierunt etiam illis diebus*, inquit Turozius, (b) *Hunt et Paznan, qui sanctum Stephanum regem in flumine Garam gladio, Teutonico more, accinxerunt. Istorum quoque generatio ab istis nominibus distare non videtur.* Quare hi progenitores familiae Hontianae Pazmaniānaeque habendi sunt; nec alii censendi, quos in diplomate S. Stephani, pro coenobio S. Martini dato, librarii corrupte reddiderunt *Poznanum* et *Contium*, quam *Pasnanus* et *Hontius*. *Astantibus*, ait ibi S. Stephanus, (c) *ducibus, videlicet Poznano, Contio, Orzio - votum voui.* Per hunc *Orzium Vrzius* ille videtur intelligendus, qui S. Stephani litteris, abbatiae Bakon-Beeliensi datis, A. C. 1037. subscriptus legitur; (d) vbi *Chuncius* etiam apparet, idem forte cum *Huntio*, vel, vt hic legitur, *Contio.* His omnibus Cl. Praius, ex MS. chronico Simonis de Keza, comitem *Ti-*

(a) *Purp. Pann. p.* 60.
(b) *Chron. P. II. C. XIII.*
(c) *Ap. Stilt. T. I. Sept. p.* 498.
(d) *Ap. Prai. diss. de S. Steph. p.* 148.

Tibold de Tanberg adiungit. (a) Postquam igitur ipsis regum nostrorum diplomatis affirmantur, quae Turotzius de laudatis aduenis memoriae prodidit; tuto fidem ei habemus in iis, quae mox ita subiicit: (b) *Istorum itaque comitum dux Geycha cum sancto rege Stephano, filio suo, fretus auxilio, et diuino potius, quosdam rebelles armorum terroribus, nonnullos voluntarie conuerterunt ad baptismum. Quos quidem comites tam dux Geycha, quam filius suus latis et amplis hereditatibus pro ipsorum seruitiis ditauere, prout apparet nunc manifeste. Qui quidem temporis in processu Hungaris per contractus matrimoniorum sunt immixti.* Haec Turotzius purius ad nos ex ipsis fontibus, quam seu Rauzanus, seu Bonfinius, transmisit. Nec enim ante hos seculi XV. scriptores defuisse chronica vetera, quibus priscorum Hungarorum res continebantur, MS. codex Augustae bibliothecae Vindobonensis hoc titulo docet: (c) *Anno domini MCCCLVIII. - incepta est ista chronica, de gestis Hungarorum antiquis et nouissimis - collecta ex diuersis chronicis veteribus.* Si iam ista chronica, quorum collector laborem inchoauit A. C. 1358. compilata sunt ex vetustioribus chronicis, dubium non est, plures seculo XI. XII. XIII. scriptores exstitisse, quorum

A. C. 996.

Vv rum

(a) *Ann. Reg. P. I. p.* 3.
(b) *Chron. P. II. C. XIII.*
(c) *Praef. script. Hung. n. XV.*

A. C. 996. rum opera iam intercideriht. Eos autem optima fide Turotzius conpilauit, neque quicquam ex iis immutauit, vt ipse his verbis in praefatione fatetur: (a) *Quum rebus in his ex me fecerim nihil, veteres in omnibus sequutus sum historias, et sententias auctorum transgressus sum in nullo.* Certe promissis adeo religiose stetit, vt MS. illum codicem A. C. 1358. duabus primis chronicorum partibus diligenter, etiam cum manifestis erroribus, exscripserit, vt iam in prolegomeno praefati sumus. Hinc magis mihi Turotzius cum suo barbaro, quam Ranzanus et Bonfinius cum cultiore stilo, placet. Quamuis enim iisdem fontibus, Hungarorum chronicis veteribus, vsi fuerint, ac ipsi quoque nonnullos eorum errores adsciuerint; Turotzium tamen plus fides, qua veterum scripta reddit, quam phalerata ceterorum eloquentia, qua quaedam nimium exaggerant, quaedam stilo liberiore confictis adiunctis exornant, alias temporum ordinem luxant et confundunt, commendat ac probat. Libet vnum hoc exemplum, quod de Geisae ducis in conuertendis Hungaris studio Turotzius exhibet, a duum-viris illis expressum repraesentare, vt quantum inter candidam Turotzii et phaleratam Ranzani Bonfiniique narrationem discrimen intersit, facilius arbitremur. Ranzanus, postquam Geisam, sacro ba-

(a) *Edit. Tirn. p.* 64.

baptiſmate renatum, iureiurando promiſiſſe narraſſet, *vt omnes ditioni ſuae parentes populi, exemplo ſuo, Chriſti cultores efficerentur*; eius id praeſtandi ſtudium ita refert: (a) *Omni itaque via, modo, arte, diligentia curat, vt voti fieret compos. Multi ipſum ſequuti ſunt; ſed paene innumeri imitari ſanctum eius propoſitum recuſauerunt; idolorum enim cultui inſeruire malebant. Quum igitur illi, nulla tanti principis habita ratione, non deſinerent verſari in errore illo tenebrarum; animaduertit prudentiſſimus princeps, armis opus eſſe, quorum vi illorum domaretur et ferocitas, et perdita audacia. Sed quum non eſſent ei tantae vires, quibus fieret a ſe facile, quod rei exigebat neceſſitas; clam dat litteras ad pleroſque principes Chriſtianos, per quas aperit laudabile ſuum ſanctumque conſilium; ac propterea petit, vt in tanta rerum mole ſua quisque idonea mittat auxilia. Mittuntur igitur vndique in Hungariam Chriſtianorum principum copiae. Ex ipſis quoque principibus nonnulli confluunt, non ſolum vt ferant viro Chriſtianiſſimo opem; verum etiam, vt videant ſubmitti iugo Chriſti colla ferocis efferataeque nationis. Illius namque nomen toti Europae tunc erat inuiſum ac formidoloſum, Chriſtianis praecipue populis, in quos ſuperioribus temporibus crudeliſſime ſaeuierat. Multi tunc nobilitate generis incliti viri e diuerſis orbis locis Hunga-* A. C. 996.

 ga-

(a) *Indic. VIII. Ed. Trin. p. 585.*

A. C. 996. *gariam petiuere. Eorum autem aliquot, pellecti amoenitate regionis, posteaquam peracta res, cuius caussa fuerant accersiti, eo redire, vnde venerant, noluerunt. Namque affinitate indigenis coniuncti, quod reliquum vitae cuique fuit, egerunt in Hungaria. - Intra paucos annos tot millia externorum militum conuenerunt, vt Hungaris, a Christi cultu abhorrentibus, essent illi armis ac numero longe superiores. - Coactas, quas dixi, copias Geicha diuisit ac per vniuersam Hungariam idoneis in locis disposuit. Itaque, vbi animaduertit, aduenisse iam opportunum tempus, quo exsequeretur, quod animo conceperat; per praeconem, suum patefacit animum; commonefacitque Hungaros vniuersos, eisque imperat, vt ab errore, in quo versabantur, resipiscentes, suscipiant veri DEI religionem, quam, diuina afflatus inspiratione, ipse susceperat. Nolle se pati vlterius, vt sui populares vagentur per tenebras, seque ipsos perdant, diabolo seruientes, cum quo essent aeternis suppliciis cruciandi. Qui ea salutifera monita visionesque despexerint, ii nihil exspectent aliud, quam vt ad vnum trucidentur; se iam ad id habere arma. Et, siquis ante nesciuerit, sciat nunc, ea de caussa tanta ad se a Christianis principibus missa auxilia. Ita breui effectum est, vt pars metu, pars salubri adducti consilio, in Christum vniuersa Hungaria credens, Christianae fidei sacramenta susceperit. Erecta igitur vbique DEI et beatae MARIAE virginis et ceterorum sanctorum templa: constituti praecipua-*

tuarum ecclesiarum antistites et presbyteri ceterorumque ordinum sacerdotes, qui DEI laudibus inseruirent: Christianae leges ac ritus sacraeque cerimoniae inductae: sanctorum patrum decreta seruari coepta: constituta praeterea ea; quae sunt vsui humanae vitae necessaria, ex quibus clerici honorifice in suis ecclesiis viuerent. Haec nimium exaggerata Ranzanumque longius in coniectando progressum esse, quiuis agnoscet, si prae oculis habuerit partim coelestem visionem, qua Stephano conuersi totius regni gloriam asseruari praedicebatur, vt Cl. Praius obseruat; (a) partim litteras fundationis abbatiae S. Martini, quibus ipse S. Stephanus testatur, ante ducem Simegiensem, post obitum patris profligatum, *necdum episcopatus et abbatias praeter ipsum locum* (Pannoniae montem) *in regno Hungarico fuisse.* Ranzanus igitur, episcopatus sub Geisa constitutos vniuersamque Hungariam Christianae fidei sacramenta suscepisse, perperam scribit. Stiltingus credit, (b) *haec facta potius sub initium regni Stephani*; putat etiam, *omnia peracta modo quidem efficaci, sed minus violento; nec mortis minas intentatas, sed exsilii, aut alterius poenae; leges etiam a S. Stephano latas, et ecclesias, quarum numerus exiguus fuisse videtur sub Geisa, per totum regnum sufficientes constitutas esse.*

A. C. 996.

(a) *Ann. vet. p.* 383.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 488.

A. C. 996. *esse*. Timon etiam erroris Ranzanum arguit, (a) quod *de eiusmodi expeditione nullam faciant mentionem illorum temporum historici; quae tamen commemoratione dignissima fuisset*. Haec quidem Ranzanus intra plures annos gesta scribit; sed vel ideo suspectam narrationem suam facit; quod ex biographis Adalbertinis et Ditmaro constet, nondum eo verae religionis ardore Geisam exarsisse, vt ante plures annos eiusmodi res aggressus cum veritate dici possit. Et quis credat, Hungaros adeo parum de se sollicitos fuisse, vt, quum viderent, tantam externorum multitudinem, quantam Ranzanus vult, intra fines suos recipi, nihil commouerentur, eosque tanto numero congregari paterentur, dum tandem *armis ac numero longe superiores essent?* Nulla haec veri specie Ranzanus in litteras retulit; et optime Timon aduertit, tantum armorum apparatum, tantae multitudinis in Hungariam aduentum, numquam eius aetatis scriptores silentio praeterituros fuisse, si tam violento modo Hungari Christianam fidem suscipere coacti fuissent. Non nego, quod Cl. Praio placet, (b) pactione nuptiarum, inter Stephanum et Giselam initarum, fieri potuisse, vt ab Henrico, Giselae fratre, Geisa subsidia quaedam acciperet; immo hac potissimum ratione Henricum

(c) *Imag. ant. H. Libr. III. C. VII.*
(b) *Ann. vet. p. 384.*

A. C. 996.

ricum in partem gloriae, quae passim a conuersis Hungaris illi tribuitur, venisse censeo, quod non tantum consilio, sed etiam auxilio Stephanum affinem ad id adiuuerit; at, Ottonem auxilia Geisae misisse his temporibus, eo minus credibile mihi videtur, quo pluribus illum curis in Italia distentum his annis inuenio. Nec auxilia, quae Henricus fortassis etiam Geisae submisit, eum numerum conficere poterant, vt armis ac numero Hungaris superiores essent. Vix enim tota Bauaria, cui Henricus praefuit, tantum militum suppeditasset; nec aliae regiones a Ranzano designantur, a quibus id praestitum fuisset. Plus igitur Bonfinio hac quidem in re, quamquam et ille quaedam ex se commentus fuerit, deferendum existimo. Hic auxiliorum, e Germania missorum, etiam meminit; mitioribus tamen modis vsum quoque Geisam fuisse, sic narrat: (a) *Vehementer indolebat vir publicae saluti natus, progenitorum feritatem nondum mitescere; eorumque labem adhuc aboleri non posse, aegre ferebat. - Quare sanctos vndique viros acciri iubet, qui, per Vngariae populos effusi, verae fidei rudimenta traderent; falsam ac barbaricam religionem abrogarent; erudirent feros homines, eosque patria religione exuerent, et IESV Christi nomen, vnigeniti DEI filii, pro virili parte praedicarent. A principio maxima pars*

(a) *Dec. I. Libr. X. p. m.* 193.

A. C. 996. procerum haud parum regis ſuperſtitionem mirari coeperat; ac illud inprimis, quod ceremoniis potius, quam bello intentum conſpicarentur. Quin et ſaepe incuſare, parum ſibi eſſe negocii, indicenda bella negligere; ad inediam ac inopiam omnes extremam continuo redigi, niſi foris incurſionibus et rapinis exercerentur. Obdurandam aſſiduo bello iuuentutem: nouas religiones diſquirere affectatius, muliebris eſſe ſtoliditatis. Nec deerant quidem ſaepe aliqui, maieſtati regiae illudere auſi, et eam pro nihilo ducere; item, qui imperia detrectarent; nec non et multi, qui profana mente veſanius agitati, ſtultitiam regis liberius increparent. Quin etiam et ſaepe ioco ab his multa obiici ſolebant, quae animorum iniquitatem indicabant. Omnibus tamen, prout cuiusque res poſtulabat, prudentia regia recte proſpexit. Mites verbis, difficiles minis, obſtinatos armis aliqua ex parte perquam commode curauit et diuinae lucis compotes effecit. Quum proceres multique tyranni obnixius reluctarentur, et longe maiora curanda eſſe, inclamarent, neque ſua vi facile coercere poſſet, finitimorum auxilia implorauit, quibus ad veram ſapientiam pernicaces animos retraheret. Quin illos populos ſibi ſtudioſius reconciliare curauit, qui maiora ab Vngaris detrimenta acceperant. Omnes namque finitimae regiones, quum Chriſtianum regem Vngaris imperare nouiſſent; inſperato affectae gaudio, ſocietatem et foedera vltro detulere; item, vt ad ſacro-ſanctam eos fidem redigerent, omnes fortunas et

au-

auxilia promisere. Bauari, Saxones et Sueui, ceterique Germani Geisam non modo pecuniis, sed auxiliaribus quoque copiis adiuuerunt; sperantes, si forte Vngari IESV Christi fidem acciperent, ne amplius quidem latrociniis ac caedibus grassaturos; diuino timore praeditos, Scythicam facilius immanitatem exuturos. Quare, quum nostri saluatoris nomen per Pannonias libere promulgaretur; falsum deorum cultum, homicidia, furta, crudelitatem publice abominari fere coepere omnes; item praelibare fidei dulcedinem, vtramque intelligere caritatem, pietatem et iustitiam amare, detestari falsa numina, et diuino denique amore succendi. Geisa quoque sacras aedes erigere, disponere collegia sacerdotum, rem sacram quotidie facere, exemplo suo alios cohortari. Multa hic ex meris coniecturis narrantur et amplificantur, quae quemadmodum fieri potuisse non inficiamur; ita facta fuisse, quamdiu testibus, Bonfinio vetustioribus, destituti fuerimus, affirmare tuto non audemus. Quod de viris apostolicis in Hungariam accitis commemorat, dubio caret; quum e litteris S. Stephani iam vidерimus, inchoatum a Geisa fuisse coenobium in monte Pannoniae; quibus itidem docemur, Huntium et Paznanum iam in Hungaria fuisse, quum ab obitu patris Stephanus in Cupam mouisset. Quare quaedam etiam Germanorum auxilia, licet non tanta, quanta Ranzanus iactat, in Hungariam sub Geisa venisse, facile concedimus.

A. C. 996.

A. C. 997.

LXIV. Quando Geisa viuendi finem fecit?

A. C. 997. *Geis.* 26. *Indict.* 10.

CCXCIV. Iam Geisa cultum superstitiosum, quem antea patriis etiam diis impendebat, eiurauit; iam solum DEVM verum, cuius cultum antea falsis superstitionibus profanauerat, adorauit; iam plures e vicinis populis sacros profanosque viros, quorum opera facilius ad Christi fidem populares suos traduceret, euocauit; iam etiam celeberrimum in monte Pannoniae coenobium, quod virorum apostolicorum quoddam quasi seminarium esset, inchoauit; quum in medio piorum conatuum cursu viuendi finem fecit; eaque, quibus fundamenta iacere coepit, Stephano filio perficienda, quemadmodum in visione praedictum erat, reliquit. *Post haec*, inquit Carthuitius, (a) *plenus dierum, anno dominicae incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, seculi nequam aerumnas coelesti mutauit gaudio.* Huic auctori quoad annum mortis omnes alicuius nominis scriptores consentire, Stiltingus docet. (b) Vnicum Cl. Praius chronicon MS. ineuntis seculi XIII. contrarium producit, quod sequentem annum his verbis statuit: (c) *Anno ab incarnatione Domini DCCCCXCVIII. Geyza, princeps Vngarorum, obiit.* Sed facilius

(a) *Edit. Prai. p.* 124.
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 487.
(c) *Diss. de S. Steph. p.* 124.

lius in hos numeros error, oscitantia librariorum irrepere potuit, quam in annum, a Carthuitio non numeris, sed litteris et vocibus integris expressum; qui praeterea Geisae ducis emortualem annum cum anno, quo S. Adalbertus pro Christiana religione vitam posuit, ita coniungit: *Et eodem anno sanctus episcopus Adalbertus, caussa praedicandi verbum DEI Prussiam ingressus, ibi, palma martyrii coronatus est.* Sicut igitur certum est, S. Adalbertum hoc anno fidei caussa mortem oppetiisse; ita Geisam *eodem anno* hoc de statione vitae discessisse, dubitari vix potest. Ita quos ardens Hungariae conuertendae studium coniunxerat, idem annus coelestibus gaudiis intulit. Nam Adalbertum quidem in aeterna gaudia mox admissum esse, sanguis pro Christo fusus, prodigia mortem consequuta, iudicium ecclesiae Romanae docet; Geisam quoque coelo donatum, sperare iubet eius in popularibus ad Christi fidem traducendis studium, postremis principatus temporibus expromtum, quibus *in corroboratione fidei seuit*, vt Ditmarus loquitur, et *antiquum scelus, zelo DEI aestuans, abluit.* Illud nempe scelus, quo partim subito furore multos occidit, partim diuinos honores idolis adhibuit ac verum DEVM pari cum patriis diis cultu prosequendum aliquamdiu censuit. Hoc ille scelus, meliora per S. Adalbertum edoctus, ante mortem abluit, spemque nobis de sua salute non dubiam reliquit. Nam illos, qui, Geisam ne quidem

A. C. 997.

dem

A. C. 997.

dem baptizatum fuisse, comminiscuntur, non audiendos esse, non tantum Ademarus, Ditmarus, omnesque patrii scriptores, sed ipse quoque S. Stephanus aperte docet, dum in litteris, abbatiae S. Martini datis, hoc coenobium *a genitore suo inceptum* perhibet. Nec videtur is tantis operibus, quae tam breui tempore perfecit, suffecturus fuisse, nisi pater, praecipuis impedimentis sublatis, solida fundamenta prior iecisset, adeoque Christianus fuisset. Erat igitur Geisa de Hungaris tanto melius, quam progenitores, meritus, quanto melioris boni, pacis et salutis, fundamenta posuit; dum Numae Pompilii more, populares suos, armis semper assuetos, a belli studiis ad mansuetudinem verique DEI cultum traducere coepit. Obiit anno principatus sexto supra vicesimum inchoato, aetatis nondum quinquagesimo; quum eius inter Arpadi posteros Porphyrogenitus non meminerit, quum eorum genealogiam texuit sub A. C. 951. Post hunc igitur Geisa natus fuerit adeoque circiter 45. aetatis annum expleuerit.

LXV. Vtram Geisa viduam, Adelheidam, an Saroltam, reliquit?

CCXCV. Mortuo Geisae superuixisse viduam vxorem, e domesticis scriptoribus certum est. Hanc fuisse matrem S. Stephani, Turotzius ita perhibet: (a) *Mortuo autem Geycha duce, Cupa voluit matrem sancti*

(a) *Chron. P. II. C. XXVIII.*

cti regis sibi per incestuosum copulare connubium, et S. Stephanum occidere. Quo vero nomine, quaue fuerit origine haec S. Stephani mater, alibi his verbis docet: (a) *Geycha - genuit sanctum Stephanum regem ex Saroltk, filia Gyulae.* Tam clarum Turotzii testimonium, cui ceteri scriptores patrii consentiunt, in dubium illi vocant, qui geminam Geisae coniugem: Saroltam, Gyulae Transsiluani filiam; et Adelhaidem, Micislai Poloni sororem, tribuunt. Cromerus certe miratur, (b) *Hungaricos annales nullam Adleidae huius, aut alterius uxoris Geisae mentionem facere*; quam ille prius Geisae nuptam fuisse tradit, quam Iuditham, eiusdem filiam, Boleslao filio coniugem dedisset. *Adulto dein*, inquit, *pater, viuens adhuc, vxorem accepit Iuditham, Iessae, Vngarorum principis, affinis sui, filiam, ex priore vxore susceptam. Nam, ea mortua, sororem ei suam, Adleidam Miczislaus in matrimonium collocarat; a qua persuasus Geisa, cum Vngaris suis, Christianam et ipse religionem, quinto post Polonos anno, suscepit.* Hinc haec Adalbertini biographi verba: (c) *Qua duce erat Christianitas coepta*, de hac Adelhaide Cl. Praius intelligit, quum ait: (d) *Illum* biographum, *Adel-*

A. C. 997.

(a) *Chron.* P. *II.* C. *XXVII.*
(b) *Hist. Pol. Libr. III. C. II.*
(c) *Act. SS. Apr.* T. *III. p.* 195. C. *V.*
(d) *Ann. vet. p.* 385.

A. C. 997. *Adelaida duce coeptam Christianitatem in Hungaria, differte scribere.* Atqui nusquam biographus Adalbertinus Adelhaidam nominat; eius igitur testimonio, nec, an Adelhais Geisae coniux vmquam fuerit; nec, an ea duce Christianitas in Hungaria coepta sit, affirmari potest. Quicquid ergo de hac Adelhaida dicitur, id totum ex Polonicis dumtaxat scriptoribus habetur; quorum narrationem si diligentius scrutari velimus; eas huic Adelhaidi res, quae cum vetustioribus ac fide dignioribus historicis conciliari nulla ratione possint, ab illis tribui videbimus, meritoque has eius cum Geisa nuptias in dubium vocabimus. Aiunt, *ab Adelhaida persuasum Geisam, cum Vngaris suis, Christianam et ipsum religionem, quinto post Polonos anno, suscepisse.* Quum igitur Polonos Christianam religionem suscepisse scribant A. C. 965. ab Adleida persuasus Geisa cum Hungaris suis eamdem suscepisset A. C. 970. Quod quam sit alienum a veritate; cum ex Ottonis M. legatione, tum ex Piligrini litteris, de quibus alias egimus, aperte colligitur. Scribit Piligrinus ad Benedictum VI. initium conuersionis Hungarorum *foedere pacto sub occasione pacis* factum esse; atqui haec pax inita non fuit ante A. C. 972. Scribit idem, *ex nobilioribus Vngaris vtriusque sexus catholica fide imbutos atque sacro lauacro ablutos circiter quinque millia fuisse*; hinc verosimillimum est, eo tempore nondum Geisam Christi fidem suscepisse, cuius, ceu nobili-

lissimi spolii, mentionem Piligrinus fecisset; illud autem certissimum, Hungaros ipsos nondum Christianam religionem amplexos A. C. 970. quo nondum Piligrinus Patauiensis episcopus erat; nondum foedus inter Geisam, duobus post annis ducem factum, et Ottonem imperatorem coaluerat. Deinde, si verum est, Geisam, ab Adelhaide persuasum, Christi fidem amplexum esse A. C. 970. ea iam prius Geisae nubere Stephanique mater esse debuit. Atqui hoc non tantum patriis, sed etiam exteris scriptoribus aduersatur, qui S. Stephano Saroltam Transsiluanam matrem tribuunt. Stiltingus quidem ait, (a) *obscurum esse, quaenam fuerit S. Stephani mater; nam scriptores Hungari aeque ac Poloni recentiores sunt minusque exacti, quam vt dictis eorum multum fidere liceat.* Postea tamen, annalistae Saxonis auctoritatem sequutus, Hungarorum sententiam, qui Saroltam, ducis Transsiluaniae filiam, fuisse matrem S. Stephani tradunt, admittit. *Nam*, inquit, (b) *annalista Saxo huic sententiae fundamentum praebet, dum ad annum* 1003. *ducem Transsiluaniae a Stephano victum scribens, auunculum eius vocat. Si autem Iulus, vt ibi vocatur, vel Gyula, vt malunt Hungari, auunculus fuit sancti; certe mater ipsius soror erat Gyulae, eiusque patris filia* Quicquid

A. C. 997.

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 487.
(b) *Ibid. p.* 488.

A. C. 997. quid de hoc sit, an strictiore, vel latiore sensu Gyula hic auunculus S. Stephani vocetur; satis tamen e scriptore hoc extero certum euadit, S. Stephani matrem Transsiluanam, non Polonam, fuisse. Nec in hoc argumento scriptores Poloni cum Hungaris in contentionem venire possunt. Nam, praeterquam quod hi, non item illi, suffragatorem exterum et antiquum auctorem habeant, etiam inter domesticos Anonymus Belae notarius, qui Saroltam, Gyulae Transsiluani filiam, S. Stephani matrem fuisse testatur, (a) seculis integris Polonicos scriptores antecessit. Ignorauit Stiltingus huius Anonymi historiam, quum scriptores Hungaros aeque ac Polonos recentiores esse scripsit, quam vt dictis eorum multum fidere liceat. Quod quidem, licet Anonymi, de cuius antiquitate iam alias in prolegomeno sermonem habuimus, ratio non habeatur, sustineri vix potest. Turotzius enim, etsi sub idem tempus, quo Dlugossus, vixerit; quia tamen chronicon MS. seculi XIV. ad verbum reddidit, si huius potius chronici scriptoris, quam Turotzii descriptoris, aetas consideretur; apparet, etiam Turotzianum opus maioris et antiquitatis, et auctoritatis, quam Dlugossi historiam esse. Iam Bonfinius etiam ac Ranzanus, seculi XV. scriptores, itidem Vapouio Cromeroque, seculi XVI. historicis

(a) *Cap.* XXVII.

ticis, anteponendi sunt. Ita fit, vt si scriptorum Hungarorum, qui S. Stephano Saroltam matrem tribuunt, testimonium, cum scriptoribus Polonis, qui hanc gloriam Adelhaidi suae vindicare volunt, contendatur; citra dubium his illi sint praeferendi. Nec igitur, quum S. Adalbertus in Hungariam venit, Adelhais Geisae coniux erat, vt Dlugossus scribit; (a) non enim Adelhaidae, sed Saroltae, visionem oblatam patrii scriptores tradunt: nec huic Adelhaidi, sed Saroltae, qua duce, Christianitatem esse coeptam, alibi docuimus, eas litteras, quarum supra meminimus, S. Adalbertus dedit: nec, an vmquam haec Adelhais fuerit Geisae matrimonio iuncta, post tot Polonicorum scriptorum antilogias, tuto credi potest. Etiam deSarolta haec, quae Ditmarus de Geisae coniuge habet, accipi possunt: (b) *Vxor vero eius Beleknegena, id est, pulchra domina, dicta, potibus immoderatis deseruiebat, et in equo virili more sedebat; quemdam virum iracundiae furore gladio occidit.* Quum enim Turotzius heroinam hanc, Saroltam, fuisse pulcherrimam, affirmet; (c) Slaui, Geisae subiecti, poterant eam pulchram dominam appellare. Hoc sane Belekneginae nomen honoris dignitatisque, non proprium fuisse, A. C. 997.

Xx

(a) *Libr. II. col. 116.*
(b) *Annal. Libr. VIII.*
(c) *Chron. P. II. C. V.*

A. C. 997. se, Cl. Szarka conicit. (a) Potuit etiam Cupa hanc post Geisae mortem in coniugium expetere; quum enim nec ipse Geisa nimium adultus obierit, neque haec nimium adulta vidua mansit. Et alioqui Cupa non tam matrimonii, quam regni cupiditate has nuptias ambiuit, vt postea videbimus. Fortasse Poloni scriptores Adelhaidem, S. Ladislai coniugem, cum vxore Geisae confuderunt; quamquam nec illa Polona, seu Sueua fuerit, nisi duas Ladislaus vxores habuisset, quod alias examinabimus.

§. VI.

S. STEPHANVS, DVX VI.

Coepit A. C. 997. Regis titulum sumsit A. C. 1000.

A. C. 997. Steph. 1. Indict. 10.

CCXCVI.

I. Quibus rebus firmatum a patre solium S. Stephanus conscendit?

S. Stephanus, patre Geisa, matre Sarolta, Strigonii natus A. C. 979. vndeuicesimum aetatis annum agebat, quum patri mortuo pleno iure successit. Licet autem Arpadiani sanguinis praerogatiua Hungariae principatus ei deberetur; prouidus tamen pater, tum exemplo maiorum ductus, tum etiam veritus, ne, Christianae re-

(a) Coniect. p. 35.

religionis obtentu, per gentiles ab auito solio remoueretur, ac in alium Arpadianae stirpis ramum suprema ducis dignitas transferretur; vt primum filius pubertatis annos attigit, a conuocatis optimatibus fidei sacramentum eidem praestari voluit. Erat enim Stephano patruus Michael; erant patrueles Ladislaus Caluus et Vazul, seu Basilius, ad quos seu rerum nouarum studio, seu Christianae religionis odio nonnulli deficere perfacile poterant. Quamquam enim hos ipsos ipsa nomina sanctorum iis indita Christianis sacris initiatos fuisse doceant; vix tamen in illis tantum verae fidei per Hungariam propagandae studium obseruatum est, quantum in Geisa Stephanoque nemini non cognitum ac pluribus argumentis exploratum erat. Satis constat, Ladislai Calui filios non ita firmos in vera religione fuisse, vt et Andreas reuersis ad idola sua Hungaris non conniueret, et Leuenta deorum patriorum cultum non resumeret caecisque superstitionibus immoreretur. Nec aliam subinde Stephano caussam fuisse crediderim, cur prae his Petrum peregrinum sibi successorem optauerit, quam quod apud illos non satis altas religionis radices animaduerterit. Vnde coniectura duci potest ad eorum quoque patrem Ladislaum, aut Vazulem, ac auum Mihaelem, quum plerumque posteri maiorum institutionem ac mores exprimant. Quum igitur his Hungari, qui Christi fidem auersabantur, adhaerere prae Stephano potuerint; Geisa, malo huic occursu- A. C. 997.

A. C. 997. rus, mature filio principatum stabilire voluit, ac, quum adhuc rerum potens esset, eidem iureiurando proceres obstrinxit A. C. 993. Nec temere hunc annum, quo filium pater in principatum adsciuerit, elegimus; nam Carthuitius quidem, id factum esse, docet, (a) postquam Stephanus, *transacta pueritia, gradum adolescentiae primum ascendit;* alias autem iam ostendimus, Stephanum in lucem editum A. C. 979. quartum decimum aetatis annum, adeoque pueritiam transegisse A. C. 992. gradum igitur adolescentiae primum ascendit A. C. 993. Hinc vero numerati 46. anni, quibus, teste Turotzio, (b) quidam S. Stephani principatum vniuerse circumscribunt, deducunt nos ad emortualem eiusdem annum 1038. Geisa, nexibus etiam affinitatis Stephano solium firmaturus, Giselam, Henrici II. Bauariae ducis, filiam, Ottonis III. cognatam, sponsam ei destinauit; quam tamen non prius impetrauit, quam S. Adalbertus, Roma per Hungariam ad suos Bohemos reuersus, eum *chrismali baptismate, secundum credulitatis suae veritatem, intinxisset* A. C. 994. Ita Stephano nec aetas, nec religio iam obstitit, quo minus et iam sacro fonte lustratus, et septemdecim annos natus, in manus Giselae conueniret A. C. 995. His rebus firmatum a patre solium Stephanus hoc anno pleno iure conscendit.

CCXCVII.

(a) *Edit. Ptai. p.* 123.
(b) *Chron. P. II. C. XXXIV.*

CCXCVII. Poſtquam chronologiam, alias vberius expoſitam ac probatam, ſub vnum conſpectum breuiter exhibuimus; iuuat etiam eiusdem genealogiam, tam paternam, quam maternam, licet vtramque iam ſparſim attigerimus, confectis laterculis, claritatis cauſſa, lectorum oculis ſubiicere ſcriptorumque teſtimoniis ſtabilire; tum etiam eius coniugis Giſelae ſtemma paternum exhibere, quo conſtet, quibus affinitatis nexibus per hoc connubium ſanctus dux, deinde rex, iunctus fuerit.

A. C. 997.

II. Quos progenitores et cognatos paternos;

Stemma paternum S. Stephani.

Almus, dux Hungarorum.

Arpadus, princeps Hung.

Tarkatz. Ielech. Iutotzas. Zoltanus.

Tebeles. Ezelech. Phalitzim. Toxus.

Termatz. *Thaſe.* *Phale.*

Geiſa. Michael.

S. Stephanus. Vazul. Ladislaus Caluus.

S. Emericus. Andreas. Bela. Leuenta.

Hoc ſtemma depromtum eſt e tribus auctoribus; et primum quidem ex his Con-

A.C. 997. ſtantini Porphyrogeniti locis: (a) *Eſt alter a me boebodus, Salmutzes* (Almus) *nomine, qui et filium habet, Arpadem nuncupatum.* (b) *Sciendum vero, Arpadum, magnum Turciae principem, filios genuiſſe quatuor; quorum primus Tarkatzus, ſecundus Ielech, tertius Iutotzas, quartus Zaltas. Rurſus Arpadi primogenitus Tarkatzus filium habuit Tebele; alter Ielech filium genuit Ezelech; tertius Iutotzas filium ſuſcepit Phalitzim; quartus Zaltas habuit filium Taxin. Et omnes quidem Arpadi filii mortui ſunt, ſuperſtitibus tantum eorum nepotibus Phale et Thaſe, cum patruele eorum Taxi; Tebelesque moriens filium reliquit Termatzum.* Non eſt dubium, quin Graecus hic ſcriptor, ſicut Almi, Zoltani, Toxi, ſic aliorum nomina corruperit; quae quomodo reſtituenda ſint, incertum eſt. Tum ex his Anonymi Belae notarii capitibus: (c) *Dux Almus, ipſo viuente, filium ſuum, Arpadum, ducem ac praeceptorem conſtituit.* (d) *Dux Arpad genuit filium, nomine Zulta.* (e) *Dux Zulta, anno dominicae incarnationis DCCCCXXXI. genuit filium, quem nominauit Tocſun.* (f) *Dux vero Thocſun genuit filium, nomine Geyſam, quintum ducem*

cem

(a) *De adm. imp. C.* 38.
(b) *Ibid. C.* 40.
(c) *Cap. XIII.*
(d) *Cap. L.*
(e) *Cap. LV.*
(f) *Cap. LVII.*

cem Hungariae. - - Thomizoba vixit vsque ad tempora S. regis Stephani, nepotis ducis Tocsun. Demum ex his Turotzii narrationibus: (a) *Almus* tandem genuit Arpad; „ Arpad genuit Zoltan; Zoltan genuit „ Tocsun. (b) Porro Tocsun genuit Geycham et Michaelem; Michael vero genuit Caluum Ladislaum et Vasul; Geycha vero genuit sanctum Stephanum regem ex Sarolth, filia Gyulae. A. C. 997.

CCXCVIII. Quamuis sub Gyla Porphyrogeniti Gyulam, Transsiluaniae principem, latere iam alias ostenderimus; quia tamen purpuratus ille scriptor nullam sui Gylae genealogiam texit, eam e solis patriae scriptoribus depromimus. III. Quos maternos habuit?

Stemma maternum S. Stephani.

Tuhutum, dux Transsiluaniae.

Horca

Gyula senior. | Zombor

Carolda. Sarolta | Gyula iunior

S. Stephanus | Bue. Bucne.

(a) *Chron. P. II. C. I.*
(b) *Chron. P. II. XXVII.*

A. C. 997. Hoc stemma genealogicum Anonymus Belae notarius ita nobis exhibet: (a) *Tukutum vero genuit Horcam; Horca genuit Geulam et Zubor; Geula genuit duas filias, quarum vna vocabatur Caroldu, et altera Saroltu; et Sarolt fuit mater S. regis Stephani. Zumbor vero genuit minorem Geulam, patrem Bue et Bucne; tempore cuius S. rex Stephanus subiugauit sibi terram Vltrasiluanam, et ipsum Geulam vinctum in Hungariam duxit.* Alibi haec nomina sic reddit: (b) *Gyla, Biuia, Bucna.* Turotzius eumdem rectius Gyulam scribit: (c) *Beatus rex Stephanus cepit Gyulam ducem cum vxore et duobus filiis eius.* Hi duo filii videntur iidem esse, quorum alias ita meminit: (d) *Erant isti magnates, Visca, Bua et Buhna.* Quamuis autem Turotzius Gyulam, quem S. Stephanus cum duobus filiis interceperat, auunculum eius vocet; latius tamen id vocabulum ab eo sumi, vel inde patet, quod hunc Gyulam tertio post socerum Geisae loco collocet: (e) *Tandem, inquit, quum Gyula Hungaris, in Pannonia habitantibus, infestus esset et multipliciter molestus; per S. Stephanum regem in Pannoniam est ductus. Non tamen iste Gyula capitaneus, sed ab illo tertius.* Quia sci-

(a) *Cap.* XXVII.
(b) *Cap.* XXIV.
(c) *Chron. P. II. C.* XXIX.
(d) *Chron. P. II. C.* XXXIX.
(e) *Chron. P. II. C. V.*

scilicet Zombórius, Gyulae senioris frater, iunioris pater, intercessit. Ita Turotzius ex Anonymo lucem potius feneratur, quam eidem adversetur, quum Gyulam iuniorem sancti regis avunculum vocat. Nam nemini potest ignotum esse, quomodo Hungari fratrum, affinium, cognatorum appellationes extendere, confundere, sensu minus proprio sumere soleant. Ipse Turotzius, qui tam Vazulem, quam Ladislaum Caluum S. Stephani patruelem loco iam laudato repraesentat, alibi Ladislaum Caluum eius patruum, Vazulem patruelis filium appellat. (a) Vtrumque male; nam S. Stephanus Vazulis et Ladislai patrem patruum; hos patrueles; Andream, Belam, Leuentam patruelis filios habuit. Carthuitius quoque Salomonem S. Ladislai fratrem vocat, (b) qui tamen patruelis dumtaxat eius erat. Ex hac igitur appellatione contra Belae notarium, qui S. Stephani stemma maternum ordine pulcherrimo nobis exhibet, nihil inferri potest. A. C. 997.

CCXCIX. In texendis Giselae genealogia non recurrimus ad antiquissimos ante Henricum Aucupem eius progenitores; nec eorum, qui hunc consequuti sunt, aut coniuges, aut omnes seu virilis, seu sequioris sexus proles, recensebimus. Qui haec vbe-

IV. Quibus affinitatis nexibus per Giselam iunctus?

(a) *Chron. P. II. C. XXXIII.*
(b) *Edit. Prai. C. V. p.* 164.

A. C. 997. berius ac plenius nosse cupit, compendium vniuersalis historiae Thomae Grebner adeat et consulat. (a) Nobis sufficit duplicem Augustae stirpis ramum, per Henricum Aucupem ad Giselam vsque propagatum, breui laterculo, quem subnectimus, exhibere.

Stemma genealogicum Giselae.

Henricus Auceps

Otto I. Imp.	Henricus I. Dux Bau.
Otto II. Imp.	Henricus II. Dux Bau.
Otto III. Imp.	Henricus III. D. B. Gisela, S. Stephano nupta.

Henricus Auceps, patrem Ottonem Illustrem, Saxoniae ducem, habuit, a cuius morte Saxoniae praeesse coepit A. C. 912. Germaniae rex, post Conradum I. electus A. C. 919. vt promtum ad arma militem contra grassantes Hungaros haberet, recensitis militibus agrariis, nouum quemque iussit in vrbibus, in eum finem a se structis, vt aggerem perpetuum annuis ferme Hungarorum irruptionibus obiiceret, excubare; ceteros agrum colere tertiamque frugum partem nono submittere. Quemdam sub-

(a) *T. II. L. X. Art. II. p.* 298. 299.

ſubinde Hungarorum principem interceptum non prius reddidit, quam pacem in nouem annos promitterent A. C. 926. Euolutis his induciis, memorabili clade Hungaros, Saxoniam ingreſſos affecit A. C. 934. Domitis omnibus circumquaque gentibus, quum Romam ad recipiendam imperii coronam proficiſci ſtatuit, febri correptus, ſancte deceſſit A. C. 936. Otto I. patri ſuffectus, a rebus geſtis agnomen Magni conſequutus, Hungaros idemtidem repreſſit ac ad Auguſtam ingenti praelio vicit A. C. 955. Imperator Romae coronatus A. C. 962. cum Geiſa pacem ea conditione compoſuit, vt euangelii praeconibus aditus in Hungariam pateret; nec multo poſt mortem obiit A. C. 973. Otto II. viuente patre coronatus Auguſtus A. C. 967. nihil peculiare cum Hungaris geſſit vivendique finem fecit A. C. 983. Otto III. patri quidem ſtatim ſubrogatus, ſed imperii corona redimitus A. C. 996. in Italia, nullo filio relicto, deceſſit A. C. 1002. Ita regiam Germaniae dignitatem proceres ad S. Henricum, cuius proauus, non ſecus ac Ottonis III. Henricus Auceps erat, tranſtulerunt; cuius auus, Henricus I. ex hac vita migrauit A. C. 955. pater vero, Henricus II. ad plures abiit A. C. 995. Huic ſucceſſor datus, inter Bauariae duces Henricus III. inter Germaniae reges II, inter coronatos imperatores. I. ad propagandam in Hungaria Chriſti religionem multum operae contulit.

A. C. 997.

CCC.

A. C. 997.

V. An etiam Adalbertus lustrico nomine dictus?

CCC. Quia Henrici II. filia, huius vero S. Henrici soror, erat Gisela, S. Stephani coniux; non est dubium, quin per Ditmari Waic S. Stephanus sit accipiendus, quum ita scribit: (a) *Gener Henrici, ducis Bauariorum, Waic, in regno suo episcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit.* Cl. Szarka *Waic* ex *István*; (b) personatus Verinus ex *Gays*, vel *Gaisa* potius, detortum hariolatur. (c) Cl. Praius, *Waic* et *Woitek* Bohemis Adalbertum notare, Boluslao Balbino teste, perhibet; (d) vnde geminum in baptismo duci huic nomen tributum esse censet; alterum Stephani, quo parentes ad visionem sibi factam respexerint; alterum Adalberti, quo memoriam patris lustrici conseruarent. At, praeterquam quod Waic et Woitek inter se differe videantur, plerique sanctum praesulem in baptismo Woitechii nomen accepisse testantur, quem Adalbertus, Magdeburgensis archiepiscopus, postquam ei sacramentum confirmationis contulisset, Adalbertum a suo nomine vocauerit. (e) Non igitur inficias iuerim, a Bohemis eumdem sanctum virum, et Woitekium, et Adalbertum vocari potuisse; haec tamen nomina,

(a) *Annal. libr. IV.*
(b) *Coniect. p.* 50.
(c) *Comment. p.* 18.
(d) *Diss. de S. Steph. p.* 122.
(e) *Pagius ad A. C.* 980. *n.* 111.

na, licet eumdem sanctum episcopum designauerint, non idem etiam significasse videntur; quod Woitekius ille, nonnisi post receptum cofirmationis sacramentum, Adalbertus vocari coeperit. Quicquid de hoc sit; certum est, ducem nostrum in baptismo Stephani nomen accepisse: *Nomen sibi impositum est Stephanus*, vt Carthuitius ait, (a) *quod alienum a consilio DEI fuisse, non credimus. Stephanus quippe Graece, corona sonat Latine. Ipsum quidem et in hoc seculo coronare DEVS voluit ad regni potentiam, et in futuro corona beatitudinis semper manentis redimire decreuit ad percipiendam vitae iugis indeficientem gloriam.* Ita S. Stephanus protomartyr nomen ei suum imponi voluit, vt appellatione hac coronae, quam in terra coeloque consequuturus erat, praeluderet. *Puer adhuc*, pergit ibidem Carthuitius, *scientia grammaticae artis ad plene imbutus est*; id quod multa filio praecepta, multa diplomata, Latine data, testantur. Sic postea Hungari, ducis huius exemplo, Latinum idioma, praequam aliae gentes, familiare sibi reddiderunt.

A. C. 997.

CCCI. Quid S. Stephanus, principatum paternum adeptus, egerit, vt fidei Christianae vexillum altius erigeret; quomodo pacem cum vicinis principibus Christianis, quam pater defunctus conciliauerat, conser-

VI. Quomodo principatum administrare coepit?

(a) *Edit. Prai. p.* 12*.

A. C. 997. seruare studuerit, vt ad rebelles comprimendos plus virium haberet; ex ipso Carthuitio, biographo diligentissimo, libet audire: (a) *Post obitum*, inquit, *patris*, *Stephanus*, *adhuc adolescens* (puer fuisset, si natus A. C. 983. vel 984.) *fauore principum et plebis in patris solium laudabiliter prouectus*, *et ardentiori animo coepit veritatis propagator exsistere; quia quamuis adolescentiae annis floreret; non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum diuinarum, quibus apprime flagrabat, non immemor, iudicium et iustitiam in oculis proponebat; et iuxta illud Salomonis: audiens sapientiam sapientior erit; et intelligens, gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis DEI fidelis dispensator exsistens, apud se coepit meditari, qualiter subiectum sibi populum vnius DEI cultui manciparet. Sed quia perpendebat, id absque vicinarum gentium consideratione* (melius confoederatione) *minime fieri posse; pacem cum exterarum prouinciarum populis habens, et fideliter institutam roborauit fidem, vt eo securius, quod in mente tractabat, et in nouella plantatione Christianitatis explere sufficeret.*

VII. Quomodo seditionem inter Hungaros et Germanos composuit?

CCCII. Non multum temporis ab obitu patris effluxit, quum tenellus princeps ad arma prouolare coactus est. Despiciebatur nempe tenerior aetas principis, quae magis,

(a) *Edit. Prai. p.* 125.

gis, quam Geisae dignitas, ipso iam vsu corroborata, iniuriis obnoxia fore sperabatur. Primus impetus videtur exsertus in eos Germanos, quos in Hungariam a Geisa fuisse receptos, alibi commemorauimus. Id enim innuunt haec S. Stephani verba, quae litteris, abbatiae S. Martini datis, inseruit; (a) *Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Theutonicos et Vngaros seditio maxima excreuerat.* Nimirum inuidiam Hungaris mouit, quum hos, quamuis homines nouos, amplissimis latifundiis donatos, insignibus honorum praerogatiuis ornatos sibique praelatos conspicabantur. Acuebat eorum indignationem, qui Christiana sacra detestabantur, quod horum opera tam Geisa prius, quam nunc Stephanus ad eradicandum ex Hungaria deorum patriorum cultum vteretur. His igitur iniuriis, vt putabant, instincti, furorem suum in eos expromserunt; non eorum, non ipsius ducis praediis, vt ex Carthuitio patet, pepercerunt; nonnullos etiam seruos, ex aduenis potissimum Christianis conflatos, interemerunt. Sed tumultum hunc potius, quam bellum, fuisse, nec multo post repressum, inde colligitur, quod deinceps quoque laudati Germani locum in Hungaria retinuerint.

A. C. 997.

A.

(a) *Ap. Stilt. n.* 150. *p.* 494.

A. C. 998.

VIII. An Cupa S. Stephani matrem in connubium expetiit?

CCCIII. Defuisse videtur seditiosis dux idoneus, qui ne porro desideraretur; Cupa, Calui Zirindi filius, Simeghiensis prouinciae praefectus, caput se rebellibus obtulit. Hic primum per cuniculos rem aggressus, vt Stephanum principatu cert us deturbaret, Geisae viduam in coniugium deposcebat. *Mortuo*, scribit Turotzius, (a) *Geycha duce, Cupam voluit matrem sancti regis sibi per incestuosum copulare connubium, et sanctum Stephanum occidere, ducatumque eius suae subdere potestati; hic fuerat dux Simigiensis.* Stiltingus existimat, nec hanc Geisae viduam S. Stephani matrem, nec hunc Cupam eiusdem consanguineum, fuisse. *Verisimile est*, inquit, (b) *vxorem Geisae, quae eidem superfuit, non fuisse vxorem ipsius primam, aut S. Stephani matrem. Ratio petitur ex ipsis scriptoribus Hungaris, qui vnanimi voce affirmant, viduam Geisae expetitam ad nuptias fuisse a Cupa, duce Simigiensi, qui iis nuptiis conabatur ducatum Stephano eripere. Quippe Geisa senex obiit, ita vt prima eius vxor, si vixisset, verisimiliter etiam prouectioris fuisset aetatis, quam vt ad nuptias honeste expeti posset; neque enim verisimile est, Geisam fuisse prouectae aetatis, dum primam duxit*

(a) *Chron.* P. *II.* C. *XXVIII.*
(b) *Act. SS. Sept.* T. I. p. 487.

xit vxorem. Iam alias ostendimus, Geisam inter Arpadi posteros a Porphyrogenito non censeri, quum huius familiae genealogiam texuit sub A. C. 951. Vel igitur eum hoc anno nondum in lucem editum, vel non multo prius editum esse colligitur, vt eius natiuitas innotescere Porphyrogenito non potuerit. Demus autem eodem anno natam fuisse Saroltam; an ea tam prouectae tunc aetatis erat, quum Geisa decessit, vt ad nuptias expeti honeste non potuerit, annos nata minus quinquaginta, vel, quod magis verosimile putem, minus quadraginta? Certe venustas eius formae, quam et Turotzius commendat, (a) et a Slauis inditum *Beleknegin ae*, seu pulchrae dominae, nomen indicat, (b) eam procis non caruisse, nec adultam in manus Geisae conuenisse, satis docet. Haec ipsa formae dignitas, quam nondum quadragenaria retinuerit, impellere Cupam poterat, vt eius nuptias ambiret. Sed enim, cuiuscumque demum aetatis, cuiuscumque formae Sarolta fuisset, quum eam in connubium Cupa deposcebat; non tam voluptatis, quam supremae dignitatis, per has nuptias adipiscendae, testibus patriis scriptoribus, rationem ille habuit. *Ex praedicta rursum ratione*, pergit Stiltingus, *verisimile non est, viduam Geisae matrem fuisse S. Stephani; nam Cupa*

A. C. 998.

XVIII.

Yy pa

(a) *Chron. P. II. C. V.*
(b) *Ditmar. Ann. L. VIII.*

A. C. 998.

pa non ambiuisset matris nuptias, vt eius ope filium deturbaret, quod sperare vix poterat. Verum spe verisimili nitebatur Cupa, si vidua Geisae erat nouerca Stephani; nam, quandoquidem anno 996. *ipsa* (a) totum regnum viri manu tenuit; et quae erant viri, ipsa regebat; *tanta erat eius auctoritas, vt sperare posset Cupa, cum nuptiis huius viduae regnum ad se deuoluendum. Verum, vt iam vidimus, non videtur consensum eius sperare potuisse, si mater erat principis regnaturi, aut nimiae aetatis; nam vtrumque eamdem stimulasset, vt regnaret potius pro filio quam sub marito.* Hae coniecturae nondum elidunt patriorum scriptorum auctoritatem, qui Saroltae nuptias Cupam ambiuisse perhibent. Id enim is quum tentauerat; consilium deturbandi Stephanum non aperuerit. Nec in eam rem consensum matris exspectaturus erat; sed, aucta per nuptias potentia, suis ipse viribus hanc iniuriam facilius exsequendi spem habere poterat. Neque censeo, Cupam id exsequendi spe verosimiliore niti potuisse, si vidua Geisae non mater, sed nouerca Stephani fuit; ea tamen nouerca, *qua duce Christianitas* inter Hungaros *coepta fuit.* Nam, quum ipse patriis superstitionibus perdite deditus esset, qua tandem spe niti potuit, seu nuptiis potiundi feminae religiosissimae, *qua duce Christianitas erat coepta*; seu beneficio harum

(a) *Adalb. biogr. C. V.*

rum nuptiarum Christi fidem exterminandi, quod non obscuris indiciis moliebatur, quum ipsa iam antea tam potens fuerit, *vt totum regnum viri manu tenuerit*? Haec nempe prius adeo potens nouo marito subesse voluisset? sicut igitur haec vana spes non obstitit, quominus nuptias Christianae mulieris ambiret, vt earum ope Christianam religionem euerteret; ita non impediuit, quominus connubium Stephani matris expeteret, vt eius occasione filio principatum eriperet. Vtrobique scilicet consilium malesanum texit; neque tamen ita tegere potuit, quin a sagacioribus intelligeretur, ac iccirco connubium etiam a Geisae vidua reiiceretur. A. C. 998.

CCCIV. Quemadmodum autem ob eas, quas adduximus, Stiltingi coniecturas, fidem patriorum annalium, ambitas a Cupa Stephani matris nuptias asserentium, desesere non cogimur; ita quum idem Stiltingus in dubium vocat, an, quod annales Hungarorum innuunt, Cupa S. Stephani consanguineus fuerit, audiendus non videtur. Bonfinius quidem cognationem inter Stephanum et Cupam aperte non insinuat, quum ita seditionem, ab illo suscitatam, narrat: (a) *Nouitatis huiusce auctorem Cupam, Calui Zirindi filium, qui in Simigiensi agro dominabatur, Vngarorum annales fuisse tra-*

IX. An, et quomodo, cognatus S. Stephani fuit?

(a) *Dec. II. Libr. I.*

A. C. 998. *tradunt. Quippe qui, defuncto Geisa, Stephani matrem per adulterium in coniugium allicere conabatur, vt eam nactus vxorem, Stephani vitam dolis interciperet ac rerum denique potiretur.* Nescire se Stiltingus fatetur, (a) *qua de caussa Bonfinius nuptias expetitas adulterium vocet.* Nec ego putauerim, vero sensu has nuptias adulterium vocari, quasi Cupa, superstite coniuge sua, nouo connubio Geisae viduam sibi iungere voluerit; quum a bigamia Hungarorum mores semper abhorruerint. Hic igitur per adulterium, minus proprie sumtum, illicitum dumtaxat coniugium intelligi censeo. Clarius cognationem Ranzanus his verbis exprimit: (b) *Per id tempus occurrit ei* (Stephano) *necessitas gerendi belli aduersus Cupam, Simigiensium ducem, cuius tunc magnae erant et opes, et potentia formidabilis. Suscipiendi autem belli caussa iustissima fuit. Tentauit omni cura matrimonio sibi iungere Saroltam, ipsius matrem; quamquam erat illi consanguinitate propinqua. Id vero tentauit eo animo, vt praetextu exsecrabilis coniunctionis tenderet insidias, quibus Stephanum, adhuc adolescentem, interficeret. Quod vbi esset factum, nihil sibi restare arbitrabatur, nisi vt ipse mox Hungaria potiretur.* Habemus ab hoc auctore non tantum consilium, sed etiam cognationem Cupae dissertis ver-

(a) *S. XIV. n.* 143. *p.* 493.
(b) *Indic. VIII. Edit. Tirn. p.* 589.

verbis expressam; sed Stiltingus suspicatur, A. C.
(a) *fieri potuisse, vt Ranzanus duos Caluos* 998.
confuderit; indeque crediderit, Cupam fuisse Stephani propinquum. Certum enim est, Ladislaum Caluum, Michaelis filium, S. Stephani patruelem fuisse; sed illud quoque certum, Cupam non hoc Ladislao Caluo, sed Caluo Zirind natum esse. Quum enim Ladislaus Caluus eiusdem, aut etiam minoris, quam Stephanus, aetatis fuerit (vtpote Michaele patre, Toxi filio iuniore, quam Geisa fuerit, natus) quomodo hic Caluus, nondum vicenos annos natus, eius aetatis filium habere potuit, qui et nuptiis maturus, et dolosis eiusmodi consiliis idoneus esset? Bene quoque Stiltingus obseruat, *patrem Cupae vocari Caluum Zirind, ad distinctionem, vt apparet, alterius,* nempe Ladislai Calui, quem alio loco Turotzius Ladislaum Zaar vocat ac inter eius filios nusquam Cupam, sed andream, Belam, Leuentam, numerat: *Temporibus*, inquit, (b) *Andreae, Belae et Leuentae, filiorum Zaar Ladislai.* Rursum alibi: *Belae regis, filii Zaar Ladislai.* Ne vero putemus, alium esse Zaar Ladislaum a Caluo Ladislao; huic eosdem, quos antea Zaar Ladislao, filios tribuit: (c) *Conuocatis*, ait, *filiis Calui Ladislai, patrui sui*

 (pa-

(a) *Ibid. p.* 492.
(b) *Chron.* P. *II.* C. *IV.* C. *XV.*
(c) *Chron.* P. *II.* C. XXXIII.

A. C. 998. (patruelis) *scilicet Andrea, Bela et Leuenta*, *consulit eis.* Quare nullum est dubium, quin idem Ladislaus, S. Stephani patruelis, Latine *caluus*, Hungarice *Zaar*, vel, vt nunc scribimus, *Szár*, vocatus fuerit. Testatur etiam Cl. Praius, (a) *Transsiluanis montes caluos* etiam hodie *Szárhegy dici*; vnde crediderim, caluum illum montem, qui Gyöngyösino versus ortum ad Matrae radicem adiacet, olim *Szárhegy*, non, vt hodie, *Sárhegy*, appellatum fuisse. Turotzius quoque scribit, (b) *Zewkzard*, seu Sexardinum hodiernum, ita dictum esse, quod Bela, conditor huius coenobii, caluus fuerit; vnde proprie *Szekszár*, quod sedem caluam, aut *Szeg-szár*, quod bruno-caluum significat, scribi deberet. Sed in viam, vnde propter Caluum Zirind, Cupae patrem, digressi sumus, ex diuerticulo redeamus. Quamuis igitur cum Stiltingo sentiam, Cupam Calui Ladislai, patruelis S. Stephani, filium non fuisse; neque hoc titulo Stephani cognatum dici posse; non tamen dubito, veram inter eos cognationem intercessisse, quum et Turotzius *incestuosum connubium* vocet, quod Cupa cum S. Stephani matre contrahere voluit. Licet igitur gradum consanguinitatis, quo Cupa S. Stephanum contingebat, designare non liceat, quod longa vetustas

et

(a) *Diss. V. p.* 90.
(b) *Chron. P. II. C. XLVI.*

et ſcriptorum inopia harum rerum notitiam nobis ſubduxerit; quia tamen ex Porphyrogenito conſtat, plures Arpado filios, plures nepotes et pronepotes fuiſſe, ſuſpicari licet, Cupam eiusque patrem, Caluum Zirind, ex hac Arpadi progenie deſcendiſſe, et fortaſſis Zirindum ſub Ezelech, aut Phalitzim, latere. Nec eſt veriſimile, Cupam aliqua ſpe, principatum obtinendi, niti potuiſſe, niſi genus ſuum ad Almum retuliſſet, ex cuius poſteris Hungari ſe principem ſemper ſumturos, iam olim iurarunt. Ipſe ducis titulus Arpadiano ſanguine prognatum illum indicat; nam, *ſi primis ſacrae monarchiae ſeculis*, vt Verinus obſeruat, (a) *nullos alios Hungaria duces habebat, quam qui regio ſanguine ſati erant;* id multo magis obſeruatum eo tempore fuerit, quo duces vniuerſae genti praefuerunt, ne hic ſupremae dignitatis titulus promiſcue vulgaretur. Hunc quidem Cupam Cl. Seuerinus fratrem Geiſae vocat ad A. C. 999. ſed enim, ſi Geiſae frater fuit; Toxum, non Caluum Zirind, patrem habere debuit. Poſtquam Cupa, ſpe nuptiarum deiectus, clandeſtinis molitionibus ſe nihil proficere vidit; in apertam vim prorupit. Et quia bello huic auitas maiorum ſuperſtitiones praetexuit; nullo negocio plurimos ex iis Hungaris, qui patrios ritus abolitos aegre ferebant, in ſuas partes pelle-

A. C. 998.

(a) *Comment. p.* 70.

A. C. 998. lexit. Hanc apertam obmoti belli caussam fuisse, licet Cupa principatui potius inhiaret, Carthuitius ita testatur: (a) *Aduersarius totius bonitatis, inuidiae plenus et malitiae, diabolus, vt sancti Christi tironis propositum disturbaret, intestina bella contra eum commouit: quoniam eius instinctu plebs gentilis Christianae fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebatur. Coeperunt enim vrbes eius desolare, praedia vastare, possessiones depraedari, seruos caedere, et, vt cetera sileam, ipsi insultare.* Quod autem re uera principatum ipsum inuadere Cupa voluerit; ipse S. Stephanus in litteris, coenobio S. Martini datis, ita perhibet: (b) *Quum ciuilis belli ruina vrgeret, volente comitatu quodam Sumigiensi paterna me sede repellere, quid fluctuanti animo consilii darem, quaque me verterem; tanta tactus verecundia, astantibus ducibus, videlicet Poznano, Contio, Orzio, domino quoque Dominico archiepiscopo, votum voui S. Martino, quod, si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis victor exsisterem. &c.*

X. Quomodo S. Stephanus contra Cupam se praeparauit?

CCCV. Quum apparatu bellico tota late Hungaria perstreperet, ac illis ad Cupam, patriae superstitionis defensorem; his ad Stephanum, Christianae religionis fautorem, vn-

(a) *Edit. Prai p.* 125.
(b) *Ap. Stilting. p.* 494.

vndique conuolantibus, magnum vtrimque certamen [illegible] Stephanus, ciuium sanguini [illegible] multa prius, quam in arenam [illegible]cenderet, tentauit, vt seditiosos ad officium fidemque, sibi iuratam, reuocaret. *Quumque declinare de via sua peruersa nollent;* scribit Carthuitius, (a) *nec furor eorum satiaretur; dux ipse, confidens de aeterna virtute, ad superandam hostium rabiem, cum multitudine exercitus sui, sub vexillo DEO dilecti pontificis Martini, sanctique Martyris Georgii, processit.* Hos ille belli praesides, quum illi Martem et Herculem, sibi delegit; Georgium quidem, ceu prius profanum, deinde purpuratum Christi militem, cuius ab hoc exemplo cultus peculiaris ad omnes postea Hungaros manauit; Martinum autem, veluti natione Pannonem, patria Sabariensem, quem vt in sua vota facilius flecteret; sollemnibus verbis promisit, se, si victoria potiretur, decimas omnium fructuum prouinciae Simeghiensis eius honoribus dicaturum. *Votum*, inquit diplomate supra laudato, *voui S. Martino, quod, si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis victor exsisterem; supra nominati comitatus decimationem de omnibus negociis, praediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinoque hospitum, quod in praediis eorum cresceret, ne parochiano episcopo pertinere videretur, sed ma-*

A. C. 998.

(a) *Edit. Prai. p.* 126.

A. C. 998. *magis abbati eiusdem monasterii, sub testimonio praefatorum ducum multorumque comitum, absque vlla mora subiugarem.* Inde ceteros testes supra nominauit etiam Lit maiorcum archiepiscopum, qui vel per prolepsim tantum ita vocatus, vel iam tunc designatus, sed certo loco nondum affixus fuerit, quum hoc votum, eo praesente, S. Stephanus nuncupasset; mox enim addit: *Necdum episcopatus et abbatias, praeter ipsum locum, in regno Vngarico fuisse.* Inter duces, qui bellum hoc administrarunt, praecipui nominantur Paznanus et Contius, vel potius Hontius, de quibus Turotzius, vt alias vidimus, ita scribit: (a) *Adierunt etiam istis diebus Hunt et Paznan, qui sanctum Stephanum regem in flumine Garam* (ita Hungari hodieque Granum fluuium vocamus) *gladio, Teutonico more, accinxerunt.* Vigebat enim ea tempestate pium institutum, illustrium parentum ac etiam principum filios, vbi militarem aetatem attigissent, sacris fere cerimoniis militari baltheo gladioque praecingendi. Hoc eodem ritu S. Stephanum, priusquam in Cupam moueret, initiatum fuisse, Turotzius, quum hoc bellum narrat, rursus ita refert: (b) *Stephanus autem sanctus, conuocatis proceribus suis, per interuentum beatissimi Martini confessoris, diuinae misericordiae implorauit auxilium,*

(a) *Chron. P. II. C. XIII.*
(b) *Chron. P. II. C. XXVIII.*

um. Postmodum vero, congregato exercitu, perrexit obuiam hosti suo, et ad amnem Goron (melius alibi scripsit Garam) *primitus accinctus est gladio.* Suspicor, haec in Been acta fuisse, vbi nunc etiam ad Granum fluuium locus veterum castrorum apparet. Hic enim exercitus, ab hostibus Danubio diuulsus, tutius et colligebatur, et instruebatur, dum in Cupam promoueretur. Hic igitur S. Stephanus duos illos spectatae virtutis et fidei duces, Paznanum et Huntium, corporis sui custodes delegit; Vencellinum autem Alemannum vniuersis copiis supremo iure praefecit. *Ibi*, pergit Turotzius, *ad custodiam corporalis salutis suae duos principes, Hunt et Paznan, constituit; totius autem exercitus sui principem et ductorem Vecellinum hospitem, Alamannum genere, praefecit.* Ita nihil prouidus dux et pius ex parte sua deesse passus est, quod ad bellum feliciter conficiendum desiderari videbatur. Prouide quoque pater eius externa haec auxilia iam prius in Hungariam vel acciuit, vel admisit; sine quibus ex tanto discrimine Stephanus vix saluus euasisset. Apparet enim, praecipuos Hungarorum proceres ad Cupam defecisse, quum Stephanus se suasque copias externis credere coactus fuerit. Nec dubito, nouas Henricum suppetias affini periclitanti submisisse, quibus is auctus, quum iam hostes Vesprimium obsidione premerent, Danubio traiecto, copias in eos promouit.

A. C. 998.

CCCVI.

A. C. 998.

XI. Qua fortuna cum illo depugnauit?

CCCVI. *Illis forte diebus*, scribit Carthuitius, (a) *vrbem, quae vulgo Vesprem nuncupatur, obsederunt; et haec ad conuicia eius commouentes, scilicet, vt vbi ducalis accessus conuersatio habebatur, et ibi considerent, quo facilior ingressus ad alia praesidia occupanda inueniretur. Ipse vero, diuina praeeunte clementia, aduersus eos consurrexit; et hic in fide, illi vero tantum in armis confidentes, vtrimque decertauerunt.* Anceps aliquamdiu praelium erat, dum Vencellinus, in obuium Cupam inuectus, caput ei demessuisset. Tum vero seditiosi, duce iam destituti, nihil ex ordine agere, pugnam remittere, fugam circumspicere, arripere. Neque sanctus dux fugientes persequi, neque supplicibus indignari, contentus, arma ciuibus excutere mentemque victis saniorem reddere. Ne tamen in alios res exempli pessimi serperet; vindicis scelerum iustitiae documentum popularibus editurus, passus est Cupae, facinorosorum capitis, cadauer quadrifariam diuidi; vtque terror latius spargeretur, vnam secti corporis partem Strigonium, alteram Vesprimium, tertiam Iaurinum, quartam in Transsiluaniam mitti portisque ciuitatum affigi. Haec omnia Turotzius ita breuiter exhibet: (b) *Commisso itaque praelio, inter vtrumque diu et fortiter est dimicatum; sed di-*

(a) *Edi. Prai. p.* 126.
(b) *Chron. P. II. C. XXVIII.*

iuinae miserationis auxilio, beatus Stephanus dux gloriosam obtinuit victoriam. In eodem autem praelio Vecellinus comes interfecit Cupan ducem, et largissimis beneficiis a beato Stephano, tunc duce, remuneratus est. Ipsum vero Cupan beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari; primam partem misit in portam Strigoniensem, secundam in Veszprimiensem, tertiam in Iauriensem, quartam autem in Erdel. Quem hic Vecellinum, alibi Wenczellinum vocat, (a) *qui cum S. Stephano in Symigio Cupan ducem interfecit; capitaneus exercitus exstitit illo die.* Et hic quidem Iakianam familiam ex eo prognatam ait; alibi vero sic eiusdem genealogiam texit: (b) *Praedictus autem Vecellinus genuit Radi; Radi vero genuit Miscam; Misca vero genuit Cupan et Martinum.* Hos summis subinde honoribus perfunctos rebusque gestis clarissimos annales patrii loquuntur; nec alius Rado palatinus, quam huius Vencellini filius, Andrea I. Hungariam moderante, fuit, qui postea coenobium S. Demetrii iuxta Sauum excitauit A. C. 1057. Cupan quidem iudicem in eiusdem Andreae diplomate, quo Tihanyiensem abbatiam erigit A. C. 1055. subscriptum lego; sed vix crediderim, eum huius Radonis, qui sequenti demum anno ius in palatium regium adeptus est,

A. C. 998.

ne-

(a) *Chron. P. II. C. XII.*
(b) *Chron. P. II. C. XXVIII.*

A. C. 998. nepotem fuiſſe; plures alioqui primis Hungariae temporibus exſtitiſſe conſtat, qui Cupan appellabantur. Turotzius *Kundi*, quarti Hungarorum *capitanei*, filium itidem Cupan vocat, eumque, baptiſmo ſuſcepto, cum fratre *Kuſid* coenobium prope Nyír condidiſſe, teſtatur. (a) Hoc innuiſſe hoc loco placuit, ne quis hunc Cupam, Kundi filium, Chriſtianis ſacris initiatum, confunderet cum Cupa pagano, Calui Zirindi filio, de cuius ſeditione ſupplicioque nunc agimus.

XII. An Cupae diſſecti partem in Tranſſiluaniam miſit?

CCCVII. Minus probabile Stiltingo videtur, quod Turotzius de diſſecto Cupae corpore ſcribit; *quum id*, inquit, (b) *leniſſimis S. Stephani moribus parum ſit conſentaneum*: Suſpectumque magis eſſe cenſet; *quod quartam partem in Tranſſiluaniam dicant miſſam; praeſertim quum Tranſſiluania non videatur eo tempore paruiſſe S. Stephano.* Sed quod primum attinet, ipſe Stiltingus agnoſcit, *meritum fuiſſe hanc ignominiam rebellem Cupam, nec eam prorſus negare vult.* Alioqui non fuit ita ſaeuitum in Cupam viuum, ſed a Vencellino iam occiſum; non eſt igitur, cur *de re tota dubitare nos cogat eximia ſancti lenitas*, qui hoc exemplo ſeueritatis reliquos in officio continere pacemque Hungariae ſtabilire voluit. Ad alterum autem iam alias reſponſum

(a) *Chron. P. II. C. VI.*
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 494.

sum est occupatum, quum Transsiluaniam a Patzinacitis insessam non fuisse, docuimus. Certe Transsiluania, quam Tuhutum, petita prius ab Arpado potestate sibi suisque posteris vindicauit, Arpadi successoribus obnoxia perinde mansit, ac aliae Hungariae partes, quas alii Hungarorum duces, eiusdem Arpadi donatione, consequuti sunt. Sicut igitur Arpadi successores in Hungaria, sic in Transsiluania supremo iure popularibus suis, ex Asiae regionibus in Europaeas egressis, praefuerunt. Dux a Turotzio Cupa, (a) dux Gyula, (b) dux et Stephanus interdum appellatur; sed nimirum illi duces Stephano duci, fiduciario iure, subiecti fuerunt. Si nihil iuris Stephanus in Gyulam eiusque Transsiluaniam habuit; cur illum, teste Turotzio, saepius admonuit, vt ad Christi fidem conuerteretur? Mihi quidem haec admonitio, Gyulam Stephani iuribus obnoxium fuisse, videtur aperte docere. Fuit igitur idonea Stephano caussa, partem dissecti Cupani corporis in Transsiluaniam mittendi, vt hoc seueritatis exemplo Gyula, qui iam tunc imperia Stephani detrectabat, saperet ac mitesceret. Haec iccirco fusius, ne fidem annalium domesticorum ob leuiores coniecturas in dubium vocari pateremur, adduximus. A. C. 998.

CCCVIII.

(a) *Chron. P. II. C. XXVIII.*
(b) *Ibid. P. II. C. XXIX.*

A. C. 998.

XIII. Quo sensu coenobio S. Martini decimas liberorum adixit?

CCCVIII. D. Stephanus, illustri hac victoria potitus, memor, cuius auspicio hostem profligasset, continuo votum, ante pugnam nuncupatum, exsoluit, et amplissimis fundis ac reditibus D. Martini coenobium, a patre suo iam inchoatum, auxit, nec multo post ad fastigium perduxit. *Beatus etiam Stephanus dux*, inquit Turotzius, (a) *votum, quod tunc vouerat DEO, fideliter reddidit. Nam vniuersum populum, in prouincia Cupan ducis degentem, decimas liberorum, frugum, ac pecorum suorum coenobio S. Martini dare, perpetuo iure decreuit.* Timon existimat, (b) *S. Stephanum non dedisse coenobio illi decimas liberorum, id est, puerorum; nam antiqui Hungariae reges per liberos intellexerunt fundos liberorum, siue seruorum, qui aliquam libertatem consequuti sunt; vt apparet ex lib. I. decretorum S. Ladislai Cap. XXVII. vbi statuit:* ABBATES DE LIBERIS SVIS DENT DECIMATIONEM EPISCOPIS. Hanc explicationem etiam is, qui notas marginales in corpore iuris adiecit, ad hanc legem S. Ladislai habet: (c) *De liberis*, inquit, *id est, emancipatis, siue manumissis.* Péterfius laudatam legem sic exponit: (d) *Erant, vt in aliis regionibus, serui, ecclesiae et mona-*

(a) *Chron. P. II. C. XXVIII.*
(b) *Epit. chron. ad A. C.* 1001. *p.* 8.
(c) *P. m.* 17.
(d) *Conc. P. I. p.* 89.

A. C. 998.

nasteriis obnoxii, quos episcopi, abbates, rectores pro meritis libertate donarunt. - Liberos a seruitute, ministerio domestico primum, dein ecclesiae addicebant; decimum quemque, prae ceteris meliorem, ab episcopo excolendum et ecclesiasticis officiis aptandum, pendebant. Non difficulter igitur do Timoni, hac lege S. Ladislai per abbatum liberos non pueros, sed seruos, libertate donatos, intelligi. At, quum S. Stephanus coenobio S. Martini decimas liberorum addicit, pueros intelligendos esse per liberos, ex Carthuitio discimus, qui, quae victoriam S. Stephani consequuta sunt, Turotzio fusius ita describit: (a) *Tandem hostibus victis et ex parte caesis, et ex parte captis et alligatis, dux victor cum suis victoriae dona reportauit. Quapropter de possessionibus eorum tam in agris, quam in villis sapienter diiudicauit, non sicut quondam Saul, qui, deuicto Amalech, de spoliis eius, domino prohibente, meliora elegerat; sed quoniam Pannonia beati pontificis Martini natiuitate gloriatur, cuius etiam patrocinantibus meritis vir Christo fidelis, vt iam dictum est, de hostibus victoriam reportauerat, nihil de rebus eorum ad opus sui reseruans, inito cum Theophilis consilio, iuxta fundum sancti praesulis. in loco, qui sacer mons dicitur, vbi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignauerat, in titulo ipsius mona-*

(a) Edit. Prai. p. 126.

A. C. 998. *nasterium construere coepit, possessionibus et reditibus cunctos sufficienter ditauit, et ipsius suffragio simile fecit episcopis, constituens ex omnibus eorum facultatibus tam strictas decimas dari, vt, si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini coenobio daret.* Haec iam adeo clara sunt, vt de liberorum, seu puerorum, decimis omne dubium tollant. Verum quidem est, sanctum regem in diplomate, post tres annos abbatiae S. Martini dato, decimae prolis, coenobio huic addictae, non meminisse; propterea tamen Carthuitii fides in suspicionem vocanda non est. Nam, vt Stiltingus obseruat, (a) *potuerunt ipsi monachi, ad declinandam inuidiam, decimis liberorum renunciare, etiamsi fuissent antea a rege concessae. Fieri etiam potuit, vt vox illa exciderit litteris, in quibus plura reperiuntur menda. Certe in ipsis litteris inferius mentio fit de mancipiis monasterii, cui illa non videntur obtigisse, nisi hac donatione regis. Tandem verisimiliter dici potest, decimam prolem solum vnica vice dandam fuisse monasterio ab illis, qui tempore rebellionis decem liberos habebant.* Ex laudatis praeterea Carthuitii verbis iam alias collegimus, S. Martini locum natalem et fundum fuisse iuxta sacrum Pannoniae montem, in quo quidem a Geisa patre iacta fuisse fundamenta coenobio S. Martini, S. Stephanus in

(a) *Act. SS. Sept. T. I. p.* 494.

in litteris fundationis testatur; sed ea tam tenuia fuisse, Carthuitio teste, videntur, vt sanctus rex eius conditor haberi iure possit. Mabillonius hoc S. Martini coenobium cum Breunouiensi, quod in Bohemia S. Adalbertus excitauerat, semel ac iterum confundit; (a) at certum nobis est, istud, cuius auctorem S. Stephanum agnoscimus, a Breunouiensi non tantum 20. sed plusquam 200. stadiis distare; neque proinde haec confundi posse. A. C. 999.

A. C. 999. Steph. 3. Indict. 12.

CCCIX. S. Stephanus, hostium metu liberatus, omnem deinceps conatum eo conuertit, vt armorum terrore subactos populares suos ad detestandum ac abiiciendum inanium simulacrorum cultum veramque Christi religionem amplectendam adduceret. Pias industrias, quibus in eam rem sanctus dux vsus est, ita Carthuitius memoriae prodit: (b) *Deuictis ergo hostibus, Christi miles, gaudio spirituali repletus, totius ingenii consilium euangelii decreuit seminis fore receptaculum, eleemosynis et orationibus vacans, frequenter pauimento sanctae domus adhaerens, lacrimis effusis perfectionem propositi sui DEO commisit, volenti, vt, qui sine ipso nihil agere valeret, opitu-* XIV. Quas industrias ad conuertendos Hungaros adhibuit?

 lante

(a) *Ann. Bened.* T. *IV.* p. 115. 143. 470.
(b) *Edit. Prai.* p. 127.

A. C. 999. *lante dispositionis ipsius expletione. bonum, quod cogitauerat, cum inceptione virtutum ad finem perducere posset. Ad hoc ergo incipiendum et consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis et litteris in omnes partes suum diuulgauit desiderium. Inde multi presbyteri et clerici, spiritus paracleti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis, elegerunt pro domino peregrinari. Abbates et monachi, nil proprium habere cupientes, sub tam religiosi principis moderamine regulariter viuere deliberauerunt. Inter quos vitae regularis pater Astricus cum suis discipulis aduenit, quorum vnus, nomine Bonifacius, in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato rege caussa praedicationis in inferiores Hungariae partes esset missus, in verticem percussus gladio, licet postea superuiueret, non est priuatus martyrio. Venerunt et alii duo de terra Poloniensi, eremiticam vitam caussa contemplationis eligentes, quorum vnus, Andreas nomine, per professionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis, per ipsum a domino factis; alter Benedictus, pro Christo sanguine fuso, misericorditer laureatus. Astricus abbas, cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei coenobium, sub titulo sancti patris Benedicti, construxit; et ibi vsque hodie congregatio monasterialis, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum ex donatiuis sancti ducis superabundans, non est alicuius egens, nisi vt suos et aliorum pedes,*

se-

secundum euangelium, quotidianis precibus et lacrimis lauet. Cum his DEI seruus, princeps Christianissimus, aliquando comiter cum omnibus, aliquando singilatim cum vnoquoque eorum colloquium habens, in tam diuinis conspectibus se probabilem reddidit, vt omnes militiae suae comites ad veri DEI culturam conuerteret. Quos vero alienae sectatores viae reperit, minis terroribusque subiugauit, ipsosque, secundum ecclesiasticam doctrinam, instituens, iugum et legem disciplinae suppositis ceruicibus adhibuit, omnesque immunditias malorum prorsus destruxit. Placuit haec ipsius Carthuitii, scriptoris fere synchroni, verbis dare, quo maior fides iis adhibeatur certiorique testimonio sciatur, quam imperfecta Hungarorum conuersio sub Geisa fuerit; quam difficilem filio prouinciam in negocio hoc perficiendo pater reliquerit; quam merito S. Stephanus, qui tantum in vera religione suos inter populares propaganda stabiliendaque desudauerit, apostolici regis appellationem abstulerit. Aliqua tamen, quae Carthuitius ea narratione complectitur, vberius declaranda videntur. Is enim, quae pluribus annis diuersisque temporibus acta sunt, vna hic continentique serie narrat. Ac inprimis Astricum prius, quam S. Stephanus cum Cupa bellum suscepisset, in Hungariam venisse, certum est; an autem abbatis nomine non tantum coenobio S. Martini, sed etiam S. Benedicti praefuerit, non ita certum.

A. C. 999.

A. C. 999.

XV. Quae coenobia pro familia S. Benedicti primum construxit?

CCCX. Primum illud, quum sanctus rex coenobium S. Martini publico diplomate firmat ac dotat, disserte his verbis testatur: (a) *Nos interuentu, consilio et consensu domini Anastasii abbatis, monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito, a genitore nostro incepto, - - talem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium S. Benedicti in monte Cassino; quia propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii, consistiunte domino Anastasio, praescripto abbate, et iugiter adiuuante, confortati et laureati sumus.* Astricum, etiam Anastasium, alio nomine fuisse dictum, ipse Carthuitius perhibet. (b) Quum igitur hic Anastasius abbas et consilium, et auxilium ad lauream, de Cupa reportatam, attulerit; et praeterea fratres eiusdem monasterii S. Stephanum, ad bellum hoc feliciter conficiendum, precibus suis adiuuerint; patet, Carthuitium loco non suo narrare tam aduentum Astrici, quam tempus inchoati coenobii. Ait S. Stephanus, *monasterium S. Martini - a genitore suo inceptum*; ait, *propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii - se laureatum*; non igitur sanctus dux, relata victoria, *monasterium S. Martini construere coepit*, vt Carthuitius scribit; (c) sed a patre suo iam in-

(a) *Ap. Stilt. p.* 494.
(b) *Edit. Prai. p.* 130.
(c) *Edit. Prai. p.* 127.

inceptum, atque sic inceptum, vt a fratribus ante Cupanum bellum etiam incoleretur, tantum perfecit ac reditibus auxit. Nec etiam Astricus ab eo, post victum Cupam, *honorifice susceptus*, sed iam prius in consilium adhibitus ac eiusdem monasterii, cuius fratrum orationibus sanctis confortatum et laureatum se fatetur, abbas appellatus; hinc merito Stiltingus, vt Breunouiensis, ita huius monasterii primum abbatem Astricum vocat. (a) Alterum quoque monasterium eiusdem Astrici monachis ad radices montis ferrei S. Stephanus exstruxit. Vtrumque Carthuitius accurate distinguit; *primum enim*, vt Stiltingus notat, (b) *sacrum erat S. Martino, cuius nomen semper retinuit; alterum dicit fundatum sub titulo sancti patris Benedicti* (ex qua loquendi formula colligi posse videtur, Carthuitium ad episcopatum ex familia S. Benedicti prouectum fuisse) *Primum erat in monte; alterum ad radices montis. Mons sacer dicebatur, nunc mons S. Martini, cui impositum erat primum; mons ferreus, ad cuius radices situm erat alterum.* Haec nobis certa; nec vllus Hungarus dubitat, distincta haec esse monasteria; quorum alterum Iaurinensem; Baranyiensem prouinciam ornabat alterum; et istud quidem patria lingua *Péts-Várad*, quod in *Pétsénsi* seu

A. C. 999.

 Quin-

(a) §. *XV. n.* 154. *p.* 496.
(b) *Ibid. n.* 155.

A. C. 999. Quinque-Ecclesiensi dioecesi situm esset, appellatur; sed an illud etiam Astricus abbatis nomine rexerit, ex Carthuitio non satis colligitur. Id vnum certum est, in locum Astrici postea Bonifacium in alterutro coenobio constitutum abbatem fuisse. Fortassis hic idem Bonifacius est, qui secundus inter Agrienses episcopos censetur; quod etsi Carthuitius non innuat, quia tamen iis temporibus ex monasteriis episcopi plerumque sumebantur; et hic S. Stephano tantopere probabatur, vt eum *caussa praedicationis in inferiores Hungariae partes* mittendum censuerit; maius huic coniecturae fundamentum subesse puto, quam eorum opinioni, qui hunc nostrum cum Bonifacio M. S. Romualdi discipulo, confundunt. (a) Hic enim in Russia; noster in inferiore Hungaria passus est: illius martyrologium Romanum ad 19. Iunii; nostri nusquam meminit: ille martyrio coronatus est A. C. 1008. noster, quando gladio percussus, quando postea mortuus sit, ignoratur. Vt autem, quia Carthuitius, hunc *a beato rege caussa praedicationis* missum, scribit; hanc eius missionem ad ea tempora referendam esse, colligimus, quibus S. Stephanus regio iam titulo gaudebat; ita, quia scriptor idem coenobium ad radicem montis ferrei *temporalium sustentatione copiarum ex donatiuis sancti ducis superabundasse*, tra-

(a) *Vng. Sanct. ind. p.* 127.

tradit; coenobii huius erectionem ad hos annos defigendam esse, coniicimus, quibus S. Stephanus ducis adhuc titulum gerebat. Quamuis enim fundationis litterae datae sint primum A. C. 1015. quia tamen idem in aliis et abbatiis, et episcopatibus factum obseruamus, vt multo prius inchoarentur, quam diplomate regio confirmarentur; nihil officit, quominus initia coenobii huius ad anteriora tempora retrudamus. Hinc et Stiltingus verisimile censet, (a) *inchoatum esse dictum monasterium ab anno* 999. *quum eius fundatio referatur a Carthuitio ante fundationem episcopatuum; quumque rex ipse clare innuat in litteris datis, plures abbatias constructas fuisse ante tempus, quo dedit praedictas litteras, id est, ante finem anni* 1001. *Verba accipe*: Quod si licuit mihi, quo volui loco, episcopatus et abbatias statuere &c. *Hinc etiam credo, non diu post inhabitari coeptum.* Haec Stiltingus, qui primas inter abbatias fuisse putat etiam (b) *abbatiam S. Hippolyti, Zobor dictam, cui Philippus abbas praeerat, dum illam ingressus est S. Zoerardus;* de quo Carthuitium loquentem supra vidimus; nunc vero Maurum, biographum synchronum, episcopum postea Quinqueecclesiensem, audiamus: (c) *Tempore illo*, scribit ille, *quo sub Christia-*

A. C. 999.

(a) §. *XV. n.* 158. *p.* 496.
(b) *Ibid. n.* 161. *p.* 497.
(c) *Act. SS. Iul. T. IV. p.* 336.

A. C. 999. *tissimi Stephani regis nutu nomen et religio deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat; audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis canonici et monachi ad ipsum, quasi ad patrem, confluebant; non quidem caussa alicuius necessitatis coacti, sed vt nouum sanctae conuersationis gaudium ex eorum aduentu adimpleretur. Inter quos quidem, sancti spiritus instinctu tactus, ex rusticitate, quasi rosa ex spinis, ortus, nomine Zoerardus, hanc in patriam de terra Polonienſium aduenit, et a Philippo abbate, cuius monasterium, Zobor nominatum, in Nitrienſi territorio ad honorem S. Hippolyti martyris situm erat, habitu accepto et Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit.* Ita Maurus, testis oculatus, ea, quae Carthuitius scribit, confirmat; ita verum illud, quod ille prodidit: *abbates et monachi, nil proprium habere cupientes, sub tam religiosi principis moderamine regulariter vivere deliberauerunt.* Ita, postquam dux pius arma sacra pro Hungaris Christo subiugandis, nempe largas eleemosynas, et preces assiduas, lacrimis permistas, adhibuisset; et, ne humana quoque praesidia negligeret, idoneos ad agrum hunc domini colendum ministros, litteris ad Christianas prouincias circummissis, acciuisset; tot vndique viros apostolicos, in Hungariam accurrentes, qui suam instituendis Hungaris operam addicerent, laetus conspexit. Zoerardum sub prima principatus eius tempora venisse, quum *religio deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat,* biographus

phus laudatus insinuat. Quum igitur is ab abbate Philippo vestes religiosas acceperit; abbatiam illam iam tunc erectam adeoque primis adnumerandam et sub hoc tempus inchoatam esse, colligimus. Si iam tunc Nitriensis episcopatus exstitisset; crediderim, biographum scripturum fuisse potius, abbatiam illam in Nitriensi dioecesi, quam territorio, sitam esse. Subinde hanc abbatiam ad episcopatum Nitriensem applicatam fuisse, Pazmanus in appendice II. synodi Tirnauiensis affirmat. (a) Demum ordo Camaldulensis eremum in eodem monte Zobor instaurauit A. C. 1689. Quare tria haec coenobia; S. Martini, S. Benedicti, S. Hippolyti, quae tres Hungariae montes; Pannoniae, Ferreum, Zobor, illustrarunt, initia sua S. Stephano duci debere censeo, ex quibus filii S. Benedicti Hungaris conuertendis docendisque primi suos sudores dicarunt. A. C. 1000.

A. C. 1000. *Steph.* 4. *Indict.* 13.

CCCXI. Postquam tot pii sacerdotes in Hungariam vndique confluxissent; postquam ipse sanctus dux, posita maiestate, iuncta cum iis opera, munus apostolicum obiisset; postquam laetissimos vbique fructus post tantos labores prouenire vidisset; maturum iam ac opportunum hoc tempus esse censuit, quo XVI. Cuius hortatu cathedras episcopales erigere constituit?

(a) *Ap. Péterf. Conc.* P. II. p. 274.

A. C. 1000. quo consilium Ottonis imperatoris expleret; in certas portiones omnem Hungariam discriminaret; idoneas singulis episcopos ac pastores designaret; eorum confirmationem ac regiam coronam ab apostolica sede postularet. *Imperatoris autem praedicti gratia et hortatu*, scribit Ditmarus, (a) *gener Henrici, ducis Bauariorum, Waic, in regno suo episcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit.* Vix aliud tempus, quo Stephanum Otto III. ad excitandas episcopales cathedras adhortatus fuerit, inuenire possumus, quam annum, cui nuptias alligauimus, 995. Nam sequens Ottonem, in Italia satis occupatum, non nisi serius in Germaniam redire permisit; vnde rursum in Italiam profectus imperator A. C. 997. non inde discessit ante principium A. C. 1000. quo iam designatis episcopatibus, oratorem Stephanus Romam misit. Tunc igitur, quum, Ademaro teste, *Stephano Otto imperator sororem Henrici, postea imperatoris, in coniugio dedit*, cum eodem de Hungaris ad Christiana sacra traducendis et transegit, et consilium de cathedris episcopalibus erigendis ei suggessit, quod Stephanus, antequam pacem et tranquillitatem in Hungariam reduxisset, exsequi non potuit. Ex eius enim litteris, toties laudatis, certum est, ab obitu Geisae, mox *bellorum tempestatem ingruisse;* ma-

(a) *Annal. Libr. IV.*

A. C. 1000.

maximam inter Teutonicos et Vngaros seditionem excreuisse; ciuile bellum a comite Simigiensi contra legitimum principem excitatum fuisse. Volunt aliqui bellum etiam Bohemicum ex iisdem litteris elicere, quod ibidem sanctus dux *hostium interiorum et exteriorum* meminerit, et Ditmarus aliquid armorum inter Stephanum et Boleslaum Bohemum intercessisse, satis obscure significet, quum ita de Boleslao, Bohemiae duce, scribit: (a) *Habuit hic quamdam vrbem, in confinio regni sui et Vngarorum sitam, cuius erat custos Prochnii senior, auunculus regis Pannonici, a suis sedibus ab ipso, vt antea, nunc expulsus. Qui quum vxorem suam a captiuitate non posset absoluere, gratuito munere nepotis sui, quamuis inimici, eam recepit. Numquam audiui quemquam victis tantum parcere, et ideo in ciuitate praedicta, sicut et in multis, sedulo DEVS ei victoriam concessit.* Stephano hanc clementiae laudem tribui, Stiltingus ex eo colligit, quod mox de Geisa subiiciatur: *Huius pater erat Deiux*, seu Geisa. Suspicatur autem Stiltingus, (b) *initio principatus S. Stephani bellum illud fuisse.* Certe si cum Boleslao II. gestum fuit, quum is anno superiore decesserit, ante hunc annum geri debuit. Si vero Stephanus iam tunc *rex Pannonicus* erat, vt eum Ditmarus appellat;

id

(a) *Annal. Libr. VIII.*
(b) *Act. SS. Sept. T. I. p. 567.*

A. C. 1000. id bellum ad Boleslaum III. differendum est; ac ita commodius exponi potest, quis ille *Prochnii*, regis auunculus, a sedibus suis iam antea pulsus, fuerit: aliquis nempe filiorum Gyulae iunioris, et fortasse *Bucne*; nam auunculum quidem hoc loco vix proprio sensu sumi posse censeo, quum nec ipsum Gyulam iuniorem stricto sensu sancti ducis auunculum fuisse, iam ostenderimus. Omnes nempe cognatos maternos auunculorum nomine veteres accepisse videntur, qui seu Gyulae iuniori, seu huic Prochnii, titulum auunculi tribuunt. Quicquid sit de hoc bello, de quo, praeter obscurissima Ditmari verba, nullum apud veteres testimonium inueniri potest, S. Stephanus, reddita Hungariae tranquillitate, *prouincias in decem partitus episcopatus*, vt Carthuitius ait, (a) *Strigoniensem ecclesiam metropolim et magistram ceterarum fore constituit. Cognoscens vero prudens dux praedicti Astrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decorauit, electione canonica sublimauit, et ei Colocensis episcopatus dignitatem contulit. Quarto post patris obitum anno, diuina commonente clementia, eumdem Astricum praesulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina apostolorum misit, vt a successore sancti Petri, principis apostolorum, postularet, quod nouellae Christianitati exortae in partibus Pannoniae largam benedictionem porrige-*

(a) Edit. Prai. p. 130.

rigeret; Strigoniensem ecclesiam in metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret; et reliquos episcopatus sua benedictione muniret; regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, vt, eo fultus honore, coepta per DEI gratiam posset solidius stabilire. Longam hic disputationem ingredi deberemus, si difficultates singulas, quibus occasionem laudata Carthuitii verba praebent, enodare vellemus. Earum aliquas contra Schwartzium, qui totam hanc legationem praefracte negat, exposuimus; alias alibi; nonnullas istic attingemus; ac inprimis de decem episcopatibus, in quos S. Stephanus prouincias partitus dicitur.

A. C. 1000.

XVII. An, praeter metropolim Strigoniensem, decem episcopatus condidit?

CCCXII. Difficultas enim prima statim occurrit, an intra numerum decem episcopatuum etiam Strigoniensis metropolis includenda sit; an extra hanc seriem collocanda. Cl. Praius, quum ex Carthuitio refert, (a) *totam prouinciam - in decem episcopatus, quorum metropolis ecclesia Strigoniensis esset, a diuo Stephano distributam,* non quidem explicat, quo sensu Carthuitii verba sumat; subinde tamen, (b) *decem episcopatus - praeter Strigoniensem archiepiscopatum, a S. Stephano erectos esse*, docet. Ex Carthuitii verbis id non posse confici, Ladislaus Turotzius ita iam olim ostendere

re

(a) *Diss. de S. Ladisl. p. 51.*
(b) *Ibid. p. 54.*

A. C. 1000.

re conatus est: (a) *Quemadmodum, quum dicimus, septem in Graecia vixisse sapientes, quorum facile princeps Solon habebatur; Solonem vtique octauum non creamus sapientem; sed veluti septem illorum praecipuum nominamus; ita Carthuitius Strigoniensem sedem extra decem alias non collocauit; sed tamquam caput aliarum, atque adeo metropolim scripsit.* In eamdem sententiam RR. Ganotzius, *quum*, inquit, (b) *dicimus: Christum dominum duodecim elegisse apostolos, quorum principem Petrum esse voluit; vtique nemo hinc eliciet, Christum tredecim apostolos elegisse; vel, si dicam, septem in Graecia vixisse sapientes.* Cetera sunt Turotziana, sed eius nomine tacito. Neutra tamen similitudo mihi videtur euincere, decem episcopatibus includi metropolim Strigoniensem, quae proprie non venit inter episcopatus, vt Petrus inter apostolos, Solon inter sapientes censeri proprie debet. Certe si dicerem, Augustam THERESIAM, scientiarum matrem orbe toto celeberrimam, in Hungaria quatuor academias constituisse, quarum veluti matrem et principem esse voluit vniuersitatem Budensem; nemo quatuor academiarum numero Budensem vniuersitatem includet; quia scilicet altioris ordinis est vniuersitas, quam academia, licet communia quaedam habeant. Atqui me-

(a) *Edit. Tirn.* 1768. *p.* 150.
(b) *Diss. de S. Lad. p.* 24.

metropolis etiam, licet multa cum episcopatibus communia habeat, auctoritate tamen illis et potestate praestat; non igitur censendus est Carthuitius, metropolim cum episcopatibus confudisse numeroque decem episcopatuum inclusisse. Sed ab his similitudinibus firmum satis argumentum peti non posse, vltro quidem ipse fateor, ne tamen Carthuitius aduersari sententiae, quae metropolim extra numerum decem episcopatuum collocat, videretur; eum in hunc quoque sensum exponi posse, declarare volui. Firmius est argumentum, quod ab auctoritate breuiarii tam ecclesiae Romanae, quam Hungaricae sumitur. Illud archiepiscopatum Strigoniensem et episcopatus decem auctori S. Stephano tribuit; (a) istud archiepiscopatum a decem episcopatibus ita distinguit: (b) *Quodque pro religionis stabilitate reliquum erat, archiepiscopatum Strigoniensem et decem episcopatus in Hungaria constituit.* Liceat igitur verbis Ladislai Turotzii (c) *perpetuam ac constantem et quasi per manus traditam, de decem episcopatibus* (praeter archiepiscopatum) *primi regis pietate fundatis, populi Vngarici opinionem, aut potius sensum firmissimum ac veluti quamdam religiosam obstinationem* instar argumenti firmissimi habere. *Ita namque*

A. C. 1000.

Aaa

(a) *Die II. Sept. lect. IV.*
(b) *Die XX. Aug. lect. VI.*
(c) *Edit. Tirn.* 1768. *p.* 149.

A. C. 1000.

que nos nostris ex parentibus audiuimus; illi porro suis a progenitoribus acceperunt; ipsi rursum a suis; atque sic ab aliis alii habent; donec perpetuam hanc seriem terminent ii, qui oculis gesta vsurparunt; quae non libris (quamquam et his) *sed fideli memoriae mandata, diligens maiorum narratio ad posteros transmisit. Quo quidem in genere argumenti tantum ponderis inest, nullius vt illud queat auctoritas eleuare; aliter diuina perinde atque humana plurima in fabulas tandem desinent et vulgi risum; nec est, vt quis aduersus eat: quod istiusmodi narratiunculae tanto ferme plus vitii contrahant, quanto diutius perque ora plurium diuagantur; quemadmodum et aquae, vbi longius procurrerint, non omnino purae et illimes sunt, vti in fonte. Ita quidem leuioribus in rebus cadere interdum, facile concesserim; in grauissimis, praesertim sacris, numquam certe: tenacior quippe horum recordatio et reuerentia solet esse longe maxima. Maleficium, quod homines atrocius detestentur, est nullum, quam diuinis addere quidpiam per impudens mendacium, aut surripere.* Optime quidem, sed ad rem nostram, omnia; qui traditionem maiorum nostrorum, in breuiariis expressam, de decem episcopatibus, praeter archiepiscopatum Strigoniensem, a S. Stephano conditis, tuemur, nec illam leuibus quibusdam coniecturis conuelli patimur. Quare licet Carthuitium in vtrumque sensum trahi posse, non diffiteamur; hac tamen perpetua traditione, quam breuiarium exhibet, ni-

xi,

xi, non dubitamus, S. Stephanum et metropolis Strigoniensis, et decem aliorum episcopatuum auctorem agnoscere; neque censemus, ita Carthuitium breuiarii testimonio contrarium esse, *vt aut vni, aut solum alteri inhaerendum sit*, quod RR. Ganotzius censet suamque sententiam ita concludit: (a) *Autoritatem, quae a dignitate scribentis est, venerari possum, et mutua inter homines necessitudo postulat; quae a scriptis est, nisi illa suis nitatur momentis, nec possum, nec rationes admittunt historiarum; atque hoc dictum velim semel, ne semper.* Eumdem sensum ipsissimis verbis Turotzius exprimit; (b) cui semper innitendum et ego ratus, veneror quidem auctoritatem Cl. Praii, qui patriam historiam plurimis tabulis liberauit, non tamen arbitror, eius sententiae fauere Carthuitium, qui nobis nihilominus fauet. Numerat is inter decem episcopatus, a S. Stephano conditos, etiam Transsiluaniensem; numeramus et nos. At nos ita numeramus, vt iam tunc, quum Carthuitius, S. Stephanum *prouincias in decem partitum episcopatus*, refert, inter hos Transsiluaniensem etiam comprehendere possimus; quia scilicet Transsiluaniam, etiam ante victum Gyulam, S. Stephani iuribus obnoxiam fuisse, censemus. At quum ille prouinciam illam a Patzinacitis, *Hungariae numquam*,

(a) *Diss. de S. Ladisl. p.* 31.
(b) *Edit. Tirn.* 1768. *p.* 148.

A. C. 1000. *quam obnoxiis*, cultam, nec, nisi post victum Gyulam Hungarici iuris factam esse, censeat; (a) non video, quomodo decem episcopatibus, ante legationem Romanam a S. Stephano designatis, Transsiluaniensis adnumerari possit. Vel igitur ante victum Gyulam Transsiluania Hungarici iuris erat, vt episcopatus ibi designari potuerit ante A. C. 1000. vel, praeter meptropolim Strigoniensem, decem episcopatus designati non erant; adeoque hoc testimonio Carthuitii Cl. Praius ad probandum, decem episcopatus, praeter metropolim, a S. Stephano fuisse conditos, vti vix potest; nisi dicat, episcopatum in alieno solo iam tunc a S. Stephano destinatum esse. Ceterum non desunt alia Cl. Praio momenta, quibus, praeter Strigoniensem metropolim, decem eposcopatus incunabula sua S. Stephano debere doceat. RR. Ganotzius trium-viris illis, quorum sententias in fascem colligit, (b) non scio, quo iure phrases illas Turotzianas (c) applicet: *sic namque, dum alii ex aliis exscribimus, excussa iam omnia per priores existimantes, in naeuos pariter incidimus, regnumque erroribus firmamus et longam hereditatem.* Nullus horum 14. episcopatus a S. Stephano conditos asserit; nullus alterum, vt ipse Turotzii phrases,

(a) *Ann. Reg. P. I. p.* 17. 18.
(b) *Diss. de S. Lad. p.* 4. 5.
(c) *Edit. Tirn.* 1768. *p.* 157.

A. C. 1000.

ses, exscripsit; Inchofferus decem episcopatus, totidem Turotzius, decem aut vndecim Stiltingus, S. Stephano tribuit. Et hic quidem, quos nominatim S. Stephanus instituerit, non definit; Turotzius Vatziensem, Varadinensem, Sirmiensem, quos Inchofferus recenset, omittit, iisque Batsiensem, Transsiluaniensem, Nitriensem substituit. An hi, quum tam diuersa sentiunt, mutuo seipsos exscripserunt? Si tantus est exscriptorum hostis; cur ipse tantum ex archiepiscopis Strigoniensibus et episcopis Agriensibus Nicolai Schmitth, quem indigne non semel lacessit, exscripsit, vt, si hoc e spissis duobus tomis, quos de Varadinensibus episcopis nuper ediderat, detrahatur; minima pars operis exscriptori tribui, totumque, plagio liberatum, in plagulas non multas contrahi possit. Nam plagium merito dicitur, quando fons non coronatur, sed potius inficitur; faciliusque lapsui modesto venia datur, quam si virga censoria, multorum capitibus acerbius inflicta, diffringatur. Illud igitur de Turotzianis exscriptoribus ornamentum omine non satis fausto huc est translatum; nec minus alieno loco videtur alia Turotzii phrasis et excusatio mox subiungi: *Quod sententia mea minus reliquis sanctissimi regis liberalitati tribuam; vsque adeo in illum iniurius non sum, vt etiam confidam, per accuratiorem hanc veritatis inuestigationem, gloriam eiusdem haud modicum auctum iri. Certe falsa, veris permixta, vel ipsis veris fi-*

A. C. 1000. *dem. adimunt; sincere* (sincera Turotzius habet) *absque pigmentis auctariisque data, honorem consequuntur, omnemque proborum acclamationem.* Hac excusatione Turotzius vti poterat, qui decem episcopatuum auctorem S. Stephanum facit; at, quomodo RR. Ganotzius eamdem accomodare sibi potuit, nisi fortassis ornatus gratia, qui, *ne fidem vetustioris illius breuiarii penitus eleuet, et undecimum, siue Sirmiensem, S. Stephano tribui posse, sustinet*, (a) et subinde, rationibus vndique conquisitis, euincere studet? (b) Quid igitur opus erat excusatione tam prolixa, tam ornata, totaque Turotziana, postquam totidem, quot alii passim, episcopatuum auctorem S. Stephanum agnoscit? *Habemus*, inquit, *Sirmiensis quoque episcopatus conditorem S. Stephanum, regem; vt adeo ex mera beneuolentia iis etiam velificare possimus, qui Carthuitii testimonio, veluti moli Herculeae, innixi, non bene exigunt, praeter Strigoniensem metropolim, decem alios episcopatus a sanctissimo rege fundatos esse.* Non satis hanc *meram beneuolentiam* intelligo; nec adeo suspectam recipio. Nam, si rationes, tam operose congestae, probant, S. Stephanum esse conditorem episcopatus Sirmiensis; cur nobis *meram beneuolentiam* obtrudit? Si vero rationes allatae hoc non conficiunt, cur

(a) *Diss. de S. Ladisl. p.* 5.
(b) *Ibid. p.* 92-111.

cur hanc nobis necessitatem imponit: (a) *Affirmare debemus, S. Stephanum Sirmiensis episcopatus conditorem esse?* Agnoscimus, S. Stephanum, praeter Strigoniensem metropolim, decem episcopatus condidisse; sed non *ex mera beneuolentia*; non tantum *Carthuitii testimonio, veluti moli Herculae,* sed praecipue traditioni maiorum innixi, quam breuiaria vetustissima repraesentant. Agnoscimus, S. Stephanum vndecim dioecesium auctorem esse, quin necessitatem vllam agnoscamus, *affirmandi, S. Stephanum Sirmiensis episcopatus conditorem esse;* neque hic beneuolentiae locum damus, sed vni veritati litamus. Nostra sententia, S. Stephanus quatuor dioeceses vltra Danubium: Stigoniensem, Iaurinensem, Veszprimiensem, Quinqueecclesiensem; totidem intra Danubium et Tibiscum: Batsiensem, Colocensem, Vaciensem, Agriensem; duas vltra Tibiscum: Tsanadiensem ad Marusium, Varadinensem ad Chrysium; vnum in Transsiluania condidit. Ex his RR. auctor duas: Vaciensem et Varadinensem, reiicit; aliasque duas: Nitriensem et Sirmiensem, iis sufficit. Neutrius auctorem esse S. Stephanum, et alii iam ostenderunt, et nos ostendendum alii loco seruamus. Nec interim illa RR. scriptoris crisi mouemur: (b) *Mea quidem opinione, non sat castigate, ne dicam irreligio-*

A. C. 1000.

(c) *Ibid. p.* 96.
(b) *Ibid. p.* 45.

A. C. 1000. *giose, de sanctissimo rege sentiunt, qui affirmare non verentur, S. Stephanum nouos episcopatus incomparabili zelo condidisse; vetustissimum vero et quondam florentissimum, qualis dubio procul Nitriensis erat, sed iniquis conuersionibus collapsum, neglexisse.* Nec vetustissimum, nec florentissimum fuisse Nitriensem episcopatum, ex iis, quae iam alias disputauimus, (a) apparet. Sed fuerit; an non alii quoque tam vetustissimi, quam florentissimi fuerunt episcopatus in Pannonia, quos tamen S. Stephanus non instaurauit? Quid? si R. R. auctor non putat irreligiosum, sentire de Geisa sanctoque Ladislao, maluisse hos nouas episcopales cathedras erigere, quam veterem Nitriensem, collapsam, vt illi videtur, post Bezterti mortem, restituere; cur irreligiosum id fuerit de S. Stephano sentire? Mihi sane minus religiosi reges illi fuissent, si fundos, quos ecclesiae Nitriensi S. Stephanus assignasse praetenditur, iniquitate temporis auulsos, pro regia potestate non restituissent, nouosque potius episcopatus, quam veterem, nondum elapsis annis 30. collapsum, erigere voluissent.

XVIII. Quibus de caussis Astricum Romam legatum mitit? CCCXIII. Sanctus igitur Stephanus, designatis vndecim sacerdotiis, vt haec rata Romanus pontifex, a quo sacrae iurisdictionis omnem vim propagari non ignorabat,

(a) *N.* 245. 246.

bat, haberet, Aſtricum, aliter Anaſtaſium quoque dictum, Romam oratorem miſit. Hunc a S. Stephano Carthuitius ait *electione canonica ſublimatum et ei Colocenſis epiſcopatus dignitatem collatam eſſe.* Quum enim ſanctus dux a pontifice nondum ius eccleſias ordinandi acceperit; nondum Aſtricus libera eius voluntate, ſed *electione canonica*, Colocenſis epiſcopus conſtitui potuit. Fruſtra Schwartzius nititur (a) *quod Stephanus rex ſuo conſilio ſuaque propria auctoritate archiepiſcopen, epiſcopatus, abbatias aliasque praelaturas condidit; et, quibus viſum ipſi eſt, immunitatibus donauit.* Reclamat ipſe Stephanus, in litteris, coenobio Bakonbeelienſi datis A. C. 1037. ita loquutus: (b) *Sicut habui poteſtatem, vt vbicumque, vel in quocumque loco vellem, eccleſias, aut monaſteria conſtruerem; ita nihilominus a Romanae ſedis ſupremo pontifice habui auctoritatem, vt quibus vellem eccleſiis, ſeu monaſteriis, libertates et dignitates conferrem.* Hoc loco ſanctus rex, vt optime Cl. Praius obſeruat, inter poteſtatem eccleſias, aut monaſteria, conſtruendi, quod priuatorum etiam eſſe poteſt, ac auctoritatem eccleſiis, ſeu monaſteriis, libertates et dignitates conferendi, quam a Romano pontifice habuit, accurate diſtinguit. Sanctum igitur Stephanum *archiepiſcopen, epiſcopatus,* A. C. 1000.

 ab-

(a) *Init. rel. p.* 61.
(b) *Ap. Prai. diſſ. de S. Steph. p.*

A. C. 1000. *abbatias aliasque praelaturas auctoritate propria condidisse*, facile concedimus; at, quod porro Schwartzius subiicit, eadem eum auctoritate his immunitates, quas voluerit, contulisse; vel, quod alii volunt, dignitates ecclesiasticas conferendi potestatem a pontifice Romano non accepisse, quamdiu laudatae ceteraeque sancti Stephani litterae, quibus hanc auctoritatem a pontifice Romano se habere saepius testatur, superfuerint, nullis argutis interpretationibus euinci poterit. Vtque necessarius ad id pontificis consensus erat; ita necessarius non erat ad construendas ecclesias, vt ipse sanctus rex verbis paullo prius adductis indicat. Certe non misit Romam Astricum, vt episcopatus erigendi potestatem a pontifice peteret, sed vt pontifex episcopatus iam erectos *suae subscriptionis auctoritate sanciret*. Atque hoc erat primum legationis huius caput; alterum idem Carthuitius his verbis subiicit: *Regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, vt, eo fultus honore, coepta per DEI gratiam posset solidius stabilire*. Prius enim S. Stephanus ducis tantum titulo fuit insignis, quamuis a nonnullis per quamdam prolepsim historicam antea quoque rex appelletur, quod scilicet regiam dignitatem postea consequutus fuerit. Alios etiam Hungariae duces aliqui scriptores exteri, propter nimiam potentiam, titulo regum, vt saepe vidimus, condecorarunt. Quod magis mirum est, ipsi domestici, Peltzius et Lisznaius,

Geisam primum Hungarorum regem facere non dubitarunt; quos quidem regum nostrorum diplomata satis superque refellunt; vt illud Belae IV. quod iam supra retulimus, hoc initio: *Quod antecessores nostri, pie memorie Geysa dux, et sanctus Stephanus, filius eius, primus Hungarie rex cet.* Quare hic ducum Hungariae historiam claudimus, post Astrici legati reditum, in S. Stephano, non iam ducem, sed primum Hungariae regem, veneraturi.

A. C. 1000.



ADMONITIO.

Postquam mea haec opella partim censuram, partim etiam prelum subiuisset; eruditissima CLL. trium virorum opera, Salagii, Benkónis et Cornidis in manus meas venerunt. Horum industria, numquam satis laudanda, res quaspiam, multum implexas, adeo feliciter enodauit, vt, si prius eruditos eorum partus nancisci potuissem, multis hoc in opere maiorem lucem affusurus Aloldoque cautius vsurus, non tamen penitus abstenturus, fuerim. Nondum enim eius fidem ita profligatam existimo, nihil vt in illo, nisi fallax, *quod CL. Cornidi videtur, censeam. Interea tuum, lector beneuole, de re tota iudicium, si lubet, suspende, dum meum in ea, quae propediem sequetur, historia regum expromam. Quum autem constituerim, omnia, quae quidem obtinere potuero, diplomata historiae criticae, quam de Hungariae regibus adorno, tomulis, ordine longo sequuturis, inserere; maiorem in modum oratum te volo, vt pro tuo, quo patriae historiam illustratam cupis, studio, siquid eiusmodi monumentorum habes, mecum communicare velis. Quicquid in communem rem hoc in genere contuleris; publico, ni prohibueris, lubens ego manifestabo fontemque gratus coronabo. Iterum vale. Budae Non. Iun. M. DCC. LXX. VIII.*



INDEX PROLEGOMENI.

Index quaeſtionum hiſtoricarum.

§. I.

ALMVS DVX I.

Coepit A. C. 884. deſiit A. C. 889.

A. C. 884. Almi 1. Indictio 2.

VIII.

§. II.

§. II.

ARPADVS, DVX II.

Coepit A. C. 889. desiit A. C. 907.

A. C. 889. Arp. 1. Ind. 7.

A. C. 890. Arp. 2. Ind. 8.

A. C. 891. Arp. 3. Ind. 9.

A. C. 892. Arp. 4. Ind. 10.

A. C. 893. Arp. 5. Ind. 11.

XX. An

A. C. 894. Arp. 6. Ind. 12.

A. C. 895. Arp. 7. Ind. 13.

A. C. 896. Arp. 8. Ind. 14.

XLIV.

§. III.

ZOLTANVS DVX III.

Coepit A. C. 907. desiit A. C. 946.

A. C.

XXXI.

---

§. IV.

TOXVS DVX IV.

Coepit A. C. 947. desiit A. C. 972.

III.

A. C.

---

§. V.

GEISA, DVX V.

Coepit A. C. 972. desiit A. C. 997.

A. C. 972. Geis. 1. Ind. 15.

A. C.

A. C.

A. C.

A. C. 993. Geiſ. 22. Ind. 6.

A. C. 994. Geiſ. 23. Ind. 7.

A. C. 995. Geiſ. 24. Ind. 8.

A. C. 996. Geiſ. 25. Ind. 9.

A. C. 997. Geiſ. 26. Ind. 10.

---

§. VI.

S. STEPHANVS DVX VI.

Coepit A. C. 997. Rex creatus A. C. 1000.


A. C. 997. Steph. 1. Ind. 10.

IV.

A. C. 998. Steph. 2. Ind. 11.

A. C. 999. Steph. 3. Ind. 12.

A. C. 1000. Steph. 4. Ind. 13.



SPHAL-

SPHALMATA,

quae noſtram ac typothetae diligentiam effugerunt, haec fere ſunt :

Pag.	lin.		lege
10	26	plerumque .	plerorumque.
15	32	litterae .	littera.
19	3	*multas : Edunec*	*multas Edunec.*
34	1	PRAGMATICA	CRITICA.
36	11	iam . .	Iam.
38	24	Gordius, .	Gordius.
63	11	poſt A.C. 1015. *adde:* demum Moſcua, quam ducis huius filius, Georgius Longimanus, excitauit.	
80	7	necquicquam	nec quicquam.
83	in margine	XXIII.	XXIV.
Ibid.	p. 10.	Chabaeres	Chabae res.
87	in marg.	XXIV. .	XXV.
92	in marg.	884. .	838.
95	in marg.	884. .	888.
99	15	Oroſz, .	Oroſzi.
106	16	inceriora .	interiora.
108	27	habitauerit .	habitauerint.
124	in marg.	Moldauie	Moldauia.
142	9	ſua . .	ſuae.
174	18	cladam .	cladem.
182	14	flue .	ſine.
202	16	Suatoglugi .	Suatoplugi.
Ibid.	28	videmus .	videbimus.
209	10	caedam .	caedem.
219	1	luxatum .	luxatam.
232	1	centoribus .	centonibus.
234	4	cinitatem .	ciuitatem.
247	24	Creminafenſe .	Cremiſanenſe.
251	13	annus .	annos.
253	24	ab A.C.ad897.909.	ab A. C. 897. ad 907.
269	12	Hungaricae	Hungariae.
274	5	Hungarorum	Hungaris.
292	18	exercitium	exercitum.
296	20	obuiam	obuium.
297	19	haec .	hac.
351	20	expurgatis .	expugnatis.

Pag.	lin.		lege.
359	9	monet .	mouet.
372	7	quiuid .	quiuit.
401	6	quo .	quod.
431.	35	*latei* .	*laeti-*
454	29	veritas .	veritatis.
481	14	*Transsiluaniam*	*Transsiluanam.*
555	15	sufficeret .	sufficerent.
579	16	natum .	natu.
591	27	prius .	pius.
623	18	post: *accepto* adde	*iuramento.*
638	2	reponens .	repones.
Ibid.		ista .	iste.
649	6	mommemorat	commemorat.
676	22	*tenetras* .	*tenebras.*
704	10	*Cupam* .	*Cupan.*
730	3	idoneas .	idoneos.

Cetera, quae sensum non turbant, sed in ortographiam solum leuius peccant, lector beneuolus, in rem ipsam attentus, facile vel transmittet, vel, nobis non monentibus, corriget; vt:

13	loqituur .	loquitur.
16	Strigoniensis .	Strigoniensis.
36	narare .	narrare.
150	adhoratus .	adhortatus.
158	narrations .	narrationis.
240	scrisit .	scripsit.
516	taman .	tamen.
615	gessit .	gessit.
699	imperatores. omittendum punctum.	

